Benziger Brothers
Printers
New-York & Cincinnati



ST. JOSEPH'S CHURCH,
SAN JOSE, CAL.

THEOLOGIA

UNIVERSA.



PARIS. — IMPRIMERIE PIERRE LAROUSSE,
RUE NOTRE-DAME-DES-CHAMPS, 49.

THOMÆ EX CHARMES

ORD. CAPUCIN. SS. THEOL. PROFESS.

THEOLOGIA UNIVERSA

QUOAD PARTEM DOGMATICAM

ADAUCTA ANNOTATIONIBUS ET ADDITIONIBUS

NECNON TRACTATU DE DIVINA AC SUPERNATURALI REVELATIONE

QUOAD PARTEM MORALEM

AD SENTENTIAS LIGORIANAS FUNDITUS REDUCTA

OPERA F.-A. ALBRAND

Superioris Seminarii Parisiensis Missionum ad Exteros

AD USUM SACRÆ THEOLOGIÆ CANDIDATORUM

NOVA EDITIO

A Romanis Censoribus approbata.

TOMUS SEPTIMUS

ST. JOSEPH'S CHURCH
JOSE, CAL.
ALMA COLLEGE
205.9
LIBRARY
C382
Alma, California

PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVES, BIBLIOPOLAM

VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

1871

8007



THEOLOGIA

UNIVERSA.

TRACTATUS

DE

SACRAMENTIS IN GENERE.[1]

Nota 1. « Cum omnis Christianæ doctrinæ pars pastoris » scientiam, diligentiamque desiderat tum Sacramentorum » disciplina, quæ et Dei jussu necessaria et utilitate uber- » rima est, parochi facultatem, et industriam postulat » singularem : ut ejus accurata ac frequenti perceptione » fideles tales evadant, quibus præstantissimæ ac sanctis- » simæ res digne et salutariter imperitiri possint, et Sacer- » dotes ab illa divini interdicti regula non discedant : » *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas* » *vestras ante porcos* » (Catech. Concilii Trident., secunda pars *de Sacram.*), et quia pluribus in scholis omnes Sacramentorum questiones tum dogmaticæ, tum morales unico cursu absolvuntur, ideo illas una simul tractabimus.

Nota 2. Agemus hic septem capitibus : 1° de essentia; 2° de existentia; 3° de materia et forma; 4° de ministro; 5° de subjecto; 6° de effectibus; 7° de cæremoniis Sacramentorum.

[1] Auctor noster omnia quæ de Sacramentis in genere inquisivit, sub unico tractatu, et unumquodque Sacramentum sub unica propria dissertatione conclusit; nos vero, præter tractatum *de Sacramentis in genere,* satius duximus tot esse debere tractatus quot sunt Sacramenta.

CAPUT I.

DE ESSENTIA SACRAMENTORUM.

Nota 1. Hæc vox *Sacramentum* varie accipitur a sacris Scriptoribus : 1° pro arcano, quod veluti res sacra reverenter servatur; sic Tobias ait[1] : *Sacramentum regis abscondere bonum est;* — 2° pro juramento, quasi res pro qua juratur, Dei testimonio consecretur; — 3° pro sacro Mysterio, sic Apostol.[2] vocat Incarnationem *magnum pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne;* — 4° pro signo, quod nos Deo sacrat atque sanctificat : in hac ultima usurpatione accipimus istud nomen *Sacramentum.*

Nota 2. Recole ex Logica, signum esse, *id quod prius cognitum, ducit nos in cognitionem alterius.*

Dividitur 1° ratione suæ causæ in *naturale,* quod ex natura sua significat id quod significat; sic fumus est signum naturale ignis; et *arbitrarium,* quod ex instituto solum significat id quod significat; sic hedera appensa est signum arbitrarium vini venalis.

Dividitur 2° ratione suæ virtutis in *speculativum,* quod non facit id quod significat, et *practicum,* quod facit id quod significat, ut Sacramenta respectu gratiæ.

Dividitur 3° ratione rei significatæ in *rememorativum,* quod significat rem præteritam; sic trophæum significat victoriam; *demonstrativum,* quod significat rem præsentem; sic hedera significat vinum venale; et *prognosticum,* quod significat rem futuram, ut iris pluviam.

Porro, triplex illa significatio in Sacramentis novæ legis reperitur, ut docet Div. Thom.[3] : *Sacramentum,* inquit, *est signum rememorativum ejus quod præcessit, scilicet Passionis Christi,* quæ sanctitatis causa est; et *demonstrativum ejus quod in nobis efficitur per Christi passionem, scilicet*

[1] Tob. XII, 7. — [2] I ad Tim. III, 26. — [3] 3 part., quæst. 60, art. 3.

gratiæ, quam operatur; et *prognosticum, id est, prænuntiativum futuræ gloriæ,* quæ est effectus gratiæ. His notatis,

Quæres : *Quid sit Sacramentum?*

Resp. Sacramentum generice sumptum recte definitur : *Signum sensibile, sacrum, a Deo permanenter institutum ad significandam et conferendam homini gratiam.*

Dicitur 1° *signum,* pro genere; quia per id convenit cum cæteris cæremoniis rem sacram significantibus, qualia sunt sacramentalia.

Dicitur 2° *sensibile,* hoc est, aliquo sensu perceptibile, sive immediate et per se, ut aqua in Baptismo; sive mediate et per aliud, ut contritio per externam manifestationem, Corpus Christi per species consecratas. Hæc conditio est ita necessaria, ut Div. August.[1] asserat in nullum nomen religionis, seu verum seu falsum, coagulari homines posse, nisi aliquo signaculorum aut Sacramentorum visibilium consortio colligentur.

Dicitur 3° *rei sacræ,* id est, rei quæ ad cultum Dei ordinetur, atque subjectum sacret, seu initiet, ac sanctificet sanctitate sibi propria; per quod verum Sacramentum a quocumque alio signo sacro, hominem non sanctificante, distinguitur.

Hujus conditionis defectu *lignum vitæ* in statu innocentiæ, *transitus maris Rubri, manna, serpens æneus,* non erant Sacramenta, quia, licet significarent gratiam nobis per Christum conferendam, non tamen referebantur ad cultum Dei, nec subjectum sanctificabant, sed usus eorum erat mere profanus.

Dicitur 4° *a Deo institutum,* quia solus Deus, sicuti est religionis et gratiæ auctor, ita solus potest esse Sacramentorum institutor. Hinc, quæcumque sunt institutionis Ecclesiasticæ, ut aqua benedicta, signum Crucis, etc., non sunt Sacramenta.

Dicitur 5° *permanenter;* quamdiu scilicet manet eadem

[1] Lib. XIX *contra Faustum,* cap. 11.

lex, idemque Ecclesiæ status. Hinc Sacramenta antiquæ legis, nonnisi cum illa ceciderunt.

Hujus conditionis defectu, 1° *lotio pedum, insufflatio Christi in Apostolos,* non fuerunt vera Sacramenta, cum stabiliter non fuerint instituta, ut constat auctoritate Ecclesiæ, quæ est optima Scripturæ interpres; 2° Baptismus Joannis Baptistæ non fuit sacramentum, sed mere cæremonia et externa professio fidei pœnitentiæ (*Matth.* III, 11), cum permanens non fuerit signum.

Dicitur 6° *ad significandam gratiam,* nempe sanctificantem, sive futuram et per Christi passionem dandam, ut Sacramenta vetera; sive præsentem et actu per illa *ex opere operato* collatam, ut Sacramenta novæ legis; et quidem *primario,* non *secundario;* unde sacrificium, qua tale, non est Sacramentum, quia primario et immediate non ordinatur ad sanctificandum suscipientem, sed ad testandum supremum Dei in res omnes dominium.

Dicitur 7° *ad conferendam gratiam,* et sanctitatem sive interiorem, ut Sacramenta novæ legis, sive exteriorem et pure legalem, ut Sacramenta veteris legis; unde omnia Sacramenta sunt essentialiter signa practica et operativa alicujus sanctitatis, sive interioris, sive exterioris.

Gratia *interior* est gratia sanctificans, per quam anima interius renovatur efficiturque justa et Deo grata.

Gratia *exterior* et *legalis* est consecratio et mundities quædam exterior, qua quis fit aptus ad certa religionis officia obeunda; v. gr., qui per lepram, aut contactum cadaveris immundus fuerat, legali ritu sanctificabatur; sed sanctitate exteriori, quæ ab Apostolo[1] dicitur *justitia carnis,* quia ritus illi valebant tantum ad munditiam corporalem et externam, quam lex exigebat, ut quis aptus esset sacrificiis offerendis.

Resolves ex dictis : Sacramenta veteris et novæ legis definiri posse per differentias specificas, hoc modo :

[1] Hebr. IX, 10.

Sacramentum veteris legis est *signum sensibile, sacrum, a Deo permanenter institutum ad significandam gratiam interiorem per passionem Christi dandam, et conferendam exteriorem et legalem.*

Sacramentum novæ legis est *signum sensibile, sacrum, a Christo Domino permanenter institutum ad significandam et producendam per se et ex opere operato gratiam interiorem.*

Nota 1. In omnibus Sacramentis tria distinguuntur, nempe : Sacramentum tantum, res tantum, et Sacramentum et res. *Sacramentum* tantum est illud quod significat; *res* tantum, est illud quod significatur ; *Sacramentum et res* simul est illud quod significatur ab uno, et significat aliud ; v. gr. in venerabili sacramento Eucharistiæ *Sacramentum* tantum sunt species consecratæ, quæ significant animæ refectionem ; *res* tantum est ipsa refectio; *Sacramentum ac res* simul est corpus Christi quod significatur a speciebus et gratiam significat[1].

Nota 2. Cum Sacramenta sint juris positivi, non valet argumentum a simili, sed quærenda est voluntas Christi instituentis. Porro, unumquodque Sacramentum est sui generis, ut ita dicam, licet omnibus illis plura sint communia. Aliud enim in aqua, aliud in oleo, aliud in pane et vino, aliud in contractu conficitur. — Item alia *characteristica* dicuntur, quia caracterem imprimunt, alia non; alia *mortuorum* nominantur, quia primam gratiam sanctificantem primario conferunt; alia *vivorum* nuncupantur, quia eamdem gratiam supponunt. — Item, omnia alia Sacramenta dicuntur *transeuntia,* quia tum solum sunt Sacramenta cum conficiuntur et applicantur; Eucharistia vero dicitur Sacramentum *permanens,* quia consistit in re permanente. — Item, alia sunt necessaria necessitate *medii* ad salutem, saltem in voto implicito ; alia vero tantum necessitate *præcepti.*

[1] S. Ligor., lib. VI, num. 119.

CAPUT II.

DE EXISTENTIA SACRAMENTORUM.

Nota. Cum genus humanum in quadruplici statu considerari possit, nempe : 1° *in statu innocentiæ*, a creatione scilicet Adami usque ad ejus lapsum ; 2° *in statu naturæ*, a lapsu Adami usque ad Moysen, sic dicto, quia in eo homines nulla lege positiva, sed solo ductu legis naturæ insonantis in corde, ducebantur ad Deum tanquam ad finem supernaturalem ; 3° *in statu legis scriptæ*, a Moyse (per quem Deus hominibus dedit leges positivas, per quas in moribus, in sacrificiis et in judiciis regulabantur) usque ad Christum ; 4° *in statu legis Evangelicæ*, a Christo usque ad finem mundi : ideo quæritur utrum instituta fuerint Sacramenta in quadruplici illo naturæ humanæ statu ; ad quod dirimendum, sit

CONCLUSIO I.

An de facto extiterint in brevissimo innocentiæ statu Sacramenta; an aliqua futura fuissent, si diutius perseverasset, nemo potest certo definire.

Prob. conclusio. Nam de his rebus, quæ ab uno Dei instituentis arbitrio pendent, nihil certo statui potest, silente Scriptura et Traditione ; atqui de Sacramentis in statu innocentiæ institutis, aut instituendis si diutius perseverasset, altum est in Scripturis et Traditione silentium. Ergo, etc.

Dices : Matrimonium Adami cum Eva institutum fuit in statu innocentiæ ; atqui illud Matrimonium ex Apostolo et August.[1] fuit Sacramentum. Ergo, etc.

Resp. *Dist. min.* Fuit Sacramentum improprie et late dictum, quatenus nempe futuram significabat unionem

[1] Ephes. v, 31 ; August., lib. I *de Nupt. et Concup.*, cap. 21.

Christi cum Ecclesia, *conc. min.;* fuit Sacramentum proprie et stricte dictum, hoc est, fuit signum sacrans suscipientes, *nego min.*

Itaque illud primum matrimonium fuit tantum institutum ad officium naturæ, hoc est, ad propagandum genus humanum, et illud subinde Christus in lege nova ad dignitatem Sacramenti evexit.

Inst. Posteri Adami, si perseverasset in eis status innocentiæ, veram Ecclesiam constituissent; atqui vera Ecclesia non potest subsistere absque Sacramentis, juxta illud Div. August. : *In nullum Religionis nomen coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, aut Sacramentorum visibilium consortio colligentur.* Ergo habuissent vera Sacramenta.

Resp. *Nego min.* Illa enim Ecclesia potuisset subsistere visibilis per sacrificia, quæ designare videtur Div. August. hac voce *signaculorum,* quam huic voci *Sacramentorum,* præmittit sub disjunctione.

CONCLUSIO II.

In lege naturæ extitit verum Sacramentum ad peccatum originale delendum.

Prob. Ex Div. August.[1] dicente · *Nec ideo tamen credendum est ante datam circumcisionem famulos Dei (quandoquidem illis inerat mediatoris fides in carne venturi), nullo Sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis, quamvis quid esset, ex aliqua necessaria causa, Scriptura Sacra latere voluerit.*

Ratio petitur ex sincera Dei voluntate omnes homines salvandi, quæ exigit ut Deus in lege naturæ saluti parvulorum consuluerit per aliquod remedium ad deletionem peccati originalis ordinatum.

[1] Lib. v *contra Julian.,* cap. 11.

Quæres : *Quodnam fuerit illud remedium?*

Resp. Cum de ea re sileant Scriptura et Traditio, non potest in individuo determinari; probabilius tamen est illud remedium positum fuisse in fide Christi venturi aliquo actu exteriori manifestata; ratio est, quia sine fide in Christum mediatorem nulla est speranda salus : *non est* enim *aliud sub cœlo nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

CONCLUSIO III.

Aliqua fuerunt in lege Mosaica Sacramenta.

Prob. Quia multi ea in lege fuerunt ritus, multæ cæremoniæ stabiles ac fixæ, quæ legalem et externam conferebant sanctitatem, internam vero per Christum dandam figurabant; talis fuit Circumcisio; talis Agnus paschalis, tales Pontificum et Sacerdotum consecrationes, populi Judaici expiationes et purificationes, etc. Id manifeste supponunt Concilia et Patres comparantes Sacramenta legis veteris cum Sacramentis nostris[1].

CONCLUSIO IV.

In nova lege existunt septem Sacramenta, nec plura, nec pauciora, scilicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, etc.

Hæc proposit. contra recentiores hæreticos, qui tria tantum admittunt Sacramenta, nempe : *Lutherani,* Baptismum, Pœnitentiam et Eucharistiam ; *Calvinistæ*, Baptismum, Eucharistiam et Ordinationem; *Zuingliani,* Baptismum, Eucharistiam, Matrimonium[2], est definita a Concil. Tri-

[1] Concil. Trident., sess. 7, can. 2; Div. Thom., in 4, dist. 1, quæst. 1, art. 2.

[2] Cum ex novatorum systemate peccata non vere deleantur, sed solum tegantur ob extrinsecam justitiæ Dei aut Christi imputationem, nec justificatio sit in nobis interior renovatio, et a statu peccati ad statum gratiæ vera translatio; sed tantum immunitatem a pœna peccatis debita per fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis significet, ideo ita parvi pendunt

dent.[1], his verbis : *Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora, quam septem videlicet Baptismum, Confirmationem... anathema sit.*

Prob. conclusio. Tot sunt Sacramenta, quot sunt signa sensibilia a Christo permanenter instituta ad gratiam significandam et conferendam ; atqui septem sunt hæc signa, nec plura, nec pauciora. Ergo, etc. *Major* est evidens ex definitione Sacramenti. *Minor* constabit ex textibus Sacræ Scripturæ, quos pro singulis Sacramentis suo loco referemus. Ergo, etc.

Confirmatur ex congruentia, quam de isto septenario numero affert Concil. Florent. in decreto Eugenii. Nam vita spiritualis, non secus ac corporalis, septem indiget : 1° ut fidelis generetur, et hoc præstat Baptismus; 2° ut augeatur, et roboretur, et hoc dat Confirmatio; 3° ut alatur, et hoc præstat Eucharistia; 4° ut sanetur si sit ægrotus, et hoc tribuit Pœnitentia ; 5° ut reliquiæ peccatorum tollantur

Sacramenta, ut nunc plura, nunc pauciora admiserint vel etiam penitus rejecerint, ut observat Mœhler (*Symbolique*, tom. 1, pag. 303 et seqq.), his verbis : « Aussi, dès le commencement de la réforme, remarquons-nous une indifférence commune pour les Sacrements; et plusieurs, tels que Carlostad et Schwenkfeld, allèrent même jusqu'à les nier d'une manière formelle. Déjà plus d'une fois Luther et Mélancthon avaient dit que l'homme ferme dans la foi et les promesses divines n'a pas besoin de ces moyens de salut. Les Sacrements, après cela, ne sont nécessaires qu'autant qu'ils sont le gage du pardon des péchés. » Sed mox animadvertit Melancthon (Loc. theol., pag. 142) : « Sine signo, inquit, restitui Ezechias potuit, si nudæ promissioni credere voluisset; vel sine signo Gedeon victurus erat, si credidisset, ita sine signo justificari potes, modo credas. » Et Lutherus, *de Captiv. Babyl.*, fol. 280 : « Neque enim, inquit, Deus aliter cum hominibus egit aut agit, quam verbo promissionis. Rursus nec nos cum Deo unquam aliter agere possumus, quam fide in verbum promissionis ejus, opera ille nihil curat, nec eis indiget, quibus potius erga homines et cum hominibus et nobis ipsis agimus..... qui eis credit, is implet ea, etiamsi nihil operetur. »

Multo minus debuisset Calvinus admittere Sacramenta, cum fides juxta illum sit prorsus inamissibilis; ad quid enim confirmare, aut excitare fidem, quæ nec minui nec amitti potest?

[1] Sess. 3, can. 1.

et animi virtutes recreentur, et ad id est Extrema Unctio; 6° ut ministri Ecclesiæ formentur, et hoc suppeditat sacra Ordinatio; 7° ut filii ad Dei cultum et humani generis conservationem procreentur et religiose educentur, et hoc dat Matrimonium. Hanc analogiam vitæ spiritualis cum corporea eleganter exponit Catechismus Romanus[1].

Prob. 2. Auctoritate præscriptionis. Quod semper tenuit et docuit Ecclesia necessario credendum est ab Apostolica auctoritate traditum; atqui septem Sacramenta semper retinuit et docuit Ecclesia. Ergo, etc.

Prob. min. Etenim Ecclesia nunquam prætermisit damnare eos qui septenarium numerum rejiciebant. Sic sæculo II damnavit Novatianos Confirmationem negantes; sic sæculo IV Manicheos de Matrimonio male sentientes; sic sæculo XII Albigenses qui Extremam-Unctionem, Pœnitentiam et Ordinem inficiebant; sic sæculo XVI protestantes Sacramenta detrectantes anathemate confixit.

Præterea, Ecclesia Græca nunquam aliam de numero Sacramentorum ac Latina tenuit confessionem, ut patet ex responsione ad secundam objectionem infra positam : ergo septem numero Sacramenta semper retinuit et docuit Ecclesia. Ergo, etc.

Confirmatur ex inventionis impossibilitate. Nam septem Sacramenta fuerunt a Christo instituta, si Ecclesia non potuit illa invenire; atqui num Ecclesia potuit invenire nova Sacramenta : ergo, etc.

Prob. min. Etenim vel invenisset ea post vel ante schisma Græcorum ; non *primum,* quia Græci Latinis infensissimi, nedum ab illis mutuassent, imo fortius reclamassent; non *secundum,* tum quia septem Sacramenta retinent antiquissimi hæretici, ut Nestoriani, Jacobitæ, Marcionitæ, quæ nec ipsi ex nobis, nec nos ex ipsis extulimus, sed ab Ecclesia discedentes, illa septem Sacramenta secum asportarunt, ergo fuit impossibilius inventio. Ergo, etc.

[1] Part. a, num. 18.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Nusquam dicit Scriptura septem esse Sacramenta : ergo talis numerus temere asseritur.

Resp. 1. *Retorq. argum.* Scriptura nusquam dicit esse quatuor evangelia : ergo talis numerus temere asseritur a Novatoribus. Sufficit ergo quod habeamus talem numerum ex Traditione, quæ est verbum Dei sicut Scriptura, et ex publica Ecclesiæ praxi, quæ Traditionis est testis fidelis, unde D. Hieronym., *Dialogo adversus Liciferanos,* ut sacramentum Confirmationis demonstret, ait : *An nescis Ecclesiarum esse hunc morem, ut baptizatis postea manus imponantur, et ita invocetur Spiritus Sanctus? Exigis ubi scriptum sit? In Actibus Apostolorum. Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret.*

Resp. 2. *Dist. ant.* Scriptura nusquam dicit esse septem Sacramenta explicite, *conc.;* implicite, *nego ant.;* nam septem tradit signa sensibilia, quibus convenit definitio Sacramenti.

Inst. Patres sunt depositarii Traditionis; atqui septenarius Sacamentorum numerus non reperitur in Patribus. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Patres simul et quotidianus Ecclesiæ usus et praxis, sunt depositarii Traditionis, *conc.;* Patres soli, *nego maj.;* atqui septenarius numerus non reperitur in Patribus explicite, *transeat;* implicite *nego min. et conseq.*

Itaque non minus in quotidiano Ecclesiæ usu et praxi conservatur Traditio, quam in scriptis Patrum, qui de iis quæ a nemine ignorantur aut impugnantur (qualis fuit septenarius Sacramentorum numerus), siluerunt et pro data opportunitate de hoc vel illo Sacramento; non de omnibus simul egerunt, licet numerus rerum sacrarum, quibus fuit promissa gratia, in eorum scriptis reperiatur;

sic Div. August.[1] Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam et Pœnitentiam commemorat; et in *Speculo* textum Divi Jacobi, qui est de Extrema-Unctione, exponit de signo gratiam conferente; et lib. II *Contra litter. Parmeniani*, cap. 13, Ordinem vocat *sacramentum* quod *quadam consecratione homini datur*. Et demum pluribus locis loquitur de Matrimonio tanquam sacramento, maxime lib. *de Nuptiis et Concup.*, cap. 10 : unde dixi *transeat minor*.

Objicies 2. Ecclesia Græca duo tantum admittit Sacramenta, Baptismum scilicet et Eucharistiam, ut patet ex confessione fidei edita a Cyrillo Lucari, patriarcha Constantinopolitano. Ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Et dico hanc fidei confessionem non esse Ecclesiæ Græcæ, quæ etiam hodie, licet ab Ecclesia separata, profitetur se agnoscere septem novæ legis Sacramenta, ut constat ex synodo Bethlehemitica, ann. 1672, sub Dositheo Patriarcha celebrata; sed esse confessionem hujus Patriarchæ, qui erroribus Calvini erat infectus, quique ob id a suo successore, Cyrillo Beroensi, fuit anathematizatus.

Objicies 3. Sunt plura quam septem Sacramenta; nam septem sunt Ordines; item lotio pedum dicitur a nonnullis Patribus Sacramentum[2]. Ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Nam 1° omnes ordinationis species revocantur ad unum genus, quod dicitur *sacramentum Ordinis*. Itaque quando dicimus esse tantum septem Sacramenta, Sacramentum sumimus secundum genus, ita ut sensus sit septem tantum esse Sacramenta generice diversa, id est quæ ad diversos generis fines referuntur; et ideo, cum omnes ordines ad unum eumdemque finem genericum referantur, nempe ad confectionem et adminis-

[1] Lib. V *de Bapt.*, cap. 20.

[2] Vide Græcorum Eucologium apud Allatium *de Perpet. Occident. et Orient. Ecclesiæ consensione;* Armenorum apud Serpos, et aliarum nationum apud Assemanum (in *Biblioth. oriental.*).

trationem Eucharistiæ, a se invicem specie tantum discrepant, et unum generice Sacramentum constituunt.

2° Lotio pedum dicitur a SS. Patribus late et improprie Sacramentum, quatenus significat aliquod mysterium, quod probabilius fuit sacramentum Pœnitentiæ, juxta Maldonatum[1], non autem vocatur Sacramentum stricte; cum hæc lotio non sit signum constans in Ecclesia, nec practicum gratiæ sanctificantis.

Inst. 1. Lotio pedum habet omnia ad rationem Sacramenti requisita, nempe : 1° est signum sensibile Joan. XIII. *Cœpit lavare pedes;* 2° annexum habet præceptum : *Et vos debetis alter alterius lavare pedes;* 3° continet promissionem gratiæ : *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Nam 1° ad verum Sacramentum non sufficit ut sit signum externum, sed ultra requiritur ut sit signum practicum gratiæ, constans in Ecclesia; atqui lotio pedum neque est signum practicum gratiæ, ut mox videbitur; neque est constans in Ecclesia, cum eam nec adhibeat modo, nec antiquitus adhibuerit in omnibus provinciis, ut de Ecclesia Romana asserit Div. Ambrosius[2]. Ergo, etc.

2° Lotio pedum non fuit a Christo præcepta, alias Ecclesia eam retinuisset; hæc ergo verba : *Vos debetis alter alterius lavare pedes*, metaphorice sunt accipienda pro præcepto charitatis fraternæ et humilitatis, quæ per lotionem externam fuerunt significatæ, ita ut quisque animo comparatus sit ad lotionem pedum et vilissima quæque ministeria in fraternæ charitatis testimonium, et ob imitationem humilitatis Christi exercenda.

Hæc verba : *Nisi lavero te, non habebis partem mecum,* non significant lotionem pedum institutam fuisse ad significandam et efficiendam gratiam; sed *Petro* pœnam inobedientiæ comminantur, nisi Christo ipsius pedes abluere

[1] *In cap.* XIII *Joan.* — [2] Lib. *de Sacram.*, cap. 1.

volenti paruerit; nisi enim Christo obedisset, fuisset contumax, adeoque æterna hæreditate indignus.

Inst. 2. Div. Ambros.[1] lotionem pedum vocat mysterium sanctificativum. *Audi*, inquit, *quia mysterium est et sanctificatio*, nisi lavero tibi pedes, etc.; item Div. Bernardus[2] dicit lotionem pedum esse Sacramentum, quo remittuntur peccata venialia : *Ut de remissione quotidianorum minime dubitemus, habemus ejus* (Christi) *Sacramentum, pedum ablutionem;* ergo est verum Sacramentum.

Resp. *Nego conseq.* Illi enim Patres non loquuntur de ablutione pedum secundum se sumpta, sed secundum id quod significat, charitatem nempe et humilitatem, quarum exercitio peccata quotidiana baptizatis remittuntur; unde nomen *Sacramenti* et *Mysterii* late sumunt pro signo quovis rei sacræ, nempe remissionis venialium ex opere operantis illorum actuum.

Quæres 1. *An omnia Sacramenta novæ legis sint æqualis inter se dignitatis?*

Resp. *Negat.* Ita definivit Concil. Trident.[3] contra Lutherum : *Si quis dixerit septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit...* Et vero quis ambigere potest Eucharistiam, quæ continet Christum totius gratiæ fontem, cætera Sacramenta dignitate et excellentia superare?

Quæres. 2. *Quis instituit Sacramenta novæ legis?*

Resp. Christus Dominus omnia et singula novæ legis Sacramenta instituit, et quidem per se et immediate.

Prima pars est de fide definita : ita Concil. Trident.[4] : *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta... anathema sit.*

Secunda pars, quæ est certa et quidem probabilius de fide, deducitur ex eadem definitione, ex qua sic argumentor : Ea quis instituere dicitur, quæ per se ac immediate insti-

[1] Lib. *de Sacram.*, cap. 5. — [2] Serm. 1 *in Cœna Domini.* — [3] Sess. 7, can. 3. — [4] Sess. 7, can. 1.

uit; atqui ex Trident. cit., Christus instituit omnia novæ legis Sacramenta : ergo per se immediate[1].

Major, de qua sola potest esse difficultas, est certa; nam Christus non dicitur instituisse sacramentalia, quamvis Ecclesia illa instituerit per potestatem a Deo acceptam; item præcepta Ecclesiæ non dicuntur præcepta Christi, quamvis Christus ea tulerit mediate per Ecclesiam, cui dedit potestatem ea ferendi, et cui inspiravit ut illa ferret; ergo ea solum quis instituere dicitur, quæ per se ac immediate instituit.

Confirmatur. Quia si Ecclesia quædam Sacramenta instituisset, posset illa mutare quoad substantiam (nam ad aliquid mutandum non requiritur major potestas quam ad aliquid instituendum); atqui falsum consequens ex Trident. declarante[2] *hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati magis expedire judicaret*. Ergo, etc.

Dices : Multi theologi, etiam post decretum Trident., absque ulla reprehensione docent Christum in genere duntaxat, non vero in specie, aliquorum Sacramentorum materiam et formam determinasse; atqui hæc opinio stare non potest cum immediata per Christum facta Sacramentorum omnium institutione. Ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Ista enim duo : *immediate instituere*, et *in genere instituere*, non pugnant inter se; Christus enim immediate omnium Sacramentorum partes essentiales instituit, quamvis, in istorum opinione, Ecclesiæ suæ potestatem fecerit nonnullorum Sacramentorum res et verba speciatim determinandi; ad hoc enim sufficit, aiunt, quod

[1] De solo sacramento Extremæ-Unctionis esset dubitandi locus; ast Concilium Trident., sess. 1, can. 1, satis aperte astruit ipsum a Christo D. N. institutum esse; et a B. Jacobo Apostolo promulgatum : licet tamen hoc definitum non sit. Ita R. P. Perrone, *de Sacram. in gen.*, cap. 1.

[2] Sess. 21, can. 2.

Christus et rebus ab Ecclesia selectis vim et efficaciam dare promiserit, et per se instituerit ipsam formalem significationem signi ab Ecclesia materialiter determinati, hoc est, effecerit ut tale signum (v. gr., aiunt, porrectio instrumentorum) efficaciter significet aliquam spiritualem potestatem datam ei qui sacram ordinationem percipit.

Inst. Alexander de Hales docuit Confirmationem ab Ecclesia in quodam Concil. Meldensi institutam fuisse. Ergo.

Resp. *Dist. ant.* Docuit Confirmationem in Concil. Meldensi fuisse institutam quoad substantiam, *nego;* quoad usum, *conc.* Hoc ergo unum vult Halensis, Concil. Meldense fidelibus baptizatis receptionem Confirmationis commendasse, ipsiusque usum eis præscripsisse.

Dixi *immediatam a Christo institutionem esse probabilius de fide;* quia Concil. Trident. clare et expresse non definivit hanc veritatem, consulto enim hanc particulam *immediate* omisit, ne ullum liberis scholæ opinionibus inferret præjudicium; tamen necessario videtur subintelligi, quia ille canon est contra Novatores facile concedentes plura Sacramenta immediate ab Ecclesia fuisse instituta, negantes autem immediatam Christi institutionem. Unde, licet insignis temeritatis reus foret, qui, post decretum Tridentinum, immediatam a Christo institutionem revocaret in dubium, eum tamen erroris contra fidem incusare non audemus.

Quæres 3. *An Christus instituerit Sacramenta ut homo vel ut Deus.*

Nota. In Christo duplex consideratur potentia, *auctoritatis* scilicet, et *excellentiæ.*

Potentia *auctoritatis* est ea quæ principalis et independens est, nullique communicabilis creaturæ utpote essentialiter dependenti, neque ipso Christo competit, nisi ratione divinitatis.

Potentia *excellentiæ* est ea quæ quidem est instrumentalis, sed instrumenti cum divinitate conjuncti; estque

propria Christo ut homini propter unionem hypostaticam humanitatis cum Verbo[1]. His notatis,

Resp. Christus instituit Sacramenta ut homo et ut Deus, aliter tamen et aliter. Nam secundum quod est Deus, operatur in Sacramentis per auctoritatem; secundum autem quod est homo, operatur ad interiores effectus Sacramentorum meritorie et efficaciter, sed instrumentaliter.

Ratio primi est, quod *in Sacramentis divina virtus secretius operatur virtutem*[2]; atqui divina virtus est Christus, secundum quod est Deus, non secundum quod est homo : ergo. *Ratio* secundi est, quod passio Christi, quæ competit ei secundum humanam naturam, causa est nostræ justificationis meritorie et effective, per modum instrumenti, in quantum humanitas est instrumentum divinitatis : ergo, sicut Christus, ut Deus, habet potestatem auctoritatis in Sacramentis, ita, in quantum homo, habet potestatem ministerii principalis, sive potestatem excellentiæ.

CAPUT III.

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTORUM.

Nota 1. Per materiam et formam Sacramentorum intelliguntur partes ex quibus constant Sacramenta; materia autem duplex est, *remota* nempe et *proxima*.

Materia remota est *quælibet res, vel actus sensibilis ex se indifferens ad esse Sacramenti,* id est, ad significandam et producendam gratiam, circa quam versantur materia proxima et forma Sacramenti.

Materia proxima est *usus seu applicatio materiæ remotæ ad subjectum.*

Forma sunt *verba aut quidquam verbis æquivalens, quæ materiam indifferentem determinant ad esse Sacramenti,*

[1] Ex S. Thom., 3 part., quæst. 64, art. 4. — [2] S. August., tract. LXXX *in Joan.*, et lib. III *contra Donatist.*, cap. 10; S. Isidor., lib. VI, cap. 18.

et exprimit collationem gratiæ. Sic in Baptismo, *aqua* est materia remota, quia indifferens est ad significandam lotionem corporalem, vel spiritualem; *ablutio* est materia proxima, quia applicat materiam remotam ad subjectum; hæc verba: *Ego te baptizo,* etc., sunt forma, quia aquam determinant et contrahunt ad lotionem spiritualem.

Dixi *aut quidquam verbis æquivalens,* ob Matrimonium in quo signum consensus verborum loco ponitur.

Materia dividitur adhuc in *essentialem* et *integralem, transeuntem* et *permanentem, certam* et *dubiam.*

Materia *essentialis* ea est *sine qua* non fit Sacramentum, v. gr. aqua et ablutio in Baptismo.

Materia *integralis* est ea quæ vere ad rationem Sacramenti concurrit, illudque perficit et suum effectum operatur, sed sine qua tamen Sacramentum essentialiter existit, ut satisfactio in Pœnitentia.

Materia *transiens,* quæ in re transeunte sistit, v. gr. panis et vinum in Eucharistia; *permanens,* quæ non transit, ut instrumenta in Ordine.

Materia *certa* ea est quam constat esse rem sensibilem a Christo præscriptam. *Dubia* ea est de qua non constat esse talem, v. gr. an liquor sit aqua, an aqua naturalis vel artificialis.

Nota. 2. Circa materiam et formam Sacramentorum tria quæruntur:

Primum, an quodlibet Sacramentum necessario constet rebus tanquam materia, et verbis tanquam forma.

Secundum, an materiæ et formæ Sacramentorum sint a Christo fixæ et determinatæ.

Tertium, an et quæ mutatio, sive in materia, sive in forma, Sacramentum invalidum reddat.

ARTICULUS I.

AN QUODLIBET SACRAMENTUM NECESSARIO CONSTET REBUS TANQUAM MATERIA ET VERBIS TANQUAM FORMA.

Nota : Quæstionem procedere de Sacramentis novæ legis; licet enim essentiale sit omni Sacramento cujuscumque status constare rebus, vel actibus sensibilibus, cum sit essentialiter signum sensibile, tamen non fuit necesse ut omne Sacramentum constiterit verbis; multa siquidem in lege veteri, ut Circumcisio[1], ritus Agni Paschalis[2] consecratio Pontificum et Sacerdotum[3], celebrantur absque præscripta verborum forma.

CONCLUSIO.

Quodlibet novæ legis Sacramentum in actione transeunte consistens, necessario constat rebus tanquam materia, et verbis tanquam forma.

Prob. 1. *Ex Concil. Florent.* in decreto unionis : *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et personna ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi id quod facit Ecclesia, quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum.* Præiverat Div. August.[4] dicens : *Detrahe verbum, et quid est aqua, nisi aqua? accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum.*

Et vero nullum est ex septem novæ legis Sacramentis, cujus materia et forma non assignetur, ut legenti Scripturas et Concil. Trident. patebit[5].

[1] Genes. XVII, 12. — [2] Exod. XII, 3. — [3] Levit. VIII, 12. — [4] Tract. LXXX *in Joan.* — [5] Nota Div. Thomæ egregiam analogiæ rationem. *Sacramentum consistit in* verbis *et* rebus corporalibus, *sicut in Christo, qui est Sacramentorum auctor, est* Verbum caro *factum. Et sicut caro Christi sanctificata est, et virtutem sanctificandi habet per* Verbum *sibi unitum, ita et*

Prob. 2. *Ratione.* In omni composito sive physico sive morali dari debet una pars quæ sit determinabilis, quæ vocatur materia, et alia pars quæ sit determinativa illius ad speciem talis compositi quæ est forma, sed Sacramenta sunt quædam composita saltem moralia : ergo, etc.

Dices 1. Juxta Concil. Florent., *Sacramenta* non tantum *rebus perficiuntur tanquam materia, et verbis tanquam forma,* sed *et persona ministri* intendentis facere quod facit Ecclesia : ergo tribus illis constant Sacramenta.

Resp. *Nego conseq.* Aliud est enim Sacramentum perfici, aliud intrinsece constare : *perfici* enim ad causas intrinsecas et extrinsecas extenditur; *constare* autem, seu componi restringitur ad causas intrinsecas; unde Sacramenta tribus perficiuntur, sed diversimode, scilicet materia et forma tanquam partibus intrinsecis, ac essentialibus, intentione vero ministri tanquam causa.

Dices 2. Eucharistia non constat verbis tanquam forma : ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Eucharistia in fieri, *nego:* sic enim habet panem et vinum pro materia, et verba pro forma ; Eucharistia in facto esse, seu secundum suum esse permanens, *conc. ant.* Porro, materia et forma requiruntur in actione ad effectum habendum, non in effectu habito et perseverante, qualis est corpus et sanguis Christi in Eucharistia remanentes post consecrationem ; unde dixi in propositione : *in actione transeunte consistens.*

Dices 3. Matrimonium non constat verbis tanquam forma, cum mutus valide contrahat. Ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Non constat verbis formalibus, *conc.;* virtualibus, *nego ant.* Nutus enim quibus muti exprimunt suum consensum, habent rationem verborum et formæ, unde vocantur ab August.[1] *verba visibilia.*

res *sanctorum sanctificantur, et vim sanctificandi habent per* verba *quæ in his proferuntur.* Opusc. 5. *de fide et Sacramentis Ecclesiæ,* cap. 14.

[1] Lib. II *de Doctr. Christ.,* cap. 3.

Quæres : *Qualia sint verba sacramentalia, an promissoria et concionatoria tantum, an vero consecratoria?*

Nota. Novatores cum non aliam in Sacramentis efficaciam agnoscant, quam objectivam, ad excitandam scilicet fidem promissionum Christi, per quam solam justificemur, nobis imputata Christi justitia, consequenter Sacramentorum verba, promissoria tantum et concionatoria appellant : *promissoria* quidem, quia, inquiunt, sunt veluti sigilla pure materialia, quibus obsignatur promissio gratiæ dandæ solum per fidem promissionum : *concionatoria* vero, quatenus clara voce pronuntiata fidem audientium excitant, non minus quam excitatur per conciones. Contra quos

Resp. *Verba Sacramentorum sunt vere ac proprie consecratoria, non tantum promissoria et concionatoria.*

Prob. Illa verba sunt vere consecratoria, quæ per se et *ex opere operato* consecrant et sanctificant suscipientem cæteroquin rite dispositum ; atqui verba Sacramentorum novæ legis materie cunjuncta per se et *ex opere operato,* consecrant et sanctificant suscipientem rite dispositum, cum ex sui institutione sint causæ instrumentales collationis gratiæ, ut dicetur infra. Ergo, etc.

Confirmatur. Quia si verba Sacramentorum essent tantum promissoria et concionatoria : 1° Sacramenta non magis prodessent suscipientibus quam adstantibus, quod est absurdum ; 2° Baptismus respectu parvulorum, aut perpetuo amentium, quorum utpote ratione carentium fides excitari non potest, non esset verum Sacramentum.

Objicies : Div. August.[1] ait : *Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo? non quia dicitur, sed quia creditur ;* ergo verbum sacramentale est concionatorium aut promissorium.

Resp. *Nego conseq*. Nam hoc unum vult August. verbo sacramentali vim inesse, non quatenus est sonus materialis, sed prout fidei mysterium, et divinæ virtutis invocationem

[1] Tract. LXXX *in Joan.*

continet; unde ibidem addit : *Nam et in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens.*

Inst. Div. August. suam mentem probat isto Apostoli testimonio : *Hoc est verbum fidei quod prædicamus.* Ergo verba Baptismi vult esse concionatoria.

Resp. *Nego conseq.* Hoc enim testimonio unice utitur, ut ostendat vim spiritualiter mundandi verbis sacramentalibus non convenire ratione soni transeuntis, sed ratione sensus spiritualis, propter quem instituta sunt, et qui fidei objectum est. Inde addit : *Hoc est verbum fidei quod prædicamus, quo sine dubio, ut mundare possit, consecratur et Baptismus*[1].

ARTICULUS II.

AN MATERIA ET FORMA SACRAMENTORUM SINT A DEO FIXÆ ET DETERMINATÆ.

Nota. Materia et forma duobus modis determinari possunt, in genere nimirum et in specie.

Determinantur *in genere*, dum sub aliqua materia et forma convenienti statuitur confici Sacramentum, nullam speciem assignando, relinquendo Ecclesiæ potestatem eas in specie determinandi pro locorum et temporum diversitate. Determinantur autem *in specie*, dum ipsamet species assignatur, imposita determinantis lege, ut ea semper utantur Sacramentorum ministri, v. gr. panis et vinum pro Eucharistia, aqua pro Baptismo, etc.

CONCLUSIO I.

Christus Dominus determinavit, saltem in genere, omnium Sacramentorum materiam et formam.

Prob. 1. Quia, ex supra dictis, Christus instituit omnia novæ legis Sacramenta : ergo eorum materiam et formam

[1] Rom. x.

determinavit saltem in genere; Sacramentum enim nihil est aliud quam materia et forma simul junctæ.

Prob. 2. Non est potestas nisi a Deo data, quæ possit assumere et determinare res et verba quibus sanctificatur homo; atqui Ecclesia non sibi agnoscit talem potestatem ergo, etc.

Dices : Ecclesia mutavit materiam sacramenti Matrimonii; nam ante decretum Trident. contractus clandestinus erat illius Sacramenti materia, et nunc non est amplius valida illius materia : ergo non fuit a Christo determinata.

Resp. *Nego ant.* Ecclesia enim nihil mutavit eorum quæ sunt a Christo instituta circa Matrimonium, sed tantum determinavit in specie quod ab eo fuerat determinatum tantum generice; nimirum Christus instituit solum pro materia Matrimonii contractum legitimum inter conjuges; qualis autem pro legitimo haberi debeat, ipse non constituit, sed reliquit Ecclesiæ determinandum; nihil ergo mutavit Ecclesia quod pertineret ad substantiam eorum quæ fuerant a Christo instituta, retinuit enim legitimum contractum, sed tantum qualis esse debeat ille contractus, declaravit.

CONCLUSIO II.

Christus omnium Sacramentorum materiam et formam determinavit in specie, *non tantum* in genere [1].

Nota. Sententia contraria, quam tenet auctor noster post Bellarminum, Salmantis., Bonac., Alensem, Croix et quosdam alios, unica innititur ratione, praxi scilicet diversa Græcorum et Latinorum in sacris ordinationibus conferendis : Græci enim, inquiunt, per solam manuum impositionem, quod probat Ecclesia Latina; Latini vero etiam per exhibitionem instrumentorum, Ordinem conferunt :

[1] Certum est Christum in specie determinasse materiam et formam Baptismi et Eucharistiæ; dubium igitur vertit quoad alia Sacramenta.

ergo Christus non determinavit eamdem materiam et formam *in specie infima :* nostra vero sententia probabilior et communior ac simul Tridentino ipsi conformior, quam tuentur S. Alphonsus de Ligori, Juenin, Habert, Merbes., Contin. Tournel., Concina et alii plures post S. Thom. Sic probatur :

1. Sacramenta sunt veluti fundamenta quibus Ecclesia tota innititur; atqui non est verisimile Christum ea quæ pro Ecclesia tanti momenti sunt, noluisse per se instituere, sed aliis curam demandasse. Ergo, etc.

2. Apostolus, I *Cor.* IV, se et cæteros socios in apostolatu haberi voluit, non ut institutores, sed veluti simplices Sacramentorum administratores, dicendo : *Sic nos exístimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei*[1]. Ergo, etc.

3. Ex. S. Thom[2]. constat, qui dat hanc intrinsecam rationem : *Quia ergo sanctificatio hominis est in potestate Dei sanctificantis, non pertinet ad hominem suo judicio assumere res quibus sanctificetur; sed hoc debet esse ex divina constitutione determinatum, et ideo in sacramentis novæ legis, quibus homines sanctificantur secundum illud :* I *Cor.* VI, 11 : Abluti estis, sanctificati estis, *oportet uti rebus ex divina institutione determinatis.*

Neque valet objicere S. Doctorem loqui de determinatione *in genere,* nam, *ad primum,* expresse docet oppositum, dicens : *Etsi idem potest per diversa signa significari* (determinatione in genere), *determinare tamen quo signo sit utendum* (en determinatio in specie), *pertinet ad significantem; Deus autem est qui nobis significat spiritualia.*

4. Si tantæ institutionis potestatem haberet Ecclesia, posset ipsam materiam et formam immutare, nam qui majus concessit etiam minus concessisse censendus est; unde posset facere nunc ut quæ materia valida est, esset invalida, et vice versa; atqui probabilius id Ecclesia non

[1] I Cor. IV, 1. — [2] 3 part., quæst. 60, art. 5.

potest, tum quia hæc potestas, utpote divina, non debet admitti nisi solide et graviter probetur; jam vero solide et graviter probari nequit, neque per Scripturam, neque per Traditionem; tum quia Tridentinum expresse definivit Ecclesiam nihil posse circa substantiam Sacramentorum[1], nihil autem ad substantiam magis pertinet quam materia et forma, quippe quæ sunt partes ex quibus Sacramenta coalescunt. Ergo, etc. Ita etiam Benedictus XIV[2].

Ad rationem adversariorum respondetur diversitatem Ecclesiæ Græcæ et Latinæ non versari circa essentialia, sed accidentalia tantum. Traditio enim instrumentorum non est materia essentialis sed accidentalis, etsi integralis, ut probabimus in tract. *de sacram. Ordinis*. Ad decretum vero Eugenii IV ad Armenos, in quo legitur : *Sextum* (Sacramentum) *est Ordinis, cujus materia est illud per cujus traditionem confertur Ordo; sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenæ cum pane porrectionem: diaconatus vero...* Respondetur Eugenium non voluisse determinare materiam essentialem Ordinis, sed solum Armenos instruere de omni ritu Ecclesiæ Romanæ; unde non omnia dogmatice asseruit, sed in pluribus se ad communem loquendi modum accommodavit, alias de fide esset quemlibet minorum ordinum esse Sacramentum, cum tamen probabilius esse contrarium dicemus suo in loco.

ARTICULUS III.

DE MUTATIONE MATERIÆ ET FORMÆ SACRAMENTORUM.

Quæres 1. *Quotuplex sit materiæ et formæ mutatio?*

Resp. Duplex, substantialis scilicet et accidentalis.

Mutatio materiæ *substantialis*, est ea qua materia convertitur in aliam speciem, vel qua redditur inutilis ad sui usum; v. gr., si quis vino baptizaret, vel aqua naturali, sed congelata, ita ut non posset fieri ablutio.

[1] Sess. 21, can. 2. — [2] *De Synodo diœces.*, lib. VIII, cap. 10.

Mutatio materiæ *accidentalis*, est alteratio materiæ talis ut non convertatur in aliam speciem, nec reddatur inutilis ad sui usum, v. gr. Baptismus in aqua calefacta, vel non benedicta, etc.

Mutatio formæ *substantialis*, est conversio verborum illius in alium sensum, v. gr. : *Ego te baptizo in nomine matris*, vel *in nomine Dei*, Trinitatem non exprimendo, etc.

Mutatio *accidentalis* formæ, est alteratio verborum illius, retento eorum sensu, v. gr. : *Abluo te in nomine Patris*, etc.

Quæres 2. *An mutatio materiæ vel formæ Sacramentum irritet?*

Resp. Quælibet mutatio substantialis materiæ vel formæ, Sacramentum irritat, non autem accidentalis ; peccat tamen qui talem mutationem accidentalem efficit.

Prob. prima et secunda pars. Quia mutatio substantialis in materia vel forma, materiam vel formam Sacramenti tollit, accidentalis vero non tollit ; atqui quod tollit materiam vel formam quas Christus instituit irritat Sacramentum ; quod non tollit materiam vel formam, non irritat Sacramentum. Ergo, etc.

Prob. tertia pars. Quia non est licitum absque auctoritate aliquid addere, vel minuere illi, quod ab ipso Christo, vel ab Ecclesia ex Christi auctoritate, est decretum ; sed hoc accidit in mutatione licet accidentali Sacramentorum : ergo est illicitum. Ergo peccat, etc.

Quæres 3. *Quot modis forma Sacramentorum possit mutari, tum substantialiter, tum accidentaliter?*

Resp. Sex modis his versiculis contentis :

Nil formæ demas, nil addas, nil variabis.
Transmutare cave, corrumpere verba, morari.

Primus modus mutilationis verborum formæ fit per detractionem alicujus verbi, quæ, si sensum mutet, irritat Sacramentum ; si non mutet, non irritat.

Hinc, qui in forma Baptismi omitteret nomen unius personæ divinæ, non baptizaret; e contra, qui tantum omitteret pronomen *ego*, vere baptizaret.

Secundus modus mutationis verborum fit per additionem, quæ, si sensum verborum Christi invertat, Sacramentum invalidat; si sensum verborum Christi integrum servet, non invalidat Sacramentum.

Hinc, qui sub hac forma baptizaret: *Ego te baptizo in nomine Patris majoris, et Filii minoris*, etc., non baptizaret; econtra, qui baptizando adderet: *in nomine Patris ingeniti, et Filii geniti, et Spiritus Sancti ab utroque procedentis*, vere baptizaret; additio enim eorum attributorum, cum vere Personis divinis conveniat, non invertit substantialem verborum Christi sensum.

Tertius modus mutationis est variatio verborum; quod si verba substituta non idem clare et distincte significant, sed tantum confuse, inducunt mutationem substantialem; si vero verba substituta sint synonyma cum verbis a Christo institutis, mutatio est accidentalis.

Hinc, invalide baptizaret qui diceret: *Ego te baptizo in nomine SS. Trinitatis;* valide vero qui diceret: *Ego te abluo, tingo, lavo:* est enim idem sensus eademque significatio.

Quartus modus fit per transmutationem seu transpositionem verborum, cum qua si idem quoad substantiam remanet sensus, validum est Sacramentum; si non remanet, nullum est.

Hinc, invalide consecrat qui dicit: *Hoc corpus est meum;* valide vero qui dicit: *Hoc est meum corpus.*

Quintus modus fit per corruptionem verborum quæ si sensum tollat, Sacramentum irritat; si non tollat, non irritat.

Hinc, qui baptizando diceret: *In nomine Matris et Filii*, etc., nihil efficeret; qui vero ex ignorantia aut balbutiens diceret: *In nomine Patri et Fili et Spiritu Sancti,*

valide baptizaret, quia, ex communi audientium judicio et conditione personæ baptizantis, integer manet sensus verborum. Propter hanc rationem Zacharias Pontifex (Cap. *Retulerunt, de Consect.*) definivit Sacerdotem linguæ latinæ imperitum valide baptizasse cum hac forma · *In nomine Patria, et Filia, et Spiritua Sancta.*

Sextus modus mutationis fit per interruptionem verborum, quæ, si tanta esset, ut communi judicio non censeretur una et eadem moralis actio, et interciperetur intentio pronuntiantis, esset mutatio substantialis et consequenter nihil efficeretur; si vero hæc interruptio tanta non esset quin moraliter eadem æstimaretur actio, mutatio esset accidentalis et Sacramentum validum.

Hinc, si quis pronuntiatis his verbis : *Ego te,* post semiquadrantem pronuntiaret : *absolvo,* nihil efficeret, si vero pronuntiatis : *Ego te,* diceret pœnitenti : *elice actum contritionis,* et postea proferret : *absolvo,* valida esset absolutio.

Quæres 4. *An Minister qui formam Sacramenti accidentaliter mutaret animo inducendi novum errorem, valide Sacramentum perficeret?*

Dixi *formam accidentaliter mutaret :* quia si error non esset in forma expressus, non violaret substantialiter Sacramentum in forma consueta collatum, cum validitas formæ ex solo verborum communi sensu desumatur, non vero ex privata intentione loquentis : quapropter admissus est ab Ecclesia Baptismus ab Arianis in forma consueta datus, quamvis interius de personis Sanctissimæ Trinitatis male sentirent. Itaque

Resp. Distinguendum est : vel error expressus in forma sensum tollit, vel non. Si sensum tollit, invalidum est Sacramentum, quia mutatio est substantialis; si sensum non tollit, validum est Sacramentum, quia error est tantum accidentalis.

Porro, error tollit sensum verborum cum non facit dis-

tinctam propositionem, v. gr. : *Ego te baptizo in nomine Patris majoris, et Filii minoris*, etc.; non tollit autem sensum cum facit propositionem distinctam, ut in hac forma Baptismi : *Baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, quæ non sunt personæ æquales*, et consequenter est valida forma cum fuerit complete pronuntiata, antequam error exprimatur.

Quæres 5. *An aliquando in administratione Sacramentorum forma conditionali uti liceat?*

Resp. *affirm., cum vera adest necessitas aut justa causa.* Est certum apud omnes quoad primam partem, et communis contra paucos recentiores, quoad secundam partem.

Prob. Auctoritate Alexand. III[1] definientis : *De quibus est dubium an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmissis : si nondum baptizatus es.* Ergo, etc. Hæcque forma, quam in dubio de valore Sacramenti initerabilis, et de capacitate subjecti, præscribunt omnes libri Rituales, constanter hodie observatur.

Dices 1 cum Juenino[2] : Hæc doctrina de forma conditionata adhibenda est nova, utpote quæ octavo solum sæculo legatur in Capitularibus Caroli Magni[3], ubi primo persuasum est quod in dubio sit dicendum : *si non es baptizatus, ego te baptizo :* ergo ea non licet uti.

Resp. 1. *Dist. ant.* Est nova quoad verbum, *conc.;* quoad sensum, *nego.;* nam ex constanti Ecclesiæ praxi satis probatur prædictas formulas conditionatas semper fuisse in usu. Tantum in sæcul. VIII conditio illa quæ primo mente detinebatur, exprimi cœpit, inquit Benedict. XIV[4].

Resp. 2. *Nego conseq.* Quia ea auctoritas negativa, quæ ideo est caduci roboris, non efficit quod collatio Sacramenti conditionata in dubio, non sit magis cauta et tuta, ideoque eligenda cum agitur de valore Sacramentorum.

[1] *Extra de Bapt.*, cap. 1. — [2] Diss. 1 *de Sacram.*, quæst. 3, cap. 5, art. 1. — [3] Lib. I, cap. 181. — [4] *De Synod. diœces.*, lib. 7, cap. 6, num. 1; S. Ligor., ib. VI, num. 27.

Dices 2. Adhibendo formam conditionatam, Sacramentum exponitur periculo frustrationis. Ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Nam, ex communi philosophorum consensu, *conditio nihil ponit in esse, nisi depurata seu verificata conditione :* ergo in casu incapacitatis subjecti, vel jam collati Sacramenti initerabilis, non confertur, imo nec conficitur Sacramentum ; forma enim conditionata, v. gr. Baptismi, hoc solum exprimit : *Si non es baptizatus, te baptizo ; si autem es baptizatus, nullo modo volo te baptizare:* ergo nulli periculo frustrationis exponitur Sacramentum datum sub conditione.

Inst. Ex quo *conditio nihil ponit in esse, nisi,* etc., sequitur Sacramenta quæcumque posse conditionate conferri quandocumque et cuicumque ; absurdum consequens.

Resp. *Nego seq. maj.* Quia, licet conditio nihil ponat in esse, nisi sit purificata, tamen opus est ut Sacramenta cum summa administrentur reverentia, quæ certe non servaretur, si quandocumque et cuicumque, etiamsi conditionate, conferantur. Unde

Dixi in prima respons. *ubi vera adest necessitas,* quæ reperitur tantum in duabus circumstantiis :

1° Quando in Sacramentis non iterabilibus, post diligens examen, prudenter dubitatur an Sacramentum fuerit collatum, vel etiam an valide fuerit collatum.

2° Quando dubitatur an subjectum sit capax Sacramenti, uti contingit in homine subita vi morbi oppresso, qui nullo exteriori signo dolorem de peccatis significare potest, juxta restrictionem a nobis dandam, dum agemus de integritate confessionis : vel quando confessarius dubitat an pœnitentem absolverit.

Nota. Quod etsi tutius sit conditionem verbis exprimere, hoc tamen necessarium non esse communiter dicunt Theologi[1].

[1] S. Ligor., lib. VI, num. 29.

Quæres 6. *An liceat in Sacramentorum administratione uti materia dubia, aut probabili?*

Resp. Dum urget mortis periculum, nec materia certa suppetit, licet, imo debetur uti materia dubia aut probabili in Sacramentis necessitate medii ad salutem necessariis.

Prob. Quia cum Sacramenta, ex communi axiomate, sint propter homines, non autem homines propter Sacramenta, satius est ista periculo nullitatis exponere, quam hominem periculo damnationis æternæ. Ita Div. August.[1].

Dixi *dum materia certa non suppetit, urgetque periculum mortis;* quia, extra hos casus, uti materia dubia aut probabili est peccatum gravissimum, tum sacrilegii erga Sacramentum, quod imprudenter periculo nullitatis exponitur; tum injustitiæ erga proximum, qui periculo carendi fructu Sacramenti committitur.

Quæres 7. *Qualis conjunctio debeat esse inter formæ prolationem et materiæ applicationem?*

Resp. 1. Ut Sacramentum sit validum, debet inter formam et materiam talis esse conjunctio, ut juxta moralem hominum æstimationem, spectata natura cujuscumque Sacramenti, una cum altera unum totale signum constituere censeatur.

Dixi *spectata natura cujuscumque Sacramenti;* unde

Resp. 2. In sacramento Eucharistiæ omnismoda requiritur simultas physica, cum pronomen demonstrativum *hoc* et *hic* non possit verificari, nisi materia sit præsens.

In aliis autem Sacramentis non tanta requiritur unio, sed absque dubio sufficit ut proferatur forma dum applicatur materia, saltem antequam desistatur applicari, ut patet in sacramento Baptismi, in quo aqua non infunditur cum profertur verbum *te baptizo,* sed cum invocantur nomina personarum Sanctæ Trinitatis. Utrum vero satis sit proferre formam statim post applicationem materiæ, et vice versa, communiter affirmatur : ratio, quia in composito morali

[1] Lib. II *de Adulterin. conjug.*, cap. 28, num. 35.

quale est Sacramentum, sufficit unio moralis; sententia tamen contraria est tutior.

Porro, moralis hæc unio diversa esse debet pro diversitate Sacramentorum, unde major requiritur unio in sacramentis Baptismatis; Confirmationis, Extremæ-Unctionis et Ordinis, in quibus mora unius *Pater* invalidaret Sacramentum. Dum econtra in Pœnitentia, quæ rationem habet judicii, valide absolvitur pœnitens post horam a confessione; et in Matrimonio quod rationem contractus obtinet, sufficit ut unius consensus ponatur, dum adhuc consensus alterius moraliter perseverat[1].

Notandum hic materiam et formam applicari debere ab eodem ministro et erga idem subjectum, quia si unus poneret materiam et alter formam, sensus verborum non verificaretur, nullumque foret Sacramentum.

CAPUT IV.

DE MINISTRO SACRAMENTORUM.

Nota. Duplex est Sacramentorum minister : primarius nimirum, et secundarius.

Minister *primarius* est ille cujus nomine Sacramenta administrantur, et est Christus ut homo propter unionem hypostaticam cum Verbo divino, de quo dicitur[2] : *Hic est qui baptizat.*

Minister secundarius est ille, qui nomine Christi potest valide conficere Sacramentum; et hic iterum duplex est, nempe : *ordinarius,* qui secundum legem a Christo præscriptam potest valide conficere Sacramentum, et *extraordinarius,* qui præter hanc legem Christi ordinariam ad Sacramenta conficienda et dispensanda committi potest.

De ministro extraordinario nemini dubium est quin Deus quamlibet creaturam rationalem, sive sit angelus, sive

[1] S. Alph. de Ligor., lib. VI, num. 9. — [2] Joan. I, 33.

anima separata, ad Sacramenta conficienda possit deputare; Deus enim non ita suam virtutem alligavit Ecclesiæ ministris, quin possit ipsam aliis tribuere. Itaque

De solo ministro ordinario[1] hic quæritur : 1° quis sit; 2° quænam ex ejus parte requirantur ut Sacramentum legitime perficiat. Unde

ARTICULUS I.

QUIS SIT ORDINARIUS SACRAMENTORUM MINISTER.

CONCLUSIO.

Solus homo viator, ratione utens, potest esse minister ordinarius Sacramentorum.

Prob. Ille solus potest esse minister ordinarius Sacramentorum, quem Christus ad hoc munus deputavit; atqui Christus solum hominem viatorem ratione utentem ad hoc munus deputavit; nam illi soli dixit[2] : *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos.* Et[3] : *Hoc facite in meam commemorationem*[4]. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Unde Apostol. non alios quam homines designat dicens[5] : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Ergo, etc.

Confirmatur ex Apostolo[6], qui conditiones recensens prærequirit in ordinario ministro ut : *condolere possit iis qui ignorant et errant, quoniam et ipse circumdatus est infirmitate; et propterea debet quemadmodum pro populo, ita*

[1] Cum juxta protestantium systema non aliam vim habeant Sacramenta nisi excitandi fidem qua justi efficimur, duo ut veluti corollaria colligunt : 1° valide ea posse administrari seu conferri a quovis sive clerico, sive laico, sive masculo, sive fœmina, imo etiam a diabolo ipso, ut asserit Lutherus, lib. I, *de Missa privata;* 2° ea valere utcumque administrata etiam absque ulla intentione, vel irrisorie et mimice. In contrarium excessum inciderunt Waldenses, Albigenses, Wicleffitæ et Hussitæ, ut infra dicetur.

[2] Matth. XXVIII, 19. — [3] Luc. XXII, 19. — [4] Joan. XX, 23. — [5] I Cor. IV, 1. — [6] Ad Hebr. V, 2.

etiam et pro seipso offerre pro peccatis; atqui solus viator est in ea conditione: ergo, etc.

Suffragatur ratio. Etenim cum Sacramenta instituta sint pro statu vitæ, et pro Ecclesia militante, consentaneum est ut horum ministri sint pars ejusdem Ecclesiæ et de corpore viatorum.

Quæres : *An quilibet homo viator sit minister Sacramentorum?*

Resp. Excepto Baptismo propter summam ejus necessitatem, et Matrimonio propter specialem rationem contractus in quo situm est Sacramentum, quilibet homo viator non potest conferre Sacramenta, sed is solus qui rite in Ecclesia ad hoc ordinatur. Est de fide definita in Concil. Trident. contra Lutherum[1] his verbis *: Si quis dixerit Christianos omnes in Verbo, et omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.*

Prob. Si omnes Christiani essent ordinarii Sacramentorum ministri, nulla in Ecclesia foret diversitas graduum et officiorum; atqui falsum consequens ex Apost.[2] dicente : *Numquid omnes Apostoli, numquid omnes Doctores?* Et Roman. xii asserit nos habere *donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes... sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina,* etc. Ergo, etc.

Dices I : *Epist. Petri* ii, omnibus Christianis dicitur : *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium :* ergo omnes christiani sunt Sacerdotes.

Resp. *Dist. conseq.* Sunt Sacerdotes improprie et metaphorice, propter spirituales hostias quas Deo per Christum offerunt, *conc.;* vere et proprie, ratione ordinationis, *nego conseq.;* eodem nimirum sensu omnes christiani Sacerdotes dicuntur reges, quia suis affectibus dominari tenentur. Ergo, etc.

Inst. Tertull. habet[3] : *Nonne et laici Sacerdotes sumus?*

[1] Concil. Trident., sess. 7, can. 10. — [2] I Cor. xii, 19.— [3] Lib. *de Exhort. virgin.*, cap. 7.

differentiam inter Ordinem et plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, et honor per Ordinis concessum sanctificatur; ideo ubi Ecclesiastici ordinis non est concessus, et offers, et tingis, et sacerdos es tibi solus. Ergo.

Resp *Nego conseq.* Nihil enim debet concludi ex illo libro quem, postquam defecit ab Ecclesia, scripsit Tertullianus, qui[1] in contrarium sic locutus erat : *Ipsæ mulieres hæreticæ quam procaces, quæ audeant docere, exorcismos agere, forsitan et tingere. Ordinationes earum temerariæ, leves, inconstantes... Nam et laicis sacerdotalia munera injungunt.*

ARTICULUS II.

QUÆNAM EX PARTE MINISTRI REQUIRANTUR, UT SACRAMENTA LEGITIME PERFICIAT.

Nota. Tria ad Sacramentorum legitimam administrationem requiruntur, intentio scilicet, fides et probitas; de quibus duplici sectione.

SECTIO I.

De intentione ministri Sacramentorum.

Nota 1. Intentio est *actus deliberatus voluntatis, quo quis aliquid vult facere.*

Nota 2. Intentio spectari potest : 1° ex parte objecti ad quod fertur; 2° ex modo quo ad illud fertur; sicque de Sacramentorum ministri intentione duæ moventur difficultates . *prima,* eaque acerrima inter Theologos, est de objecto intentionis ministri, nempe quid, dum Sacramenta conficit et administrat, intendere debeat; *secunda,* de gradu intentionis ejusdem, seu quanta esse debeat; quæ solventur duplici puncto.

[1] Lib. *de Præscript. hæret.*, cap. 4.

PUNCTUM I.

DE OBJECTO INTENTIONIS MINISTRI.

Nota. Minister deliberate ritum sacramentalem exercens, plura potest intendere, et quidem :

1° Jocosam Ecclesiæ cæremoniarum repræsentationem, ut si quis in theatro Baptismi ritum mimice imitetur, et hæc intentio appellatur *jocosa et Lutherana.*

2° Potest intendere ritum externum Sacramenti, v. gr. applicationem materiæ formæ, ita in hoc sistendo, ut prætermittat intentionem conficiendi id quod intendit Christus vel Ecclesia, vel etiam ex malitia velit positive in celebratione hujusce ritus, intentioni Christi et Ecclesiæ refragari, dicendo : *Volo facere actum baptizandi quem facit Ecclesia, sed nolo conficere sacramentum Baptismi,* vel : *Nolo facere quod facit Ecclesia, imo contrarium intendo.* Et hæc est intentio quæ vocatur *externa*, quæ sic definitur :

Intentio externa est *ea qua minister in debitis circumstantiis ac serio externum Sacramenti ritum perficit, intus tamen suam retinet intentionem, imo contrarium gerit, dicens :* Nolo facere quod facit Ecclesia, imo contrarium intendo.

3° Potest intendere ritum illum externum quatenus generatim est ritus Christi et Ecclesiæ, isque sacer; non cogitando tamen expresse de Sacramento, et hæc intentio vocatur *interna,* et sic definitur :

Intentio interna est *ea qua minister simul ac sacramentalem ritum exercet, interius et apud se intendit ritum illum celebrare saltem generatim et confuse quatenus Sanctus, licet non intendat illum celebrare formaliter ut est Sacramentum.*

4° Potest intendere ritum sacramentalem, volendo in particulari et distincte Sacramentum, formaliter ut est Sacramentum, efficere.

5° *Denique potest intendere expresse effectum ritui sacramentali annexum*, nempe gratiam et characterem. His præmissis, certa ab incertis sunt secernenda.

Certum est 1° Ad valorem Sacramenti non requiri ut minister expresse intendat effectus Sacramenti; nam valet Baptismus collatus a pagano ejus effectum ignorante, vel etiam ab hæretico negante gratiam per illum conferri, ut definitum est in variis Conciliis[1].

Certum est 2° Non requiri ut minister explicite intendat perficere Sacramentum formaliter ut est Sacramentum, propter rationem mox adductam, tum quia Ecclesia recipit Baptismum a Judæo, vel Pagano forma legitima datum, etiamsi illum esse Sacramentum ignorent vel negent. Sufficit enim ut generatim et confuse velint agere quod facit ea societas quam Ecclesiam vocant, quæcumque illa sit, sive Romana, sive Lutherana; ratio est, quia qui facere intendit quod facit Ecclesia Lutherana, ille generatim, implicite et confuse intendit facere quod facit vera Ecclesia, licet ex errore credat Ecclesiam Lutheranam esse veram Christi Ecclesiam; error enim privatus ministri non destruit veritatem generalis intentionis faciendi quod facit Ecclesia Christi.

Jocosam ritus sacramentalis adumbrationem non sufficere, probabimus contra Lutherum, qui cum rem omnem Sacramenti in fide excitata a signo sensibili reponat, ideo deridet omnem intentionem quæ in eo requiri dicatur, docetque nudam ejus actionem exteriorem etiam joco et irrisione factam, sufficere ad valorem Sacramenti.

Lis autem magna devolvitur inter Catholicos ad externam et internam intentionem; quæriturque utrum ad valorem Sacramenti sufficiat *externa* superius explicata, an insuper requiratur *interna*, qua minister intendat saltem generaliter et implicite quod Christus instituit, seu quod faciunt Christiani, vel etiam quod a ministro postulatur; en status

[1] Rothomag., ann. 1581; Remense, ann. 1583; Aquense, ann. 1585.

hujus celebris quæstionis, circa quam duæ circumferuntur theologorum sententiæ.

Prima statuit ad valorem Sacramenti sufficere solam intentionem ponendi præcise ritum externum, etiamsi minister ritum illum irrideat, vel infidelitate detestetur, aut etiam protestetur se nolle facere, id est, intendere quod facit, id est, intendit Ecclesia, sollicitus tamen ne quidquam necessarium ab Ecclesia existimatum prætermittat[1].

Secunda statuit non sufficere in ministro intentionem serio peragendi ritum externum, sed vult insuper requiri intentionem saltem implicitam et generalem faciendi ritum ut sacrum, id est, sicut Christus eum instituit et Ecclesia facit, ita ut, si minister negligentia vel malitia sua intentionem hanc retineat, Sacramentum sit irritum[2].

CONCLUSIO I.

***Ad** valorem Sacramenti non sufficit jocosam ritus sacramentalis adumbratio; sed requiritur externa intentio faciendi quod facit Ecclesia.*

Propositio est de fide, prout definivit Concil. Trident.[3] dicens : *Si quis dixerit in ministris, dum Sacramenta conficiunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia; anathema sit.*

Prob. 1. *Ex S. Scriptura :* Apost.[4] dicit : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei;* atqui qui jocose, mimice et modo theatrico agit, dici non potest nec æstimatur minister Christi; quis enim dicit ministrum seu dispensatorem regis, qui non serio et ex

[1] Ita Juenin, Contensonius, Serry, Genettus, P. Milant, Catharinus quem hujus sententiæ auctorem faciunt Bellarm. et Lugo, a quo tamen illum alii vindicant. — [2] Ita Tourn., Collet, Suarez, Salm., Bonac., Benedict. XIV, *de Synod.*, lib. VII, c. 4, num. 9 et alii plurimi. — [3] Sess. 7, can. 11, et sess. 14, can. 4. — [4] I ad Cor. IV.

rationis proposito, sed histrionis instar, vel dormiens aut ebrius mandata et munera regis dispensaret : ergo, etc.

Item, Christus Apostolis dedit potestatem in Sacramenta dicens[1] : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt;* atqui potestas faciendi, vel non faciendi, non exercetur nisi ex deliberatione et proposito in agendo : ergo, etc.

Prob. min. Minister non est instrumentum inanimatum, sed animatum et intelligens; atqui instrumentum animatum et intelligens non solum movetur, sed movet seipsum ex deliberatione et intentione : ergo, etc.

Confirmatur. Confectio Sacramentorum est actus moralis; atqui actus non dicuntur morales, nisi in quantum homo agit serio et ex intentione peragendi, saltem externa : ergo, etc.

Prob. 2. *Ex absurdis.* Ex hæreticorum errore sequeretur : 1° quod mater abluens infantem cum invocatione sanctissimæ Trinitatis illum baptizaret; 2° quod stultus infundens aquam e fenestra in catechumenum transeuntem, proferens jocando formam Baptismi, ipsum baptizaret; 3° quod sacerdos legens in mensa verba consecrationis, panes appositos et vinum consecraret; hæc autem sunt absurda : ergo, etc.

Solutio difficultatum patebit ex conclusione sequenti.

CONCLUSIO II.

Ad valorem Sacramenti non sufficit intentio externa, sed insuper requiritur interna.

Prob. *Unico syllogismo :* In statuendis illis quæ a sola Dei voluntate pendent, sententia illa ut sola vera et tutior est amplectenda, quæ deducitur ex Conciliis, Summorum Pontificum decretis, necnon ex præcipuis Ecclesiæ Patribus; atqui talis est nostra conclusio : ergo etc.

[1] Joan. xx.

Prob. prima pars min. 1. Ex Concil. Trident. definiente[1] : *Si quis dixerit in ministris, dum Sacramenta conficiunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.* Et de pœnitentia[2] ait : *Non debet pœnitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut etiamsi nulla ipsi adsit contritio, aut Sacerdoti animus serio agendi, et vere absolvendi desit, putet tamen se propter solam suam fidem, vere et coram Deo esse absolutum,* etc.

2. Ex Concilio Constantiensi, quod suspectos de hæresibus a Concilio damnatos interrogari jubet, *an credant quod malus Sacerdos cum debita materia et forma, et cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, vere absolvat et vere conficiat alia Sacramenta.*

3. Ex Concilio Florentino dicente : *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, quorum si unum desit, non perficitur Sacramentum.*

Ex his omnibus sic arguo :

Requiritur in ministro intentio faciendi quod facit Ecclesia juxta Concilia; atqui per intentionem illam non alia potest intelligi præter internam : ergo, etc.

Prob. min. Per illa verba non potest intelligi intentio externa; jam enim sufficienter fuerat subintellecta per verba anteriora Tridentini, *serio agendi;* et per ista Concilii Constantiensis, *cum debita materia et forma;* demum per ista Concilii Florent. : *Perficiuntur rebus tanquam materia, et verbis tanquam forma.* Ergo Concilia, præter intentionem seriam externam, insuper requirunt intentionem mentalem et internam.

Reponunt adversarii : Concilia, maxime Tridentinum, voluisse tantum condemnare errorem Lutheri docentis jocum externum et manifestum non impedire valorem Sacramenti.

Resp. Fateor : sed vitium Sacramenti per jocum etiam

[1] Sess. 7, can. 11. — [2] Sess. 14, can. 6.

externum collati, non ex ipsa præcise fictionis manifestatione nascitur (declaratio enim illa vitium supponit ac prodit, non facit), sed ex defectu debitæ intentionis; atqui defectus ille toties occurrit quoties minister ritum externum ac materialem Ecclesiæ, etiam serio exterius observat, intus vero non intendit observare, sed fingere ac simulare. Ergo, etc.

PROB. SECUNDA PARS MIN.: nempe conclusionem nostram deduci ex decretis Summorum Pontificum. Alexander enim VIII hanc[1] propositionem damnavit : *Valet Baptismus collatus a ministro qui omnem ritum externum observat; intus vero in corde suo apud se resolvit : non intendo facere quod facit Ecclesia...* Unde sic arguo :

Minister qui ritum omnem externum observat, habet intentionem externam; atqui, ex Alexandrino decreto, non baptizat valide : ergo intentio externa non sufficit. Mirum est quantum hæc damnata propositio et argumentum inde deductum, adversarios contorqueat.

PROB. TERTIA PARS MIN. Ex Div. Thom.[2] dicente : Ad valorem Sacramenti *requiritur* in ministro conficiente Sacramentum *intentio, qua se subjiciat principali agenti, id est, qua intendat facere quod instituit Christus, quodque intendit facere Ecclesia;* atqui quod Christus instituit, quodque intendit Ecclesia est Sacramentum : ergo ad valorem Sacramenti necessaria est intentio faciendi Sacramentum, saltem implicite, id est, faciendi quod faciunt Christiani.

Confirmatur proposit. 1° Christus voluit ut Sacramenta conficerentur ab hominibus ut ejus ministris; sed homo non potest se gerere ut minister Christi et Ecclesiæ, quin facere intendat quod facit Ecclesia, vel quod Christus instituit. Ergo, etc.

2° Quæ in Sacramentis peraguntur ad plura referri possunt, prout ablutio in Baptismo referri potest ad munditiem corporalem et spiritualem; ideo oportet ut per intentionem

[1] Ann. 1690. — [2] 3 part., quæst. 64, art. 8, ad 1.

explicitam abluentis, vel implicitam in intentione Ecclesiæ contentam referatur et determinetur ad unum, id est, ad effectum sacramentalem; atqui illud fieri non potest nisi minister intendat facere quod intendit Ecclesia : ergo, etc.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Ecclesia semper existimavit interiorem ministri intentionem ad Sacramenti validitatem non esse necessariam. Ergo, etc. Resp. *Nego ant.*

Prob. ant. Ecclesia validum reputavit Baptismum a mimis celebratum; sic probavit Baptismum a mimo collatum sancto Genesio, dum mimum ipse ageret[1]. Ergo.

Resp. *Dist. ant.* Ecclesia validum reputavit Baptismum a mimis intendentibus facere quod facit Ecclesia celebratum, *conc.;* a mimis mimice agentibus, *nego ant.*

Neminem itaque latet sanctum Genesium, dum stante Diocletiano mimum ageret, necnon mysteria Christianorum illudendo repræsentaret, subito a Deo conversum sincero animo Baptismum suscepisse, monuisseque sodalem suum a quo baptizabatur, ut sincere ac serio ageret; unde quantum fuit de se, accepit Baptismum saltem in voto, quod sufficit, ut ei promitteretur salus, et per subsequens martyrium, illam de facto obtineret.

Objicies 2. Sufficit ad valorem Sacramenti intentio ponendi præcise ritum externum. Ergo, etc.

Prob. ant. Ad valorem Sacramenti sufficit debite observare ritum a Christo institutum; atqui minister qui habet intentionem ponendi præcise ritum externum, ritum Christi debite observat. Ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Ritus enim a Christo institutus importat ipsam internam ministri intentionem.

Prob. min. Catharinus, insignis ex ordine Prædicatorum theologus, stante Concil. Trident., cui ipse aderat theologus, edocuit ad valorem Sacramenti sufficere intentionem

[1] Ita referunt Socrates et Sozomenus.

externam, nec improbatus fuit a Patribus Tridentinis. Ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Nusquam enim docuit Catharinus validum esse Sacramentum quod minister perficit, vel per jocum externum, vel internum, qui ad Sacramenti substantiam terminetur; sed eam tantum intentionem judicat necessariam non esse, quæ terminatur vel ad ritum externum sub ratione formali Sacramenti, vel ad ejus effectum. Ita seipsum clare exponit Catharinus his verbis : *Non alia intentio ministri requiritur, nisi ut intendat exterius agere quod facit Ecclesia, quamvis ipse neque credat Ecclesiam esse, neque ullum Baptismi spiritualem effectum, sed satis est ut intendat facere quod Ecclesia jubet per ministros fieri.*

Inst. Forma Sacramentorum independenter ab intentione interna ministri est operativa. Ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Forma enim Sacramenti ex Christi intentione suam efficacem significationem non habet, nisi intentione ministri determinetur; sicut enim forma determinat materiam, ita intentio determinat formam ad esse sacramentale.

Prob. ant. Quod producit effectum suum *ex opere operato* est operativum independenter ab intentione ministri; atqui forma in Sacramentis producit effectum suum *ex opere operato* : ergo, etc.

Resp. *Nego maj.* Ratio negati est, quod intentio ministri in ipsomet opere operato ex intentione Christi includatur, tanquam causa perficiens Sacramentum per legitimam materiæ et formæ applicationem, non ex merito dantis vel accipientis, sed virtute ipsius operis a Christo instituti, debite celebrati; at debite non celebratur nisi interius minister velit et intendat illud celebrare. Ergo, etc.

Subsumes 1. Atqui intentio ministri non continetur in opere operato. Ergo, etc.

Prob. subsumpt. Opus operatum in Sacramentis est id tantum quod constituit signum sensibile; atqui intentio

ministri non est ex eis quæ constituunt signum sensibile. Ergo, etc. Resp. *Nego min.*

Prob. min. Quod non est sensibile, non potest esse ex iis quæ constituunt signum sensibile; atqui, etc.

Resp. *Dist. maj.* Non potest esse ex iis quæ constituunt signum sensibile speculativum, *conc.;* practicum, *nego maj.*, et sic ad consequens.

Itaque, verba illa sunt speculativa, quorum totus effectus stat in significando; practica vero, quæ aliquid operant et supponunt voluntatem, proindeque intentionem in imperante; cum ergo Sacramentorum forma constituatur verbis practicis, sequitur ea supponere in eo a quo proferuntur, voluntatem faciendi quod significant, ac consequenter ad signum practicum intentionem absolute requiri.

Subsumes 2. Atqui non requiritur intentio ministri ad constituendam formam practicam. Ergo, etc.

Prob. subsumpt. Sententia judicis est operativa, etiamsi privatam intus gerat intentionem suæ sententiæ repugnantem (dum nimirum damnat eum quem vellet absolvere): ergo similiter Sacramenti minister validum conficit Sacramentum absque intentione interna, imo cum intentione repugnante.

Resp. *Nego conseq.* Ratio disparitatis est, quia valor sententiæ judicis pensatur ex hominum sensu, qui externa solum norunt, quique ut validam acceptant sententiam juxta præscriptum legis prolatam. At vero Sacramentorum validitas spectat præcipue ad Dei judicium, cui etiam interna subsunt, quique in præsenti casu exigit a suis ministris ut materiam cum forma uniant; quod fit per intentionem ministri.

Subsumes 3. Atqui non requiritur intentio in ministro.

Prob. subsumpt. Minister Sacramentorum se habet ut instrumentum Christi, non ut præcipuum agens; atqui in instrumento non requiritur intentio, sed sufficit intentio præcipui agentis. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Minister se habet ut instrumentum Christi animatum, *conc.;* inanimatum, *nego maj.* Sed in instrumento animato quod ab alio facultatem accipit rem aliquam si placuerit perficiendi, requiritur intentio.

Subsumes 4. Atqui in instrumento animato non requiritur intentio. Ergo, etc.

Prob. conseq. Ex Div. August.[1], qui, cum postulasset quid sentiendum sit de Baptismo mimice administrato, videtur in eam propendere sententiam, quod sit valide administratus; imo asserit *se non dubitare etiam illos habere Baptismum, qui, quamvis fallaciter id accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt, aut ubi putatur esse Ecclesia ab iis in quorum societate id accipitur :* unde sic argumentor :

Div. August. docet ratum ac validum esse Baptisma fallaciter datum et acceptum in Ecclesia Catholica, vel quæ putatur Catholica; atqui nulla potest esse intentio intensior in ministro fallaciter agente : ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Div. August. docet validum esse Baptisma datum cum fallacia et simulatione et nomine fallaciæ intelligit S. Doctor absentiam fidei, aut rectam de Sacramento ejusque effectu ministri sententiam, *conc.;* et intelligit absentiam debitæ in ministro intentionis internæ qua generatim velit facere quod facit Ecclesia, *nego maj.*

Itaque simulatio, de qua S. Augustinus loquitur, importat tantum defectum fidei circa ritum sacramentalem.

Subsumes 5. Atqui per fallaciam, de qua August., intelligi non debet defectus fidei erga Sacramentum, sed defectus intentionis. Ergo, etc.

Prob. subsumpt. Div. August. ibid. ait : *An plus valent, ad confirmandum Sacramentum illi veraces inter quos agitur, quam ad frustrandum illi fallaces a quibus agitur, et in quibus agitur, et tamen si postea probatur, nemo repetit,*

[1] Lib. 7 *contra Donatistas* qui Baptismum sine fine datum vel acceptum, nullum esse contendebant.

sed aut excommunicando punitur illa simulatio, aut pœnitendo sanatur. Unde sic arguo :

Div. August. agit de illa fallacia quæ, cum datur Baptismus in hæreticorum societate, non in totam societatem cadit, sed in aliquos duntaxat societatis ; atqui hæc fallacia non est absentia fidei, utpote quæ cadat in omnem societatem hæreticorum : ergo est absentia intentionis interioris, quæ cadit in dantem Sacramentum.

Resp. *Dist. min.* Hæc fallacia non est absentia fidei supernaturalis, *conc.;* fidei humanæ circa effectum Sacramenti, *nego min.*

Itaque, quando dicimus per fallaciam, de qua August., intelligendam esse absentiam fidei, non intelligimus, ubi agitur de hæreticis, fidem supernaturalem, quam certum est illis non esse ; sed intelligimus tantum eos non credere fide humana, seu ritum qui exercetur, esse verum Sacramentum, seu gratiam ab hoc ritu produci.

Objicies. 3. Div. Thom.[1], cum sibi objecisset ingens sequi incommodum si requiratur intentio, scilicet suscipientem fore semper anxium de suscepti Sacramenti validitate propriaque salute, sic respondet : *Dicendum quod circa hoc duplex est opinio : quidam enim dicunt quod requiritur mentalis intentio in ministro, quæ, si desit, non perficitur Sacramentum ; alii melius dicunt, minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, in verbis autem quæ profert exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur.* Unde sic arguo :

Ex Div. Thoma intentio Ecclesiæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exprimatur : ergo intentio mentalis non requiritur.

Resp. *Dist. ant.* Sufficit intentio Ecclesiæ, cui minister suam saltem implicite conformat, volendo facere quod facit Ecclesia, *conc.;* cui suam taliter non conformat, *nego ant.*

[1] 3 part., quæst. 64, art. 8 ad 2.

Scipsum explicat Div. Thom., art. sequenti[1], loquens de eo qui confert Sacramentum credens illud nullum effectum spiritualem producere, his verbis : *Non obstante infidelitate, potest intendere facere quod facit Ecclesia, licet existimet id nihil esse, et talis intentio sufficit ad Sacramentum, quia, ut supra dictum est, minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cujus fide suppletur id quod deest fidei ministri.* Nullum dubium hæc verba relinquunt circa mentem Div. Thomæ.

Ad Innocent. IV, eodem modo respondendum est; dicit quidem *valere Baptismum, licet minister gerat in mente non facere quod facit Ecclesia;* verum addit : *dummodo intendat baptizare.* Solum itaque vult validum esse Baptismum etiamsi minister nolit effectum Sacramenti conferre, et sufficere quod Sacramentum facere intendat.

Objicies 4 Aliqua facta. 1° S. Athanasius (ut referunt Rufinus[2], Socrates[3] et Sozomenus[4]), cum adhuc puer esset, pueriliter agens alios pueros baptizavit, hunc que Baptismum probavit Alexander, episcopus Alexandrinus. 2° Narrat Nicephorus[5] pueros natantes ad mare, puerum Hebræum baptizasse, qui ut vere baptizatus receptus fuit in Ecclesia Constantinopolitana. Ergo, etc.

Resp. 1. Si illud baptisma fuit datum a pueris illis per jocum, argumentum illud tam est solvendum ab adversariis quam a nobis; alias inciderent in errorem Lutheri.

Resp. 2. *Nego conseq.* Certum est enim, ex Rufino, Alexandrum cum Sacerdotibus examinasse diligenter Athanasium, non solum de materia et forma debita, sed etiam an intentionem habuerit faciendi id quod facit Ecclesia, quo comperto idcirco validum pronuntiavit Baptismum; idem factum est de aliis pueris relatis a Nicephoro.

Objicies 5. Ex nostra sententia sequeretur maximum inconveniens, nempe posse deficere Ecclesiam. Ergo, etc.

[1] Quæst. 64, art. 8 ad 1. — [2] Lib. I, cap. 14. — [3] Lib. I, cap. 5. — [4] Lib. I, cap. 17. — [5] Lib. III, cap. ult.

Prob. Demus quod Titius in ordinandis Presbyteris careat intentione interna, certe non erunt ordinati; demus iterum quod aliqui ex his fiant Episcopi, ordinationes ab illis peractæ erunt irritæ, et sic sensim per totum orbem deficerent Pastores et Presbyteri : ergo et deficeret Ecclesia.

Resp. Illud argumentum potest retorqueri in adversarios; nam ipsi saltem contra pseudoreformatos admittunt intentionem serio agendi, quæ, licet dicatur *exterior* respectu objecti externi quod respicit, de facto tamen est *interna* respectu ministri; quid igitur si Titius non haberet hanc intentionem serio agendi? nonne eveniret idem inconveniens Presbyterorum falsorum?... Dicendum igitur munus esse divinæ Providentiæ nobis per Christum promissæ, ut ejus Ecclesia non sic falsificetur, saltem per longam hominum seriem; et sic respondere debent adversarii.

Inst. Ex nostra sententia sequeretur saltem quod plerumque homines ad Sacramentum accedentes, non haberent certitudinem salutis, cum præcipue quædam Sacramenta sint necessaria ad salutem; sed hoc est maximum inconveniens : ergo, etc.

Resp. Alii dicunt quod hunc defectum in pueris qui non possunt accedere ad Sacramentum supplet Christus minister principalis. In adultis autem accedentibus supplet devotio, non quidem quoad characterem qui est quid proprium Sacramenti, sed quoad justificationem a peccatis, quod sufficit ad salutem.

Alii vero concedunt instantiam, si agatur de pueris, cum scriptum sit : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, etc., sed *negant conseq.;* nam Christus instituens leges Sacramentorum, sufficientia præbuit omnibus media salutis, et voluit ista media singulis impertiri juxta leges a seipso conditas; atqui legislator in sua generali provisione, non tenetur rationem habere de accidentalibus. Ergo licet ex illa generali dispositione quandoque quis per accidens patiatur detri-

mentum, non est ratio cur ea quæ statuta sunt inficiantur, maxime cum plura sint media saluti hominis providendi.

Præterea, eadem difficultas incombit adversariis; admittunt enim quædam esse Sacramenta de necessitate salutis; sed ista sive nulla sint defectu intentionis, sive non conferantur defectu sollicitudinis vel voluntatis ex parte ministri, maximum sequitur incoveniens : ergo, etc.

PUNCTUM II.

DE GRADU INTENTIONIS EX PARTE MINISTRI, SEU QUALIS ET QUÆNAM ESSE DEBEAT.

Nota. Intentio est quadruplex : *actualis* nimirum, *virtualis*, *habitualis* et *interpretativa*.

Actualis, est præsens animi applicatio ad id quod agitur.

Virtualis, est ipsamet actualis quæ præcessit, ac moraliter perseverat in ministro, quandiu intentione contraria non fuit revocata. Talis est intentio in Sacerdote qui, ex actuali voluntate consecrandi, induit se vestibus sacris, Missam inchoat, sed paulo post distrahitur; consecrat nihilominus virtute illius intentionis, quæ moraliter perseverat.

Habitualis, duplex est : *Prima* est facilitas operandi ex actibus sæpe repetitis comparata; hæc potest etiam dici potentialis. *Secunda* est ea quæ fuit actu elicita, nec fuit revocata, sed est vel somno, vel vino, vel notabili temporis mora interrupta, ita ut non influat in actum humanum, nec per se, nec per virtutem a se relictam.

Interpretativa, est ea qua quis aliquid vult tantum in causa; vel est ea quæ nec est, nec fuit, sed esset, si ejus objectum proponeretur voluntati; unde non est intentio, sed solum intentionis præsumptio. His præmissis, sit

CONCLUSIO I.

Intentio actualis (quamvis maxime optanda) ***non requiritur in ministro Sacramentorum; habitualis vero non sufficit.***

Prob. prima pars. Illa intentio quæ non est in nostra potestate, non requiritur necessario in ministro Sacramentorum; atqui talis est intentio actualis, *quia cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare,* inquit Div. Thom[1]. Ergo, etc.

Prob. secunda pars. Illa intentio non sufficit quæ actionem humanam non dirigit; atqui talis est intentio habitualis, utpote quæ in dormiente et ebrio reperiri potest. Ergo, etc.

Dices 1. Div. Thom.[2] requirit tantum intentionem habitualem in ministro Sacramentorum : ergo sufficit.

Resp. *Nego ant.* Nam Div. Thomas, nomine intentionis *habitualis*, intelligit eam quam *virtualem* appellamus; loquitur enim ibi de intentione quæ manet in distracto paulo post actionem incœptam.

Dices 2. Intentio habitualis sufficit ad Sacramentum valide recipiendum : ergo eadem sufficit ad illud conficiendum.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod minister sit causa efficiens Sacramenti; suscipiens vero est illius subjectum; porro plus requiritur ad agendum quam ad recipiendum.

Subsumes : Atqui intentio habitualis sufficit in causa agente.

Prob. subsumpt. Intentio habitualis sufficit ad applicandum alicui sacrificium Missæ : ergo sufficit etiam ad Sacrificium et Sacramentum efficiendum.

[1] 3 part., quæst. 64, art. 8, ad 3. — [2] Ibid.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod applicatio sacrificii Missæ sit quædam donatio quæ valet donec retractetur; at intentio faciendi Sacramentum est causa efficiens Sacramenti; causa autem, ut producat effectum, debet existere saltem virtualiter.

CONCLUSIO II.

Intentio interpretativa non sufficit ad Sacramentum conficiendum.

Prob. Intentio quæ non applicat agentem ad actionem, non sufficit ad Sacramentum conficiendum; atqui intentio interpretativa non applicat agentem ad actionem, cum non existat actu, nec virtute. Ergo, etc.

CONCLUSIO III.

Intentio virtualis requiritur et sufficit ad Sacramentum conficiendum.

Prob. Illa intentio requiritur et sufficit ad Sacramentum valide conficiendum, quæ requiritur et sufficit ad ponendum actum humanum et liberum; atqui intentio virtualis ad hoc, etc., ut constat in contractibus. Ergo, etc.

Quæres : *An intentio ministri dirigi debeat ad rem determinatam, præsentem et sensibilem?*

Resp. *affirmative.*

Prob. Quia intentio ministri debet proportionari formæ, alias unum vellet et aliud exprimeret; atqui forma Sacramentorum materiam aut personam determinatam, præsentem et sensibilem exprimit : *Ego te baptizo; Hoc est corpus meum,* etc. Ergo, etc.

Resolves 1. Si quis ex pluribus hostiis unam tantum consecrare vellet, nullam determinando, nullam consecraret.

Resolves 2. Cum Sacerdos consecrat hostias, si una esset sub calicis pede, vel sub corporali, non esset consecrata, quia non esset præsens nec ratione sui, nec ratione continentis, cum hæc ad continendum non sint nata.

Resolves 3. Non posse consecrari materiam panis adeo parvam, ut *de se* perceptibilis non sit.

Dixi *de se*, quia fragmenta de se non perceptibilia possunt consecrari simul cum aliis hostiis, per quas sunt perceptibilia.

SECTIO II.

De fide et probitate ministri Sacramentorum.

Nota. Hic quatuor quæruntur : 1° utrum hæretici aut peccatores valide possint administrare Sacramenta; 2° utrum licite possint eadem administrare; 3° utrum liceat Sacramenta petere et accipere ab improbis ministris; 4° utrum liceat Sacramenta administrare peccatoribus.

PUNCTUM I.

UTRUM HÆRETICI ET PECCATORES VALIDE POSSINT ADMINISTRARE SACRAMENTA.

Nota. Sæculo Ecclesiæ tertio exarsit inter Stephanum, Summum Pontificem ex una parte; Cyprianum, Carthaginiensem episcopum, Firmilianum, Cæsariensem in Cappadocia, cæterosque Africanos et Orientales Episcopos ex altera, celebris controversia circa Baptismum ab hæreticis collatum, quem validum negabat Cyprianus cum asseclis, et ideo baptizatos ab hæreticis rebaptizabant.

Hunc errorem quarto Ecclesiæ sæculo renovarunt Donatistæ, et extenderunt ad omnem peccatorem sive publicum, sive occultum, ut refert sanctus Augustinus[1]. Sed argumentis Catholicorum convicti, ad solos peccatores pu-

[1] Lib. II *contra Crescon.*, cap. 28.

blicos restrinxerunt[1], cui errori adhesere Waldenses, Albigenses, Wicleffitæ et Anabaptistæ. Contra hos omnes sit

CONCLUSIO I.

Ad valorem sacramenti Baptismi non requiritur fides in ministro Sacramenti . idem dicendum est de aliis Sacramentis.

Prima pars propositionis est de fide, definita a Concil. Trident., sess. 7, can. 4, his verbis : *Si quis dixerit Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, anathema sit.* Secunda pars conclusionis est certa, et fidei proxima.

PROB. PRIMA PARS. 1. *Ex constanti Ecclesiæ traditione,* quæ semper rata habuit Sacramenta ab impiis et hæreticis collata, modo ritum a Domino præscriptum observarint, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.

Hanc perennem ab Apostolis traditionem opposuit sancto Cypriano, hæreticos rebaptizanti, Stephanus Summus Pontifex, his verbis : *Si quis a quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur ad pœnitentiam.*

Decretum sancti Stephani confirmarunt plurima Concilia : Arelatense I his verbis : *Placuit ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum circa symbolum; et si perviderint eum in Patre, et Filio, et Spiritu Sancto esse baptizatum, manus tantum ei imponatur ut accipiat Spiritum Sanctum. Quod si interrogatus, non responderit hanc Trinitatem, baptizetur*[2].

Nicænum I, can. 8, sic ait : *Si quis voluerit venire ad Ecclesiam ex Novatianis, placuit sancto Concilio, ut ordinentur et sic maneant in clero.* Et can. 19, statuit : *De*

[1] August., lib. II *contra Parmen.*, cap. 12. — [2] Concil. Arelat., art. 314, cap. 8.

Paulianistis, qui deinde ad Ecclesiam confugerunt, statutum est ut omnino rebaptizentur. Concilium non jubet rebaptizari Novatianos, quia rite baptizabant, vult autem rebaptizari Pauli Samozateni discipulos, *quia*, ut ait Innocent. I[1] : *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti non baptizabant.*

Prob. 2. *Ratione deducta ex Scripturis.* Minister Sacramentorum operatur virtute et auctoritate divina : *Supra quem videris Spiritum Sanctum descendentem, hic est qui baptizat*[2]. Atqui Deus non aufert a ministro datam ei potestatem ob ejus hæresim aut peccatum (quippe cum talis potestas ministerialis sit gratia gratis data, nec in ministri, sed in aliorum utilitatem concessa). Ergo, etc.

Prob. secunda pars. Nempe in aliis Sacramentis valide conficiendis neque fides requiritur in ministro Sacramentorum. Hanc partem conclusionis diximus certam et fidei proximam, quia, licet valere omnia Sacramenta a pravo ministro catholico confecta de fide sit, licet etiam ratum esse Baptisma collatum ab hæretico sit definitum, de fide tamen non est valida esse omnia alia Sacramenta ab hæretico collata ; non desunt enim auctores catholici qui contrarium sentiunt, prorsus tamen immerito : 1° quia, etsi nulla expressa habeatur Ecclesiæ definitio, inquit R. P. Perrone, jam ex communi consensu probatur, atque ex ejusdem Ecclesiæ praxi pluribus saltem abhinc sæculis confirmata, ut pro singulis Sacramentis dicemus in suo loco. 2° Quia ratio quæ militat pro valore Baptismatis, suffragatur pariter valori aliorum Sacramentorum, ut patet ex probatione secunda superius data. Hæc est enim intima analogia inter sacramentum Baptismi et alia Sacramenta, ut quod de primo dictum est, etiam de cæteris intelligi debeat.

Dices : Sacramentum Pœnitentiæ collatum ab hæreticis non est validum. Ergo, etc.

[1] Epist. *ad Episcopos Macedoniæ.* — [2] Joan. I, 33.

Resp. *Nego conseq.* Quia sacramentum Pœnitentiæ ab hæreticis collatum invalidum est, non quidem ex defectu fidei, sed jurisdictionis qua carent hæretici.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Hæc loca Scripturæ : Eccl. XXXIV : *Ab immundo quis mundabitur?* — Ibid. : *Qui baptizatur a mortuo, quid proficit lavatio ejus?* — Matth. VII : *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* — Ex quibus sic arguo : Minister infidelis et peccator est immundus, mortuus gratiæ et arbor mala : ergo neminem potest mundare per Sacramenta, nec ullus opus bonum facere.

Resp. *Nego conseq.*, et respondeo ad singula.

Ad primum. Ab immundo nemo potest mundari, si propria virtute agat, *conc.;* si agat virtute Christi et Ecclesiæ, *nego.* Minister autem qui ritum a Christo institutum debite observat, agit virtute Christi, principalis Sacramentorum ministri : *Dedit Baptismum Judas,* ait Div. August. urgens Donatistas, *et non baptizatum est post Judam. Dedit Joannes, et baptizatum est post Joannem : quia datus a Juda Baptismus, Christi est; qui a Joanne, Joannis erat... Sic ergo quos baptizavit ebriosus, homicida, adulter, si Baptismus Christi erat, Christus baptizavit. Non timeo aduiterum, non ebriosum, non homicidam, quia columbam attendo, per quam mihi dicitur :* Hic est qui baptizat.

Ad secundum. Dicendum textum non esse ad propositum; ibi enim non agitur de Baptismo Christi, sed de purificatione ab immunditia legali, quæ ex cadaveris hominis mortui contactu contrahebatur; et sensus est : qui post attrectatum cadaver purificatur, si iterum tangit illud, nihil prodest ipsi sua purificatio, quia iterum immunditiam legalem contrahit; ita habet contextus : *Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit eum, quid proficit lavatio ejus?* Quo significatur nihil prodesse expiationem peccati, si quis illud committat; unde sequitur : *Sic homo qui jejunat in*

peccatis suis, et iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? Orationem illius quis exaudiet?

Quod si Baptismo locus ille accommodetur, dicendum est cum Div. August.[1] eum qui a peccatore baptizatur, *non baptizari a mortuo : vivit enim Christus, jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur, de quo dictum* · Ipse est qui baptizat in Spiritu Sancto.

Ad tertium respondet Div. August.[2] : *Arbor mala,* agens ex propria virtute, *non potest bonos fructus facere,* conc.; agens ex virtute Christi, *nego.* At malus minister agit virtute Christi. Ergo non agit ut arbor mala.

Inst. Atqui infidelis non agit virtute Christi ut ejus instrumentum; nam instrumentum non agit nisi sit conjunctum causæ principali; atqui hæretici et peccatores non sunt Christo conjuncti, sed ab eo separati. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Nisi sit conjunctum per gratiam gratis datam, *conc.;* per gratiam sanctificantem, *nego maj. et conseq.* Hæretici enim et peccatores sunt Christo conjuncti per potestatem spiritualem ipsis in gratiam aliorum concessam.

Objicies 2. Auctoritatem Canonum et Summorum Pontificum :

1° Canones 45um et 46um Apostolorum, in quibus depositionis pœnam imponitur *Episcopo vel Presbytero qui hæreticorum Baptismum admiserit :* ergo invalidum est ab ipsis collatum.

2° Canonem *Daibertum*[3], in quo Urbanus II præcipit Daibertum, qui fuerat in Diaconum a Nezelone hæretico ordinatus, iterum ordinari, *quoniam,* ut ait, *qui nihil habuit, nihil dare potuit.*

Resp. ad primum. *Nego conseq.* et dico Canones illos falso Apostolicos inscribi, sunt enim canones ex diversis Conciliis particularibus collecti, inter quos duo in objectione citati

[1] Lib. xi *contra Parmen.,* cap. 10. — [2] Lib. ii *contra Litter. Petil.,* cap. 6. — [3] *Causa prima,* quæst. 7, cap. 24.

sunt Conciliorum Iconiensis et Synadensis, in quibus rebaptizantium error fuit assertus.

Resp. ad secundum, cum Glossa, hic : *Nezelon ordinatus fuit ab hæreticis præter formam Ecclesiæ, et sic ordinem episcopalem non recepit;* unde defectu potestatis invalida fuit ab eo facta Daiberti ordinatio.

Objicies 3. Varios sanctorum Patrum textus, in quibus asseritur :

1° Baptismum hæreticorum nullum esse.

2° Sacramenta hæreticorum potius polluere, quam sanctificare.

3° Hæreticos nullam potestatem dare per suas ordinationes.

Nota. Ante Concilia Arelatense I, anno 314 habitum, et Nicænum I, anno 325 celebratum, in quibus controversia præsens solemniter fuit definita, varii sunt Patres qui errori rebaptizantium faverunt, quos pro quæstione deserimus; itaque

Resp. ad primum. SS. Patres asserunt Baptisma hæreticorum, qui formam Baptismi adulterabant, nullum esse, *conc.;* qui baptizabant in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, *nego. De illis loquimur hæreticis qui falsaverunt Symbolum*, ait Optatus Milevitanus[1].

Resp. ad secundum. Sacramenta hæreticorum potius polluunt quam sanctificant, eo quod nullum sit Sacramentum, *nego;* eo quod careat effectu, *conc.* Sensus itaque Patrum est Baptismum sine necessitate ab hæreticis susceptum esse illicitum et inutilem suscipienti, ideoque hoc Baptismo baptizatum non sanctificari, sed potius pollui, ob sacrilegium quod committit, Baptismum ab hæreticis et in hæresi recipiendo : idem dic de Ordine et Confirmatione ab eis suscepta, qui hæresi consentiunt et participant; ita docet Div. Thom.[2] : *Quidam* (hæretici) *servant Ecclesiæ formam,* inquit, *et tales conferunt quidem Sacramentum, sed non*

[1] Lib. 7 *contra Parmen.*, num. 10. — [2] Art. 9, ad 2.

conferunt rem Sacramenti, si manifeste ab Ecclesia præcisi sint; quia hoc ipso quod aliquis accipit Sacramenta ab eis, peccat, et per hoc impeditur ne effectum Sacramenti consequatur.

Resp. ad tertium. Ordinationes ab hæreticis factæ dicuntur irritæ quoad characterem, *nego;* quoad exercitium et usum potestatis per ordinationem acceptæ, *conc* Ordinati enim ab hæreticis, redeuntes ad Ecclesiam Catholicam, non admittebantur ad honorem et exercitium Sacerdotii, non gaudebant Clericorum privilegiis, habebanturque ut laici; inde Patres dicebant tales ordinationes esse irritas et sine effectu.

Objicies 4. In ea duntaxat societate valide administrari possunt Sacramenta, cui a Christo concessa sunt Sacramenta; atqui soli Catholicorum societati Sacramenta concessa sunt a Christo : ergo a solis Catholicis administrari possunt.

Resp. *Nego maj.* Quia possunt ab hæreticis illicite et injuste usurpari Sacramenta, valide tamen; sed *aliud est non habere, aliud non utiliter habere,* ait Div. August.[1]; *qui non habet, est baptizandus ut habeat; qui autem non utiliter habet, ut utiliter habeat corrigendus.*

Prob. maj. Illi soli sunt Sacramentorum ministri, qui sunt Ecclesiæ et Christi ministri, cum ministri Sacramentorum non suo, sed Christi et Ecclesiæ nomine agant; atqui soli Catholici sunt Christi et Ecclesiæ ministri. Ergo, etc. Resp. *Nego min.*

Prob. min. Soli Catholici sunt membra Christi et Ecclesiæ : ergo soli Catholici sunt ministri Christi; nam Christus et Ecclesia non utuntur nisi suis membris.

Resp. *Nego conseq. et ejus probationem.* Christus enim, cum sit principalis causa Sacramentorum, potest uti quolibet ad ea administranda, et quovis utatur, est ejus instrumentum, quod sufficit; indifferens ergo est ad validam

[1] Lib. IV *de Bapt.*

administrationem quod sit membrum Ecclesiæ, cum, ut ait Div. August.[1] : *Ecclesia per hæreticos et malos sponso suo filios generet.*

Prob. conseq. Christus non influit gratiam per infideles et peccatores : ergo non utitur suis membris. Resp. *Nego ant.*

Prob. ant. Caput non influit in pectus per membra mortua : ergo nec Christus influit gratiam per infideles et peccatores.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod caput naturale est finitum in sua virtute. Christus autem est infinitæ virtutis ; ergo sicut potest sine ministris justificare, potest per infideles.

Objicies 5. Hæretici et peccatores non habent Spiritum Sanctum : ergo non possunt illum dare per Sacramenta ; nam nemo dat quod non habet.

Resp. *Nego conseq.* Probationem *distinguo :* nemo dat quod nullo modo habet, *conc.;* quod aliquo modo habet, *nego.* Hæretici enim non habent Spiritum Sanctum formaliter per gratiam sanctificantem ; verum illum habent ministerialiter, et ideo possunt per Sacramenta dare.

CONCLUSIO II.

Minister in peccato mortali existens, modo essentialia quæ ad Sacramentum conficiendum vel conferendum pertinent servaverit, valide conficit aut confert Sacramentum.

Est de fide, definitum a Trident., sess. 7, can. 12, iisdem verbis : *Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existens, modo omnia essentialia quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum, anathema sit.*

Prob. 1. *Ex Scripturis.* De Christo dicitur[2] : *Hic est qui baptizat in Spiritu Sancto.* Item Apostolus[3] : *Itaque neque*

[1] Lib. V *contra Donat.*, cap, 24. — [2] Joan. I, 13. — [3] I Cor. III, 9.

qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Unde sic : Cum agitur de validitate Sacramentorum, illius solius habenda est ratio, a quo Sacramenta totam vim ac virtutem suam hauriunt; atqui Sacramenta totam vim ac virtutem suam a Christo institutore et causa meritoria habent : ergo valida sunt, a quovis ministro conferantur vel conficiantur. Hinc August.[1] : *Baptisma tale est, qualis est ille in cujus potestate datur, non qualis est ille per cujus ministerium datur.* Et iterum[2] : *Quid tibi facit malus minister, ubi bonus est Dominus.* Et iterum[3] : *Petrus baptizet, hic est qui baptizat; Paulus baptizet, hic est qui baptizat; Judas baptizet, hic est qui baptizat... illud quod datum est unum est, nec impar propter impares ministros; sed par et æquale, propter :* Hic est qui baptizat.

Prob. 2. *Ex constanti Ecclesiæ praxi,* quæ duo tantum constanter in Sacramentis conficiendis postulavit, scilicet materiæ et formæ conjunctionem et utramque consociandi potestatem; atqui malus minister materiam formamque simul adhibere et applicare potest, perinde ac sanctus, cum eadem sit in utroque potestas, cum perpetua illa sit, nec scelere aliquo perditisque moribus aboleri possit. Hinc hæreticos Sacramenta iterantes semper damnavit, et ea ab improbis ministris rite confecta vel collata nunquam iteravit.

Prob. 3. *Multiplici similitudine* a SS. Patribus assumpta. S. Greg. Nazianz., in oratione *de Bapt.*, Sacramentorum ministros comparat cum sigillo quod insculptam imperatoris imaginem habet. S. Augustinus eosdem confert, modo cum viro qui semina terræ mandat, modo cum canali qua vehitur aqua, modo, si sint mali, cum loco immundo per quem transmittitur lumen[4]; atqui sigillum sive aureum sive ferreum, nihilominus imaginem imprimit; semina,

[1] Tract. v *in Joan.*, num. 6. — [2] Tract. v *in Joan.*, num. 11. — [3] Tract. vi *in Joan.*, num. 7 et 8. — [4] Lib. iii *contra Crescon.*, cap. 8; tract. v *in Joan.*; lib. iii *contra Donat.*, cap. 10.

sive puris sive impuris manibus agricolæ solo mandentur, fructuosa sunt; canalis sive lapideus, æque transfunditur; denique loca immunda, lucis quam transmittunt nihil splendoris et puritatis detrahunt. Ergo Sacramentorum validitas non pendet a ministrorum probitate.

Prob. 4. *Ratione.* Illius improbitas Sacramentorum validitatem inficiari non potest, a quo non pendet quominus Sacramenta rite confecta vel collata suum sortiantur effectum; atqui non pendet ab improbo ministro quominus Sacramenta obtineant suum effectum, modo omnia essentialia quæ pertinent ad Sacramenta servaverit : ergo, etc.

Major patet; prob. min. 1. Sacramentorum una veraque causa efficiens et meritoria est Christus, a quo vim omnem suam et efficaciam habent, ut patet ex dictis; minister vero nudum est instrumentum, qui proinde materiam et formam adhibere potest, non gratiam, quæ Dei est, efficere.

2. *Ex inconvenientibus.* Si a ministri sanctitate pendet Sacramentorum efficacitas, nemo securus esse poterit de Sacramento accepto; nam *quomodo,* inquit S. Augustinus, *securi erunt, si conscientia dantis attenditur, quæ latet oculos accepturi*[1]? Præterea, si ex innocentia baptizantis, inquit S. Doctor, expectatur ut fiat innocentia baptizati, tanto erit quisque innocentior, quanto innocentiorem a quo baptizetur, invenerit, et tanto ipse minus erit innocens, quanto et ille a quo baptizatur : et si forte contra aliquem tenet odium qui baptizat, hoc et illi qui baptizatur imputabitur[2], quod est absurdum : ergo Sacramentorum validitas non pendet a sanctitate ministri. Ergo, etc.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Scripturæ pravos ministros ineptos esse ad Sacramenta conficienda vel conferenda aperte declarant. Et quidem : 1° legitur[3] : *Sacerdotes qui accedunt ad Domi-*

[1] Lib. I *contra Litter. Petil.,* num. 4. — [2] Lib. II *contra Litter. Petil.,* cap. 6. — [3] Exod. XLIX, 22.

num sanctificentur. — 2° In Levitico[1] : *Homo... qui habuerit maculam, non offerat panes Deo suo.* — 3° Prov.[2]: *Victimæ impiorum abominabiles Deo declarantur.* — 4° Dicitur[3]: *Ab immundo quis mundabitur.* — 5° Pariter[4]: *Scimus quia peccatores Deus non audit.* — 6° Et[5] : *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* — 7° Tandem propterea Christus, Apostolis suis tradendo potestatem dimittendi peccata, prius illis tradit Spiritum Sanctum his verbis[6] : *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis.*

Resp. Hæc Scripturæ loca in pravos sensus ab adversariis detorqueri solita, doctrinam catholicam nequidem pertingere, si probe intelligantur ; unde *ad* 1um, sermo est de purificatione legali, præmittenda a sacerdotibus, antequam ad sacrificium accedant ; — *ad* 2um, agitur de dotibus quibus donari debet Summus Sacerdos ; — *ad* 3um, abominabiles dicuntur victimæ ex prava intentione offerentium, non vero ex parte rei oblatæ ; — *ad* 4um, neque ab immundo ministro, sed a Deo gratia mundans recipitur ; — *ad* 5um, dicitur Deus non exaudire peccatores, ad patranda miracula in confirmationem falsæ doctrinæ ; — *ad* 6um, *dist.* : non potest arbor mala, id est minister malus ; bonos fructus facere ex se ; *trans.;* tanquam nudum instrumentum quo Christus utitur, ut per Sacramenta suam hominibus gratiam largiatur, *nego,* — *ad* 7um, *dist.* Christus, in ordine ad potestatem dimittendi peccata, tradidit Spiritum Sanctum, operantem, *conc.;* inhabitantem per gratiam, *nego.*

Objicies 2. *Ex ratione.* 1° Improbus homo est membrum diaboli : ergo non potest esse minister Christi ; 2° improbus minister non habet gratiam sanctificantem : ergo illam dare non valet ; 3° peccat malus minister, dum Sacramenta conficit : ergo invalide conficit, cum repugnat malam actionem instrumentum esse gratiæ.

[1] Cap. xx, 19. — [2] Cap. xv, 8. — [3] Eccl. xxxiv, 4. — [4] Joan. ix, 13. — [5] Matth. vii, 18. — [6] Joan. xx, 22.

Resp. Horum trium negatur consequentia : et quidem *primi* asserti, quia nihil obstat quominus homo simul sit et membrum diaboli propter pravos mores, et minister Christi propter acceptam ab eo et ab Ecclesia potestatem, ex supra dictis. *Secundi* vero, quia minime necesse est id refundere in instrumentis, quod ipsorum virtute non efficitur. Jam vero minister non alias in conferendo gratiam partes habet, quam instrumenti, neque ipsius gratiæ causa est, sed Deus, qui quovis instrumento uti potest. *Tertii* tandem, quia, licet actio peccatoris ministri conficientis ipsi sit mala, bona tamen est in se, cum per illam Sacramentum rite conficiatur.

Inst. Ex allatis responsis sequeretur prorsus Christi fidelibus indifferens esse ut a probis vel improbis ministris Sacramenta conferantur, quod falsum videtur et fidelium sensui contrarium. Ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Indifferens est quoad validitatem Sacramenti et exceptis excipiendis, v. gr. quod expostulat amor Dei et proximi, *conc.;* quoad gratias uberiores seu fructus percipiendos, *nego.* Quamvis enim Sacramenta operentur *ex opere operato,* ut dicunt, quando nullus est obex, plus tamen minusve gratiæ seu fructus præter characterem producunt, juxta dispositiones subjecti[1]. Sed ad rite disponendum subjectum, removendo, scilicet, obicem peccati, et fidem, charitatem et alias virtutes comparando, quamplurimum conferunt, ordinarie loquendo, zelus, cura et sanctitas ministrorum. Ergo, etc.

APPENDIX UNICA.

Expenduntur quædam quæstiones facti, quæ ad historiam rebaptizantium pertinent.

Quæres 1. *An Cyprianus, Firmilianus, cum collegis suis Episcopis, existimaverint agitatam de Baptismo hæreti-*

[1] Vide infra, cap. 6 *de Sacramentis,* § 1, quær. 3.

corum controversiam, pertinere ad fidem vel ad disciplinam?

Nota. In eo differt fides a disciplina, quod hæc varia esse possit pro varietate temporum et locorum, illa simplex, unica et eadem semper habeatur.

Resp. Quamvis rebaptizantium causa reipsa sit caput fidei, verisimile est Cyprianum, Firmilianum, etc., existimasse ipsam ad disciplinam pertinere.

Prob. Characteres controversiæ pertinentis ad disciplinam sunt tres, nimirum : varietas in praxi, libertas sentiendi, pax et communio inter dissidentes ; atqui Cyprianus, Firmilianus et alii confitentur circa hanc controversiam esse varietatem in praxi[1]. Declarant unicuique Prælatorum relictam esse libertatem sentiendi quod vellet[2]. Testantur se servare pacem et communionem cum iis qui diversam opinionem et praxim servabant[3]. Ergo, etc.

Quæres 2. *An sanctus Stephanus de facto excommunicaverit sanctos Cyprianum, Firmilianum et cæteros ipsi adhærentes?*

Resp. Non excommunicavit, sed intra minas excommunicationis se continuit sanctus Stephanus, ut ipse testatur August., dicens[4] : *Cum ergo Stephanus illos excommunicandos esse censeret, tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permansit.*

Dices : Sanctus Stephanus legatis Cypriani denegavit colloquium et hospitium : ergo pro excommunicatis eos habuit.

Resp. *Nego conseq.* Ideo enim sanctus Stephanus legatis denegavit colloquium et hospitium, ut hac severitate et prudenti œconomia illos ab errore revocaret, caveretque ne diutius Romæ commorantes, gregem sibi commissum errore suo inficerent.

Quæres 3. *Quodnam fuit illud plenarium Concilium, in*

[1] S. Cyprian., epist. LXXI ad *ad Quintum,* et epist. LXII *ad Stephanum.* — [2] S. Cyprian., in *præfat. Conc. III Carth.* — [3] S. Cyprian., epist. *ad Jubajan,* num. 73. — [4] Lib. *de Unico Bapt.,* cap. 14.

quo asserit Div. August.[1] *controversiam de Baptismo hæreticorum fuisse terminatam?*

Resp. Res est apud Theologos plane incerta : aliis videtur fuisse Concilium Nicænum I, ann. 325; aliis Arelatense I, ann. 314. Certum est tamen unum fuisse ex illis duobus; utrumque enim ante Augustini nativitatem[2] et post mortem Cypriani[3] fuit celebratum et utrumque fuit *transmarinum*. His enim notis, Concilium illud designat Div. August.

PUNCTUM II.

UTRUM PECCATORES SACRAMENTA LICITE CONFICIANT ET CONFERANT.

CONCLUSIO.

Minister qui, peccati alicujus mortalis sibi conscius, Sacramenta ex officio conficit aut dispensat, mortaliter peccat.

Nota. Distinguere hic oportet confectionem et administrationem Sacramentorum ab aliis functionibus sacris.

Prob. 1. *Ex Scriptura,* de sacerdotibus dicente[4] : *Sancti erunt Deo suo et non polluent nomen ejus; incensum enim Domini, et panem Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt.* Hinc Div. Gregorius ait[5] : *Necesse est ut munda esse studeat manus, quæ diluere sordes curat.*

Prob. 2. *Ratione et auctoritate Div. Thomæ,* dicentis[6] : *Non est dubium quin mali, exhibentes se ministros Dei et Ecclesiæ, in dispensatione Sacramentorum peccent; et quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei* (cujus sunt ministri) *et contaminationem Sacramentorum* (quorum violatur sanctitas ex parte impii ministri), *consequens est, quod tale peccatum ex genere suo sit mortale.*

Dixi in propositione : *ex officio*, quia, ex Div. Thom.[7] :

[1] Lib. II *de Baptismo*, can. 9. — [2] Nativitas August. contigit ann. 354 — [3] Obiit ann. 258. — [4] Levit. XXXII, 6. — [5] Cap. *Necesse* 1, quæst. 1. — [6] 3 part., quæst. 64, art. 6 *in corp.* — [7] 3 part., quæst., 64, art. 6 *in corp.*

In articulo necessitatis non peccaret baptizando, in casu in quo etiam posset laicus baptizare : sic enim patet quod non exhiberet se ut ministrum Ecclesiæ, sed subveniret necessitatem patienti; secus autem est in aliis Sacramentis quæ non sunt tantæ necessitatis.

Sententia tamen affirmans videtur probabilior. Ratio quia, licet tunc non sint Ecclesiæ ministri, sunt tamen ministri Christi[1].

Ex hoc textu patet quod ex duplici capite repetatur gravitas culpæ ministri peccatoris : 1° ex sanctitate Sacramentorum novæ legis; 2° ex ejus consecratione et speciali deputatione ad sacra ministeria. Ex his

Quæres 1. *An minister peccator teneatur confiteri priusquam Sacramentum conficiat aut ministret, quantumvis sibi perfecte contritus videatur?*

Resp. Id certum est de Eucharistia, prout definivit Trident.[2]; de aliis aliqui etiam affirmant, sed longe plures de jure communi negant, quia nullum reperitur præceptum divinum vel humanum saltem commune in ordine ad alia Sacramenta administranda : nam Trident.[3] solum *hortatur sponsos ut, antequam contrahant, sua peccata diligenter confiteantur;* et Rituale Romanum de Sacerdote peccati mortalis sibi conscio dicit solum : *Ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde pœniteat, sed si habeat copiam Confessarii, et temporis locique ratio ferat, convenit confiteri.* Quod autem est de convenientia, non est necessarium : ergo, etc.

Dices : Cum minister debeat ministrare Sacramenta in statu gratiæ, debet habere moralem certitudinem de sua justificatione, sicut habere debet de materia et forma ; hæc autem certitudo nequit haberi per contritionem, quæ difficillime et a paucis obtinetur : ergo, etc.

Resp. *Nego parit. et conseq.* Nam cum agitur de validitate

[1] Vide S. Ligor., lib. VI. num. 32; Scavini, etc. — [2] Sess. 13, can. 11. — Sess. 24, cap. 1 *de Matrim.*

Sacramenti, probabilitas de validitate materiæ et formæ non sufficit. Hæc enim probabilitas non facit ut materia vel forma sit valida, si de facto non est talis, ac proinde nec Sacramentum; cum autem agitur tantum de honestate actionis, bene probabilitas efficit ut sit honesta, quando honesta prudenter judicatur, quamvis in se forte non sit. S. Ligor.[1]

Resolves 1° Probabilius est tum laicum, tum sacerdotem non solemniter ministrantem Baptismum graviter peccare, si ministrent in statu peccati mortalis.

2° Probabilius peccare graviter sponsos matrimonium contrahentes in statu peccati mortalis; unde, licet nullo præcepto positivo teneantur tunc ad sacramentum Pœnitentiæ, tenentur tamen se justificare per contritionem, alias peccarent non solum ministrando, sed et suscipiendo Sacramentum in malo statu.

3° Excipe casum in quo minister non posset tam cito conteri, et periculum immineret, ne moribundis decederet sine Baptismo vel absolutione[2].

Quæres 2. *An peccet mortaliter Sacerdos aut Diaconus, ministrans sacramentum Eucharistiæ in mortali?*

Resp. *Prima sententia negat.* Ratio, tum quia non ponunt actionem per se causantem gratiam, sed tantum applicat activa passivis; tum quia non agunt nomine Christi, siquidem Christus non ordinavit eos ad administrationem Eucharistiæ, cum olim christiani sibi communionem vel aliis præberent. Ita *Lugo, Sporer, Diana*, etc.

Secunda sententia probabilior quam sequitur S. Ligorius *affirmat* et probatur : 1, Ex Nicolao I, qui loquens de Sacerdote adultero Eucharistiam ministrante dicit : *Mali bona administrando, se tantummodo lædunt,* et cum gravis sit materia de qua agitur, ideo graviter *se lædunt.*

2° Ex Rituali Roman., § 1 *de sacram. Euchar.*, ubi dicitur : *Omnibus quidem Ecclesiæ Catholicæ Sacramentis reli-*

[1] Lib. VI num. 34. — [2] S. Ligor., lib. VI, num. 33 et commun.

giose sancteque tractandis magna cura adhibenda, sed præcipue administrando ac suscipiendo SS. Eucharistiæ sacramento. Idem deducitur ex Catech. Rom.[1]

Prob. 2. *Ratione.* Ille graviter peccat, qui gravem Sacramento irrogat injuriam; atqui Sacerdos vel Diaconus qui in peccato mortali SS. Eucharistiam administrat, gravem injuriam irrogat Sacramento : ergo, etc.

Prob. min. Tum quia vere consecrantur ad illud Sacramentum dispensandum, ut dicit Apostolus[2] : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.*

Nec obstat quod olim per accidens et ex necessitate hoc laicis permissum fuerit. Accidens enim non destruit naturam rei; certum est enim ministrum ordinarium Baptismi esse sacerdotem, quamvis ex necessitate laicus possit baptizare : ergo a pari, etc.

Tum quia in aliis Sacramentis minister per confectionem proxime concurrit ad sanctificationem suscipientium : ergo in hoc Sacramento minister debet concurrere per dispensationem. Ita *Suarez, Concin., Laym., Croix,* etc.

Communius autem tenent Doctores contra plures quod minister indignus tangens ex officio mediate vel immediate SS. Eucharistiam, non peccet graviter; nam cum illæ actiones non proxime dirigantur ad sanctificandum animos necessario, tantum non requirunt animæ sanctitatem.

Ex dictis resolves 1° *Probabilius* sacerdos excipiens confessionem in mortali, non peccat graviter, si propositum habeat se justificandi antequam absolvat. Ratio, quia non in audiendo confessionem perficitur Sacramentum, sed cum absolutio impertitur. Ita communiter Gonet et Cont. Tournely[3].

2° Tot peccata gravia committit confessarius indignus, quot absolutiones impertit, quia singulæ sunt singula Sacramenta.

[1] Part. 2, cap. 1, num. 26. — [2] I ad Corinth. IV, 1. — [3] S. Ligor, lib. VI, num. 36.

3° Ministri qui in peccato mortali ex officio exercent alias functiones sacras, quæ non sunt confectiones neque administrationes Sacramentorum, licet eo gravior sit culpa quo actiones magis accedunt ad Sacramenti ministerium, probabile tamen non peccant mortaliter illas exercendo, quia nec constat de præcepto se justificandi, nec de gravitate materiæ tractandæ. Ita communius contra plures, apud S. Alph. de Ligor.[1].

4° *Probabiliter* non peccat graviter Episcopus qui in mortali conficit chrisma, vel oleum sanctum, quia etsi materiam aptet ad Sacramentum, non tamen conficit Sacramentum, nec proxime concurrit ad gratiam producendam.

5° *Communius et probabilius* non peccat mortaliter Episcopus vel Sacerdos qui in mortali consecrat templum, benedicit vestes sacras, aut corporalia, assistit matrimonia, benedicit cineres aliaque sacramentalia peragit.

6° *Probabilius et communius* mortaliter non peccat qui in statu peccati mortalis annuntiat verbum Dei, modo non sit publice diffamatus. Ratio, quia tum non exercet officium Ordinis, sed Ordini annexum, nec prædicatio de se est gratiæ productiva, nec ad sacramentum Eucharistiæ ordinatur, sicut ministratio Sacramentorum[2].

Dixi 1° *modo non sit publice diffamatus*, quia tunc mortaliter peccaret ratione scandali, maxime cum increpat in aliis quod ipse publice facit, ex Apostolo ad Roman.[3].

Dixi 2° *non peccat mortaliter;* in hoc enim sicut in supradictis, minister Christi non excusatur a veniali ob suam irreverentialem agendi rationem.

PUNCTUM III.

UTRUM LICEAT SACRAMENTA PETERE ET ACCIPERE AB INDIGNIS MINISTRIS.

Nota 1. Indignus minister, vel est indignus ob aliquod peccatum tantum, vel ob excommunicationem tantum, vel

[1] Lib. VI, num. 37. — [2] S. Ligor., lib. VI, num. 40. — [3] Cap. 2, 21.

simul ob peccatum et excommunicationem, aut censuram, ut sunt hæretici, schismatici notorii. Rursus excommunicatus, vel est ab Ecclesia toleratus, vel non est toleratus.

Toleratus, est is qui pœnam excommunicationis ipso quidem facto incurrit, sed contra quem nulla præcessit judicis sententia, qua nominatim declaretur excommunicatus aut suspensus.

Non toleratus, est is qui, per sententiam judicis nominatim declaratus, excommunicatus est aut suspensus.

Rursus, ministro Sacramenti dispensatio vel convenit *ex officio*, ut parochis; vel solum ex *commissione*, ut est presbyter, approbatus quidem, sed curam animarum non habens, et hic aut est paratus ad administrandum, vel non.

Nota 2. Triplex est Sacramentorum suscipiendorum necessitas, scilicet extrema, gravis et levis.

Extrema necessitas est urgens mortis periculum in quo moribundus Sacramentis ad salutem absolute necessariis indiget, ut Baptismo catechumenus, et Pœnitentia peccator.

Gravis necessitas æstimatur, dum urget præceptum confessionis annuæ, aut confitendi peccati mortalis.

Levis necessitas censetur, dum quædam adest utilitas, v. gr. indulgentiam plenariam lucrandi, Eucharistiam festis solemnioribus frequentandi, etc. His notatis, sit

CONCLUSIO I.

Absque causa legitima non licet Sacramenta petere, vel percipere a ministro ob peccatum mortale indigno, licet non excommunicato, vel tolerato.

Prob. Quia lex charitatis postulat ut non detur malo Sacerdoti occasio peccandi; atqui qui ab indigno ministro petit et recipit Sacramenta absque legitima causa, dat ipsi occasionem peccandi per malam Sacramenti administrationem. Ergo, etc. Conclusio tamen est tantum de certe indignis, quia quivis minister præsumitur dignus, nisi contrarium

onstet; hinc potest Sacramentum peti ab eo qui scitur ɔaulo ante peccasse, quia præsumitur se jam disposuisse, altem per contritionem.

CONCLUSIO II.

'n extrema vel gravissima necessitate licet ab excommunicato, etiam non tolerato, petere et suscipere sacramentum Baptismi et Pœnitentiæ, modo absit scandalum; non vero alia Sacramenta.

Prob. 1. *Quidem de Baptismo,* ex Div. August.[1] di-ɛente: *Si quem forte coegerit extrema necessitas, ubi Ca-holicum per quem accipiat* (Baptismum) *non invenerit, et n animo pace Ecclesiæ custodita, per aliquem extra unita-tem Catholicam positum acceperit, quod erat in ipsa uni-tate accepturus, si statim etiam de hac vita emigraverit, ɔon eum nisi Catholicum deputamus.*

Prob. 2. *De Pœnitentia* Concil. Trident.[2] declarante om-nibus promiscue Sacerdotibus licere pœnitentes quoslibet, n mortis articulo, a quibuslibet peccatis et censuris absol-vere: *Pie admodum,* inquit, *ne hac ipsa occasione aliquis ɔereat, in Ecclesia Dei semper custoditum fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque adeo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis casibus et censuris absol-vere possunt.*

Dices: Concil. Trident. intelligi tantum debet de catho-licis Sacerdotibus, quibus non est concessa facultas a casi-bus reservatis absolvendi[3]. Ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Ex vi Concilii verborum, *trans.;* ex alia, *nego.* Quia 1° consuetudine Ecclesiæ, Catechismo Con-cilii Tridentini et Rituali Romano, ad omnes promiscue

[1] Idem probabiliter dicunt de sacramento Eucharistiæ Suarez, Navar., Bonac., Salmant., et plures alii. Item de Extrema Unctione, si aliud Sacramentum infirmus non potest recipere. Vid. S. Ligor., lib. VI, num. 88
[2] Lib. I, *de Bapt. contra Donat.,* cap. 3. — [3] Sess. 14, cap. 7.

Sacerdotes istud decretum refertur. 2° Quia ideo, ex Div. Augustino, licitum est adultis Baptismum ab hæreticis in periculo mortis exposcere, quia Baptismus ad regenerationem necessitate medii requiritur; atqui pariter pœnitentia sacramentalis est necessaria necessitate medii ad resurrectionem spiritualem. Ergo, etc... 3° Quia Cardinales Concilii Trident. interpretes nostram sententiam expressis verbis declararunt; ista enim verba : *Atque adeo omnes Sacerdotes,* sic interpretantur : *Etiamsi isti Sacerdotes essent excommunicati et denuntiati, extra quem articulum, scilicet mortis, cum nihil possunt, graviter etiam peccant, excommunicationemque incurrunt.*

Inst. Absolutio Sacerdotis suppleri potest per contritionem pœnitentis cum voto Sacramenti: ergo non est in casu extremæ necessitatis.

Resp. 1. *Retorquendo:* Baptismus fluminis potest suppleri per Baptismum flaminis: ergo catechumenus, de vita periclitans, non est in casu extremæ necessitatis.

Resp. 2. *Nego conseq.* Quia, cum homo de suæ contritionis perfectione certus esse non possit absque speciali revelatione, semper, cum de vita periclitatur, censetur esse in casu extremæ necessitatis.

Dixi 1° *in extrema necessitate;* quia Div. August. ibidem docet quod : *Si quis, cum possit in ipsa catholica accipere, per aliquam mentis perversitatem eligit in schismate baptizari... procul dubio perversus est et iniquus, et tanto perniciosis, quanto scientius.*

Dixi 2° *modo absit scandalum;* quia quilibet tenetur abstinere ab actu cujus effectus potest aliunde haberi, ad vitandum grave scandalum ex illius actus exercitio oriundum; atqui effectus Baptismi et Pœnitentiæ per votum Baptismi et contritionem perfectam possunt haberi. Ergo, etc.

Hinc si, ex susceptione Baptismi et Pœnitentiæ ab hæreticis vel schismaticis, Catholicis præberetur occasio non temere credendi per hujusmodi susceptionem approbari

hæresim vel schisma, eaque ratione ministris hæreticis aut schismaticis concilianda prævideretur auctoritas, et plures ex Catholicis ad eorum partes defecturos, non liceret ab eis illa Sacramenta petere et recipere.

Objicies : Si baptizandus esset infans in vitæ discrimine positus, nec alius, præter hæreticum hominem, Baptismi formam nosset, posset quis illum offerre hujusmodi ministro baptizandum, quamvis ea actio multis futura esset scandalo. Ergo, etc.

Resp. *Nego conseq.* Ratio est, quia per solum Baptismum potest saluti illius infantis consuli, nec illius offensionis et scandali, in hac hypothesi, daretur occasio; unde si quoddam inde oriatur, non est ab offerente datum, sed ab aliis temere et incaute acceptum.

Prob. secunda pars : *Non vero alia Sacramenta;* quia Ecclesia in solo casu extremæ necessitatis permittit cum non toleratis communicare in spiritualibus, ut constat ex Bulla *Ad evitanda,* in qua Martinus V sic statuit : *Ad evitanda scandala et multa pericula, quæ conscientiis timoratis contingere possunt, Christi fidelibus, tenore præsentium, misericorditer indulgemus, quod nemo deinceps a communione alicujus in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque divinis, prætextu cujuscumque sententiæ aut censuræ Ecclesiasticæ a jure, vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut Ecclesiasticum interdictum observare, nisi censura vel sententia hujusmodi fuerit facta in, vel contra personam, Collegium, Universitatem, Ecclesiam, Communitatem, vel locum certum, a judice publicata vel denuntiata specialiter aut expresse, aut si aliquem ita notorie in excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quod nulla possit tergiversatione celari, aut aliquo modo juris suffragio excusari.*

CONCLUSIO III.

Cum rationabili causa, licitum est Sacramenta petere et accipere a ministro indigno propter lethale peccatum.

Prob. Ex dicendice ubi de juramento petito ab eo qui prævidetur per falsos deos juraturus, et de mutuo petito ab usurario, licet, ex rationabili causa, ab alio petere id quod potest licite præstare, quamvis prævideatur peccaturus; atqui Sacerdos de quo hic, potest licite conferre Sacramenta, se nimirum ad id disponendo per confessionem sacramentalem, vel actum contritionis, et supponitur causa sufficiens. Ergo, etc. [1].

Resolves : Licite suscipiuntur Sacramenta a ministro peccatore : 1° si urgeat præceptum confessionis vel communionis; 2° si ex dilatione susceptionis imminet periculum lapsus; 3° si debetur implere præceptum Missæ audiendæ; 4° si debes te justificare, nec ad alium possis adire confessarium; 5° si alias debes carere (saltem diu) communione, vel gratiis perficientibus pœnitentiæ; 6° si alias privaveris gratia jubilæi; 7° si indigeas perito Directore, nec sit alius; 8° si vis Missam applicare pro amico defuncto.

CONCLUSIO IV.

Sine causa, seu absque ulla necessitate, licet petere et recipere Sacramenta a ministro indigno propter excommunicationem vel suspensionem, sed ab Ecclesia tolerato.

Prob. Quia Concilium Constantiense absolute concessit fidelibus communionem cum toleratis, nec ipse minister excommunicatus peccat, quando rogatus, communicat per Sacramentorum administrationem; nam, inquit S. Ligor.[2], si ipse adhuc peccaret, inutilis evaderet concessio facta

[1] Vide S. Ligor., lib. VI, num. 89. — [2] Lib. VII, num. 13, quæst. 2.

fidelibus, dum eis, saltem indirecte, ratione charitatis, prohiberetur communicatio. Quare cum fidelibus communicatio cum excommunicato universe concessa sit, indirecte indultum est etiam excommunicatis cum fidelibus petentibus communicare. Ergo, etc.

Quæres : *An similiter liceat in levi necessitate a malo ministro Sacramenta petere et suscipere?*

Resp. *cum dist.* Vel enim minister iste paratus est ac determinatus Sacramenta ministrare quæ reipsa administrat, vel non est paratus ac determinatus.

Si prius, licitum est ab eo Sacramenta percipere, quia tunc petens non censetur ministrum malum inducere ad peccandum, sed uti ejus mala voluntate jam determinata ad malam actionem, quam recte facere posset, ad malum spirituale a se avertendum. Sed hoc verum est solum quando sumitur Eucharistia, quia unum tantum est peccatum pluribus Eucharistiam ministrare[1].

Si posterius, non licet, quia tunc quodammodo inducitur ad peccandum, et ipsi occasio peccandi datur; charitas autem postulat, ut cum levi nostro incommodo occasionem peccandi a proximo avertamus.

PUNCTUM IV.

UTRUM LICEAT SACRAMENTA ADMINISTRARE PECCATORIBUS.

Nota 1. In quibusdam Sacramentis, inquit S. Alphonsus de Ligorio[2], minister, ut se fidelem dispensatorem præstet, non sufficit si petentem nesciat indignum, sed amplius tenetur rationem habere, quod ille sit dignus. Hinc in sacramento Pœnitentiæ minister, ut judex, certus moraliter esse debet de dispositionibus pœnitentis : in Baptismo, de consensu et dispositione baptizandi; in Clericorum Ordinatione, de scientia et dignitate ordinandi; in Matrimonio, Sacerdos assistens et ab Ecclesia ad hoc deputatus debet inquirere

[1] S. Ligor., lib. VIII, num. 89. — [2] Lib. VI, num. 43.

in impedimenta; in aliis autem Sacramentis, ea deneganda non sunt, nisi constet de indignitate petentis[1]. Sed

Nota 2. Peccator duplex est : alius *occultus*, cujus peccatum secretum est; alter *publicus*, cujus peccatum notorium est, sive notorietate *juris*, id est, per judicis sententiam; sive notorietate *facti*, cum nimirum crimen ita est notorium, ut nulla tergiversatione celari possit, prout qui in populi concursu hominem occidisset. His positis, sit

CONCLUSIO I.

Peccatori publico seu notorio, facti vel juris notorietate, scienter ministrare Sacramentum, est peccatum gravissimum, sive Sacramentum petat publice, sive privatim[1].

Prob. Ille gravissime peccat, qui peccat simul contra religionem, fidelitatem et charitatem proximi; atqui qui peccatori publico scienter ministrat Sacramentum, peccat contra religionem qua prohibemur *dare Sanctum canibus*[2]; contra fidelitatem, qua tenemur debite dona Dei dispensare juxta Apostolum dicentem[3] : *Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur;* contra charitatem proximi, secundum quam non licet peccato proximi cooperari, nec huic sacrilegæ cooperationi assistentes scandalizare. Ergo, etc.

Dices : Non licet proximum infamare; sed qui sic denegat Sacramentum proximo, ipsum infamat : ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Sufficienter enim per crimen admissum infamatus est, et minister sine nova infamia consulit reverentiæ Sacramenti.

[1] Vide S. Ligor., lib. VI, num. 43 et seqq. — [2] Matth. VII, 6. — [3] I Cor. IV, 2.

CONCLUSIO II.

Occulto peccatori publice Sacramentum petenti, Sacramentum ministrari debet, si repelli non possit absque illius infamia et populi scandalo[1].

Prob. 1. Ex praxi Ecclesiæ et exemplo Christi, *qui nec Judam a communione removit*, ait Eugenius Papa[2].

Prob. 2. Ex oraculo Apostoli : *Non sunt facienda mala ut eveniant bona;* sed malum est occulta proximi peccata propalare, scandala parere, jurgia et perturbationes movere, quæ omnia orirentur ex denegatione Sacramenti occulto peccatori Sacramentum publice petenti : ergo non licet ipsi denegare Sacramentum ut eveniat bonum, nempe ut consulatur reverentiæ Sacramenti.

Dices : Alterius peccato cooperari nefas est; sed qui occulto peccatori Sacramentum ministrat, cooperatur peccato alieno. Ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Qui enim actionem de se bonam justa de causa exercet, quamvis prævideat fore ut alter peccet, non tamen cooperatur peccato illius moraliter; sed tantum illud permittit ex justa causa, nempe ad vitandum scandalum et famam proximi conservandam.

Dixi *occulto peccatori Sacramentum publice petenti;* quia si occulte peteret, non esset administrandum Sacramentum, cum possit sine scandalo populi et petentis infamia denegari, ut docet Rituale Roman., modo tamen minister statum ejus cognoscat per aliam viam, quam per confessionem sacramentalem, quia tunc esset virtualis quædam exprobratio peccati, ex qua confessio non parum fieret odiosa, quod nullo casu licitum esse docent omnes Theologi.

Quæres : *Utrum liceat peccatori occulto publice petenti*

[1] Ita Div. Thom., quæst. 10, art. 6; Valentia, Suarez et alii. — [2] Cap. 2 *de Officio Judicis ordinarii.*

Eucharistiam, porrigere Hostiam non consecratam, ad vitandum sacrilegium petentis?

Resp. *negative.* Quia idololatria est gravius peccatum quam sacrilegium; sed Sacerdos porrigens Hostiam non consecratam, daret ex se materiam et occasionem idololatriæ, saltem materialis, ad vitandum sacrilegium; Hostia enim, antequam sumatur, proponitur adoranda. Ergo, etc.

In casu tamen quo quis ad communionem se non posset disponere, ad vitandam infamiam vel scandalum, posset convenire cum ministro, ut dicat : *Corpus D. N.*, etc., et non præbeat Hostiam.

CAPUT V.

DE SUBJECTO SACRAMENTORUM.

Nota 1. Certum est solum hominem viatorem esse subjectum capax Sacramentorum : ratio est, quia Sacramenta sunt signa sensibilia instituta ad dandam vel augendam gratiam; atqui solus homo viator est capax recipiendi gratiam vel augmentum ejus per signa sensibilia. Ergo, etc.

Nota 2. Certum est non omnes homines esse omnium Sacramentorum capaces; nam, v. gr., infans non est capax Matrimonii, homo sanus non est capax Extremæ-Unctionis, nec femina Ordinis.

Solum igitur quæstio hic movetur de dispositionibus tum ad validam, tum ad licitam Sacramentorum susceptionem; quam solvemus duplici articulo.

ARTICULUS I.

QUÆNAM DISPOSITIONES REQUIRANTUR ET SUFFICIANT IN SUBJECTO AD VALIDAM SACRAMENTORUM SUSCEPTIONEM.

Nota. Agitur hic de solis adultis : nam in infantibus et perpetuo amentibus nihil requiritur, ut patet ex perpetua

traditione et praxi Ecclesiæ, secundum quam baptizantur infantes: enimvero si necessarius esset aliquis actus propriæ voluntatis, non possent salvari. Si tamen ordinarentur, non tenerentur ad obligationes status.

Ex dictis resolves: 1° Denegandum non est Sacramentum peccatori in eo loco ubi crimen non est publicum, quamvis publicum sit in alio loco, nisi notitia illius facile sit ibi perventura. Ratio, quia in concedendo non est scandalum aliorum; et in negando sequerentur incommoda quæ vitanda esse diximus. Ita plures cum S. Ligor.[1] contra Suarez, Croix, etc.

2° Confessarius non potest denegare Sacramentum ob crimen auditum in confessione, sub prætextu aliarum causarum, quia periculum esset ne peccator adverteret ex confessione negari Sacramentum, indeque confessio fieret odiosa, quod penitus est avertendum. Ita Sanch., Laym. S. Ligorius[2] contra Vasq., Suar. et alios.

Quæres 1. *Quid requiratur ut publico peccatori pœnitenti Eucharistia possit administrari?*

Resp. Generaliter loquendo, præter confessionem, requiritur aliquod tempus bonæ conversationis ad tollendum scandalum, vel ipsamet confessio sufficere potest, si fiat in publico, vel coram pluribus, ita ut pœnitentia brevi sit publice manifestanda; ei autem qui occulte peccat, occulta sufficit pœnitentia.

Dixi *generaliter loquendo,* quia si esset occasio peccandi, et ille eam non deseruerit, aliter dicendum esset, ut videbimus in tract. *de Pœnit.,* ubi *de absolutione deneganda.*

Quæres 2. *An minister possit dare Sacramentum indigno, propter metum mortis.*

Resp. *negative.* Ratio, 1° quia nunquam licet concurrere directe et immediate ad rem intrinsece malam, atqui sacrilegium ex illa indigna susceptione, est quid intrinsece malum. Ergo, etc. 2° Quia Sacerdos, ut minister Christi, debet

[1] Lib. VI, num. 46. — [2] Lib. VI, num. 51.

potius consulere dignitati Sacramenti, quam proprio commodo; sed dare Sanctum canibus, id est, indignis, ob metum mortis, est suum commodum anteponere dignitati Sacramenti. Ergo, etc. Ita S. Ligor., Concin., etc.

Dices cum Bonacina, Sporer et aliis : Licet peccatori occulto ministrare Sacramentum ad vitandam ejus infamiam, et talis causa ministrationem excusat et dignitatem Sacramenti reparat : ergo, a pari, mors aut infamia a ministro subeunda causa est sufficiens, etc.

Resp. *Nego conseq.* Non enim conceditur Sacramentum peccatori publica petenti ob infamiam ejus vitandam, sed propter aliorum scandalum vitandum et bonum Sacramenti; nam si tunc minister negaret communionem ob crimen occultum, forte etiam boni deterrerentur a communione, timentes ne propter odium vel imprudentiam rejicerentur, etc.; propter quod Christus videtur cedere juri suo et permittere in se talem irreverentiam; atqui nihil similis occurit in casu; imo ædificationi esset populo, si ad reverentiam Sacramento servandam, minister vitam impenderet suam.

Quæres 3. *An Episcopus possit denegare sacramentum Ordinis peccatori occulta publice petenti?*

Resp. *affirmat.* Sive petens sit indignus ex irregularitate aut simili, ut certum est apud omnes; sive sit indignus ex delicto.

Prob. 1. Ex Apostolo [1], qui monens Timotheum dicit : *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis;* sed quid est, inquit S. Leo [2], *cito manus imponere, nisi ante experientiam disciplinæ :* ergo quocumque externo modo disciplinæ defectus deprehendatur, peccatis alienis communicaret Episcopus, si indignum ab Ordinibus non arceret.

2. Ex S Thoma [3], qui dicit non sufficere quod Prælatus nesciat ordinandum esse in peccato, *sed etiam exigitur*

[1] I ad Timoth. v, 22. — [2] Epist. 1 *ad Afr.* — [3] 3 p., quæst. 36, art. 4, ad 3.

amplius, ut secundum mensuram Ordinis diligentior cura apponatur, ut habeatur certitudo de qualitate promovendorum.

3. Et fortius ex Concilio Trident.[1], quod declarat Episcopum posse prohibere Clerico, ne ascendat ad altiores Ordines; et Clericum teneri obedire, *etiamsi ascensus a suo Prælato ex quacumque causa etiam ob occultum crimen quomodolibet, etiam extrajudicialiter fuerit interdictus;* nec Episcopus tenetur ei repulsionis causam manifestare; atqui si potest, tenetur repellere indignos, quamvis occultos, alias communicaret peccatis alienis.

4. *Ratione.* Qui contra bonum publicum aggreditur, repellendus est etiam cum suo detrimento, quia bonum publicum est bono privato anteponendum; sed qui se ingerit in munera publica, ut sunt Ordines, ad quæ non est idoneus, magnum detrimentum affert bono publico : ergo repellendus est, etiam cum sua infamia. Ita communiter cum S. Ligor.[2], contra quosdam.

Quæres 4. *An in conferendis Sacramentis liceat uti opinione probabili?*

Resp. Generaliter loquendo *non licet* ob propositionem 1 damnatam ab Innocent. XI. Ratio, quia minister curare debet ne Sacramentum exponatur vel ad nullitatem, vel ad profanationem; atqui, si generaliter in administrandis Sacramentis licitum esset uti opinione probabili, plerumque Sacramentum exponeretur periculo nullitatis vel profanationis. Ergo, etc.

Dixi *generaliter loquendo;* nam excipitur : 1° si adsit necessitas ex parte proximi, sicut de Baptismo et Pœnitentia in casu necessitatis, quia Sacramenta sunt propter homines, et non homines propter Sacramenta.

2° Si habeatur probabilis opinio de jurisdictione confessarii, vel de validitate Matrimonii.

3° Si administratio Sacramenti fieret obnoxia nimiis

[1] Sess. 14, cap. 1 *de Reform.* — [2] Lib. VI, num. 52.

scrupulis aut difficultatibus. Aliter, non posset baptizari infans, quem parentes asserunt non esse baptizatum, nec absolvi pœnitens cujus dispositiones ordinarie constare non possunt, nisi per ipsiusmet testimonium. Horum ratio est, quia tale testimonium non est nisi tantum probabile; unde si probabilitas non sufficeret, vix nullus aut baptizari, aut absolvi posset extra mortis articulum.

Porro hæc probabilitas, maxime si agatur de Pœnitentia, ita intelligi debet, ut opinio contraria sit tantum tenuiter aut dubie probabilis, id est, quæ æquivaleat certitudini morali, non maximæ quidem, adversus quam sola militat possibilitas contrarii, sed morali minimæ, adversus quam præter possibilitatem contrarii, militent quoque contraria momenta, sed lævia quæ rationabiliter contemnantur; uno verbo, illa requiritur probabilitas de dispositione, quæ sit absque prudenti formidine de contrario.

Quæres 5. *An et quando ministri teneantur administrare Sacramenta?*

Resp. Omnes pastores tenentur ex justitia, nempe ratione stipendii quod exigunt, Sacramenta ministrare suis subditis quoties isti rationabiliter petunt. Unde peccant qui morosos vel difficiles suis se reddunt. Excusantur tamen a mortali, si semel aut iterum, extra necessitatem, Sacramenta denegant, quia non videntur tam stricte se obligare.

Nomine autem *pastoris* dicuntur Superiores respectu Religiosorum; et respectu sæcularium, Episcopi, parochi, vel qui curam subsidiariam acceperunt cum obligatione[1]. Iis præhabitis, sit igitur

[1] S. Ligor., lib. VI, num. 58.

CONCLUSIO I.

In adulto ad valorem Sacramenti requiritur aliqua intentio positiva recipiendi Sacramentum[1].

Prob. 1. Ex can. *Majores, de Baptismo,* ubi Innocent. III ait : *Ille vero qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti.*

Prob. 2. Ex perpetua traditione et praxi Ecclesiæ, quæ nobis sufficienter constat ex Rituali Romano jussu Pauli V edito, ubi dicitur : *Si quis adultus sit baptizandus, debet... ejus voluntas et propositum sæpius explorari, et nonnisi sciens et volens, probeque instructus, baptizari.* Et infra prohibet ne baptizetur adultus qui in amentiam incidit, si, dum esset rationis compos, Baptismum non petiit. Hinc S. Thom.[2] concludit : *Si in adulto deesset intentio suscipiendi Sacramentum, esset rebaptizandus.*

Ratio a priori est institutio Christi, qui convenienter voluit ut nullus adultus qui usum rationis habuit, justitiam vel ejus augmentum assequeretur, sine ejus consensu in suam justificationem, ut declarat Concil. Trident.[3], dicens : *Justificationem esse renovationem interioris hominis* per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Can. *De Judæis,* dist. 45, Judæi qui coacti fuerant ad Baptismum suscipiendum, dicuntur Baptismi gratiam suscepisse : ergo valuit eorum Baptisma sine eorum consensu.

Resp. *Nego conseq.* Canon enim loquitur de solis Judæis qui, metu coacti, vere consenserant in Baptismum; licet enim *secundum quid* inviti, erant *simpliciter* volentes.

Inst. Glossa, in caput *Majores,* docet *validum esse Bap-*

[1] Ita definierunt Concil. Carthag. III, cap. 34; Arausicanum I, can. 12. — [2] 3 part., quæst. 68, art. 7. — [3] Sess. 6, can. 7.

tismum illius qui corde dissentit, modo dicat ore se consentire. Ergo, etc.

Resp. *Nego conseq.* Nullius enim ponderis est hæc Glossa, quæ jussu Gregorii XII fuit expuncta.

Objicies 2. S. August.[1] ait : *Quisquam accipere potest Sacramentum nolens, credere non potest nisi volens.* Ergo.

Resp. S. Augustinus ibi loquitur de sacramento Eucharistiæ, quæ, cum habeat esse permanens, potest a nesciente vel invito (quanquam sine fructu) percipi. Alias sibi contradiceret S. Doctor, cum[2] doceat istud discriminis esse inter infantes et adultos, quod adulti interrogati pro se respondere teneantur, sufficiat autem susceptores respondere pro infantibus.

Objicies 3. Concil. Florent. ad valorem Sacramenti tria tantum requirit, nempe materiam, formam et intentionem ministri : ergo intentio suscipientis non requiritur.

Resp. *Dist. ant.* Tria tantum requirit ex parte ministri, *conc.;* ex parte recipientis Sacramentum, *nego ant.* Concilium enim loquitur solum de iis quæ sunt necessaria ex parte conficientis Sacramentum, unde dicit : *Sacramenta tribus perficiuntur;* quare mirum videri non debet, si de intentione in suscipiente necessaria, nihil dixerit.

Inst. Confectio Sacramenti unice pendet a ministro : ergo ad ejus confectionem non requiritur actus suscipientis.

Resp. *Dist. ant.* Unice pendet a ministro tanquam a causa efficiente ministeriali, *conc.;* tanquam a conditione necessaria, *nego ant.* Intentio enim suscipientis est duntaxat conditio necessaria, ut verum et ratum sit Sacramentum.

Subsumes : Atqui intentio suscipientis non est conditio necessaria ut verum sit Sacramentum.

Prob. subsumpt. Suscipiens Sacramentum se habet ut patiens : ergo non requiritur ejus intentio, etc.

Resp. *Dist. ant.* Se habet ut patiens voluntarium, *conc.*,

[1] Tract. XXVI *in Joan.* — [2] Lib. IV *contra Donat.*, cap. 24.

involuntarium, *nego ant.* At in patiente voluntario requiritur voluntas recipiendi.

Inst. 2. Extrema-Unctio collata fideli præ subita infirmitate omnium sensuum usu destituto valet; atqui talis non habet positivam intentionem recipiendi Sacramentum. Ergo, etc.

Resp. *Dist. min.* Non habet positivam intentionem actualem aut virtualem, *conc.;* interpretativam, *nego.* Qui enim christiane ad mortem usque vixit, censetur velle ut sibi postea ratione destituto Sacramentum exeuntium conferatur.

Objicies 4. Multi inviti ordinati sunt, quorum tamen ordinatio rata habita est. Ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Ordinati sunt inviti *secundum quid,* id est, cum aliqua repugnantia propter metum et reverentiam, *conc.;* sunt ordinati inviti *simpliciter, nego ant.* Qui enim sic reluctantes erant, subinde ut votis Ecclesiæ et superiorum voluntati se faciles præberent, consentiebant se ordinari.

CONCLUSIO II.

Ad valorem Sacramenti sufficit intentio supradicta in recipiente, non autem requiritur fides, excepta Pœnitentia.

Prob. *Ex praxi et traditione* Ecclesiæ, quæ in variis Conciliis definivit hæreticos ab hæreticis baptizatos vel ordinatos, non esse denuo baptizandos vel ordinandos, cum ad fidem catholicam redierint, si hæc Sacramenta cum materia et forma legitima susceperint.

Dixi *excepta Pœnitentia,* quia hoc peculiare est huic Sacramento, ut actus pœnitentis, nempe contritio, confessio et satisfactio sint ejus materia; atqui non potest integra esse Sacramenti substantia sine valida materia; nec valida materia, nempe contritio, nisi fidem ac pietatem aliquam includat : ergo in suscipiente sacramentum Pœnitentiæ requiritur fides.

Quæres : *Qualis intentio requiratur in subjecto ad Sacramentum valide recipiendum?*

Resp. Non requiritur actualis, vel virtualis, *nisi in Matrimonio;* sed sufficit habitualis, id est, voluntas illud recipiendi præterita, sed non retractata; imo quandoque sufficit voluntas interpretativa.

Prob. 1. Quod sufficiat intentio habitualis, ex Conciliis[1] et Rituali Roman. præcipientibus, ut baptizetur moribundus sensibus et ratione destitutus, modo constet de præterita ejus voluntate; atqui tali moribundo non potest inesse nisi habitualis intentio. Ergo, etc.

Prob. 2. Quod quandoque sufficiat intentio interpretativa, ex constanti praxi Ecclesiæ, quæ fidelibus repentino morbo correptis, quo usum linguæ et rationis amiserunt, administrat sacramenta Pœnitentiæ et Extremæ-Unctionis, etiamsi illa ante non expetierint; atqui tunc est solum intentio interpretativa. Ergo, etc.

Dixi *excepto Matrimonio*, quia ad valorem contractus requiritur consensus saltem virtualis. Aliqui excipiunt etiam Pœnitentiam, quia in illo Sacramento actus pœnitentis requiruntur tanquam pars essentialis; sed de hoc in loco suo, ubi *de Pœnit.*

ARTICULUS II.

QUÆNAM DISPOSITIONES REQUIRUNTUR AD LICITAM ET SALUTIFERAM SACRAMENTORUM SUSCEPTIONEM.

Nota. Duo sunt Sacramenta *mortuorum,* Baptismus nimirum et Pœnitentia, sic dicta, quia sunt instituta ad remittendum peccatum mortale. Quinque vero sunt Sacramenta *vivorum;* scilicet Confirmatio, Eucharistia, Extrema-Unctio, Ordo et Matrimonium, sic dicta, quia sunt instituta pro hominibus vita spirituali gratiæ sanctificantis viventibus.

[1] Carthag. III, et Araus. I.

CONCLUSIO I.

d suscipienda Sacramenta mortuorum cum fructu requiruntur et sufficiunt quinque dispositiones, ex Trident.[1], scilicet fides, timor, spes, seu fiducia in Deo collocanda, amor Dei initialis, odium et detestatio peccati.

CONCLUSIO II.

Id recipienda cum fructu Sacramenta vivorum, præter actus prædictos, requiritur gratia sanctificans, quia sunt instituta ad augendam gratiam : ergo eam supponunt in subjecto.

CAPUT VI.

DE EFFECTIBUS SACRAMENTORUM.

Quæres : *Quotuplex sit effectus Sacramentorum?*

Resp. *Duplex :* unus *primarius,* scilicet gratia quæ confertur ab omnibus ; alter *secundarius,* nempe character, qui ab aliquibus tantum imprimitur : de quibus duobus articulis.

ARTICULUS I.

DE GRATIA QUÆ PER SACRAMENTA CONFERTUR.

Nota. Quatuor hic nobis sunt discutienda.

Primum : An Sacramenta novæ legis gratiam non ponentibus obicem conferant, et qualem.

Secundum : Quomodo Sacramenta novæ legis conferant gratiam.

Tertium : An dum propter obicem, gratiam non contulerunt, ipsa gratia, sublato obice, reviviscat.

Quartum : An vetera Sacramenta contulerint gratiam, et quomodo.

[1] Sess. 6, can. 6.

§ I.

An Sacramenta novæ legis gratiam non ponentibus obicem conferant, et qualem.

Nota. Quod Sacramenta novæ legis conferant gratiam, est de fide, definitum in Conciliis : Florent., in Decreto, his verbis : *Sacramenta veteris legis non causabant gratiam, sed eam solum per Passionem Christi dandam figurabant : hæc vero nostra et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt.* Trident. dicente[1] : *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem, non conferre... anathema sit.* Et can. 7 : *Si quis dixerit non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper et omnibus, quantum est, ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando et aliquibus, anathema sit.*

Restat ergo exponendum qualem gratiam conferant Sacramenta, circa quod

Nota. Gratia quæ per Sacramenta confertur, vel communis est omnibus Sacramentis, vel est propria unicuique.

Gratia *communis*, est gratia sanctificans, prima vel secunda, id est, quæ homini vel primum datur, ut in Sacramentis mortuorum ; vel jam data augetur, ut in Sacramentis vivorum.

Gratia unicuique Sacramento propria, quæ ideo *Sacramentalis* dicitur, definitur : *Gratia habitualis annexum habens jus ad gratias actuales necessarias ad assequendum finem proprium cujusque Sacramenti.* His notatis,

Quæres 1. *Qualem gratiam conferant Sacramenta mortuorum?*

Resp. Ex sese et ex primaria sua institutione, conferunt primam gratiam ; et per accidens secundam.

Prob. prima pars. Illa Sacramenta ex sese conferunt

[1] Sess. 7, can. 6.

primam gratiam, quæ sunt instituta ad mortuos justificandos; atqui Sacramenta mortuorum sunt instituta ad mortuos justificandos. Ergo, etc.

PROB. SECUNDA PARS. Fide constat Sacramenta conferre gratiam illis qui non ponunt obicem gratiæ : ergo qui jam per actum perfectæ contritionis justificatus, recepit sacramentum Baptismi, vel Pœnitentiæ, recipit gratiam cum non ponat obicem; atqui ille non recipit primam gratiam : ergo recipit secundam. Alias frustra justi sæpe confiterentur peccata venialia, aut mortalia jam remissa.

QUÆRES 2. *Qualem gratiam conferant Sacramenta vivorum?*

RESP. Ex primaria sua institutione, conferunt secundam gratiam, et per accidens primam.

PROB. PRIMA PARS. Quia sunt instituta ad augmentum gratiæ.

PROB. SECUNDA PARS. Ex Div. Thom., de Confirmatione dicente[1] : *Si aliquis adultus in peccato existens, cujus conscientiam non habet, vel si etiam perfecte non contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc Sacramento, consequitur remissionem peccatorum.* Idem docet de Eucharistia[2] et Extrema-Unctione[3].

Ratio est, quia Sacramenta conferunt gratiam non ponentibus obicem; sed qui facit quod in se est, nullum ponit, sed potius omnem tollit obicem. Ergo, etc.

OBJICIES : Sacramenta conferunt gratiam quam significant; atqui Sacramenta vivorum non significant primam gratiam. Ergo, etc.

RESP. *Dist. min.* Sacramenta vivorum non significant primam gratiam, per se ex primaria Christi institutione, *conc.;* per accidens et ex secundaria Christi institutione, *nego.* Ex hac enim institutione, Sacramenta significant omnem gratiam quam conferunt.

[1] 3 part., quæst. 73, art. 7, ad 2. — [2] 3 part., quæst. 7, art. 3 *in corp.* — [3] In 4, dist. 23, quæst. 1, art. 2.

Inst. 1. Status gratiæ est dispositio necessario requisita ad Sacramenta vivorum : ergo primam gratiam non conferunt.

Resp. *Similiter dist. ant.* Est dispositio necessario prærequisita, ex primaria Christi institutione, *conc.;* ex secundaria, *nego.* Ex hac enim secundaria institutione sufficit etiam status gratiæ prudenter existimatus, aut a suscipiente prius, quantum in se est, procuratus.

Inst. 2. Dispositiones ad Sacramentorum susceptionem requisitæ, debent esse veræ ac reales, nec sufficiunt si sint tantum existimatæ; ergo nulla responsio.

Prob. subseq. Quod est tantum existimatum, pro nihilo haberi debet : ergo non sufficiunt dispositiones existimatæ.

Resp. *Dist. ant.* Pro nihilo haberi debet, respectu rei existimatæ quæ de facto non adest, *conc.;* respectu bonitatis et misericordiæ Dei, qui noluit horum Sacramentorum fructu carere eos qui ad illa recipienda se dispositos prudenter existimarent, *nego ant.*

Quæres 3. *Utrum Sacramenta in omnibus gratiam semper conferant æqualem?*

Nota. Questio est de eodem Sacramento in se considerato, non comparate ad aliud : constat enim alia aliis ut dignitate, ita etiam efficacia præstare, ut Eucharistia, etc.

Resp. Eadem specie Sacramenta inæqualem conferunt ex opere operato gratiam iis qui sunt inæqualiter dispositi.

Prob. 1. *Ex Concil. Trident.* dicente[1] : Baptizatos recipere justitiam, *secundum mensuram quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem.*

Prob. 2. *Ratione.* Causæ necessariæ naturales plus vel minus operantur in subjecto, secundum majorem vel minorem ejus dispositionem : sic ignis intensiorem producit calorem in ligno quam in stipula; atqui Sacramenta agunt ut causæ necessariæ et naturales. Ergo, etc.

[1] Sess. 6.

Dices : Sacramenta ex opere operato agunt semper quantum possunt : ergo semper conferunt gratiam æqualem.

Resp. *Dist. ant.* Agunt quantum possunt cum respectu ad dispositiones subjecti, *conc.;* sine tali respectu, *nego ant.*

Inst. Ergo major illa gratia non datur ex opere operato, sed ex opere operantis, virtute nimirum dispositionum quæ sunt in subjecto; absurdum conseq.

Resp. *Nego ant.* Quia illæ dispositiones non sunt causæ gratiæ effectrices, sed tantum conditiones necessariæ ex parte subjecti, sine quibus Sacramenta non tantam producerent gratiam ex opere operato, sed minorem.

Quæres 4. *Quo instanti Sacramenta conferant gratiam?*

Resp. Eo instanti quo primum essentialiter perfecta sunt et applicata, si nullus apponatur obex; ratio est, quia sunt causæ necessariæ. Ergo, etc.

Quæres 5. *An Sacramenta, præter gratiam sanctificantem, conferant specialem gratiam sacramentalem?*

Resp. *affirmative.* Ratio est, quia Sacramenta ad fines diversos cuilibet proprios sunt instituta : nam, ut ait Eugenius IV, in Decreto, *per Baptismum spiritualiter renascimur, per Confirmationem roboramur in fide*, etc. : ergo Sacramenta, præter gratiam sanctificantem omnibus communem, auxilium peculiare conferre debent ad hos fines obtinendos; finis enim supernaturalis non potest obtineri ullis naturæ viribus.

Porro, gratiæ illæ actuales non statim a suscepto Sacramento et simul conferuntur, ut patet in infantibus ante usum rationis, qui non sunt capaces gratiarum actualium, sed tantum succesive et opportuno tempore, cum nempe occurrunt occasiones finem Sacramenti suscepti spectans, licet vi Sacramenti suscepti statim acquiratur jus ad gratias suo tempore et loco accipiendas.

Quæres 6. *An qui per mortale peccatum amisit gratiam sanctificantem, amittat etiam jus habendi suo tempore præcta auxilia?*

Resp. *affirm.* Quia verosimilius gratia sacramentalis non est habitus distinctus a gratia sanctificante, sed est ipsa gratia sanctificans, annexum habens jus ad gratias actuales ad finem proprium Sacramenti assequendum; atqui, amisso juris fundamento, jus ipsum amittitur. Recuperantur autem per pœnitentiam, cum gratia sanctificante.

§ II.

Quomodo Sacramenta novæ legis conferant gratiam.

Nota 1. Duo hic quæruntur.

Primum spectat dogma fidei adversus hæreticos, an scilicet Sacramenta conferant gratiam *ex opere operato.*

Secundum spectat Scholæ dissidium, nimirum an Sacramenta conferant gratiam physice, vel moraliter.

Nota. 2. Sacramentum conferre gratiam *ex opere operato,* est illam causare præcise vi operis ex instituto divino exerciti; non autem ex merito conficientis, vel suscipientis Sacramentum; hinc opus operatum est ipsum Sacramentum debite subjecto applicatum.

Sacramentum conferre gratiam *ex opere operantis,* est illam causare præcise vi meriti conficientis, vel suscipientis Sacramentum.

Nota 3. Duplicem esse causam, physicam scilicet, et moralem.

Causa physica est ea quæ producit actionem per quam existit effectus : hoc modo ignis producit calorem.

Causa moralis est ea quæ movet causam physicam ad producendam actionem per quam existit effectus; sic dominus imperans servo ut aliquem occidat, causa est moralis homicidii.

Utraque causa, physica et moralis, subdividuntur in principalem et instrumentalem.

Causa *principalis* est ea quæ agit virtute sibi propria.

Causa *instrumentalis* est ea quæ agit virtute sibi a causa rincipali communicata. His positis, sit

CONCLUSIO.

acramenta novæ legis gratiam causant ex opere operato iis qui nullum obicem apponunt.

Propositio est contra Lutherum et Calvinum, qui, cum sserant homines sola fide justificari, consequenter negant acramentis vim causandæ justificationis, solumque ea alere ad excitandam fidem qua homines justificantur, uos profligavit Concil. Trident., definiens[1] : *Si quis dixeit per ipsa novæ legis Sacramenta ex opere operato non nferri gratiam... anathema sit.*

Prob. 1. *Ex Scripturis.* Causare gratiam *ex opere operato,* est illam causare præcise vi operis ex instituto divino xerciti; atqui, ex Scriptura, Sacramenta novæ legis causant gratiam præcise vi operis ex instituto divino exerciti. rgo, etc.

Prob. min. Scriptura hanc vim tribuit nostris Sacramens; sit in exemplum aliorum Baptismus, in quo regenendi vis et efficacia aquæ non minus quam Spiritui Sancto ribuitur : aquæ tanquam causæ instrumentali, Spiritui ancto tanquam causæ principali, Joan. III : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in egnum Dei.*

Prob. 2. *Ex traditione Patrum* una voce dicentium cum Augustino vim sanctificandi signis exterioribus a Spiritu ancto inditam esse : *Unde tanta virtus aquæ, ut corpus ngat, et cor abluat*[2] ?

Prob. 3. *Ratione Theologica* ducta ex Baptismo infanum; nam si Baptismus ex se ipso, seu *ex opere operato,* on confert justificationem, sed solum excitat in subjecto dem, frustra confertur infantibus, utpote incapacibus actus

[1] Sess. 7, can. 8. — [2] Tract. LXXX *in Joan.*

fidei; consequens repugnat fidei et praxi Ecclesiæ, et ipsorum Lutheranorum et Calvinistarum, qui nobiscum contendunt adversus Anabaptistas, infantes esse baptizandos. Ergo, etc.

Hinc Div. August.[1] ait: *Non eorum meritis a quibus administratur, constat Baptismus; sed propria sanctitate atque veritate, propter eum a quo institutus est male utentibus ad perniciem, bene utentibus ad salutem.*

OBJECTIONES.

Objicies 1. Scriptura soli fidei vim sanctificandi tribuit, non vero Sacramentis, nisi quatenus fidem movent et excitant: ergo Sacramenta non conferunt gratiam ex se.

Prob. ant. Ex Apostolo dicente[2]: *Arbitramur justificari hominem per fidem.* Ergo non per Sacramenta.

Resp. *Nego ant.* Nullibi enim Scriptura usurpat particulam exclusivam *sola,* sicut falso supponit Lutherus.

Ad probationem dist. textum: *arbitramur justificari hominem per fidem* absque Sacramentis, *nego;* absque operibus legis, *conc.* Hic Apostolus sola opera legis Mosaicæ excludit, non vero Sacramenta.

Inst. Marc. ult. cap. Christus ait: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur;* ex quo sic argumentatur Lutherus: Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, damnabitur, etiamsi baptizetur: ergo non Baptismus, sed fides salvat.

Resp. *Nego conseq.* Sic enim concludere debet Lutherus: ergo non solus Baptismus, sed etiam fides salvat, quod concedimus, licet diversimode; fides enim est dispositio in adulto necessaria ad gratiam regenerationis obtinendam, et Baptismus est ipsa causa productiva regenerationis.

Objicies 2. Solus Deus est causa gratiæ: *Quis* enim *potest*

[1] Lib. IV *contra Cresc.*, cap. 16. — [2] Rom. III, 28.

facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es? ait Job[1].

Resp. *Dist. conseq.* Sacramenta non sunt causæ principales gratiæ, *conc.;* instrumentales, *nego.* Job autem loquitur de causa principali gratiæ, quæ est solus Deus.

Objicies 3. Voces istæ : *ex opere operato,* sunt novæ et barbaræ : ergo prorsus rejiciendæ.

Resp. *Esto ant., nego conseq.* Etsi enim essent novæ et barbaræ, nihilominus essent retinendæ, quia optime distinguunt virtutem Sacramenti a dispositionibus suscipientis; Ecclesia autem habet jus novas usurpandi voces in casibus occurrentibus ad antiquam fidem tuendam. Sic olim consecravit hæc vocabula : *consubstantialis, ingenitus,* quæ etsi in Scripturis non habeantur, res tamen per illa significatæ in istis inveniuntur. *Quid est autem contentiosius, quam ubi de re constat, certare de nomine,* respondebat Div. August. Pascentio Ariano, *epist.* 238.

Dixi *esto ant.* Quia plusquam a sexcentis annis hæ voces : *ex opere operato,* fuerunt ab Innocent. III usurpatæ[2].

Quæres : *Utrum Sacramenta novæ legis producant gratiam instrumentaliter physice, vel moraliter tantum.*

Resp. Contendunt plures cum auctore Sacramenta novæ legis producere gratiam *moraliter* tantum : quæ causalitas moralis, inquiunt, in eo consistit, quod efficaciter et immediate Deum moveant ad gratiam physice producendam, ex pacto scilicet quo se libere obstrinxit, ut ad præsentiam illorum signorum gratiam conferret iis qui nullum apponunt obicem, et sic probant[3] :

Omnis causa physica subjectum in quo agit, debet necessario attingere per physicum contactum, sive immediatum, ut ignis comburens lignum; sive mediatum, quomodo sol in visceribus terræ per calorem a se diffusum operatur; atqui Sacramenta, animam in quam agunt, non attingunt

[1] Cap. XIV, 4. — [2] Lib. *de Must. Missæ.* — [3] Ita Scotistæ contra Thomist.

physice, neque immediate et per se, cum sint corporea; neque mediate per virtutem a se emanantem, quæ ne fingi quidem potest. Ergo, etc.

Prob. min. Tum ex Matrimonio inter absentes per procuratorem celebrato, quod certe non attingit physice contrahentes, cum physice non sint præsentes; tum ex Baptismo ficte suscepto, id est, cum conscientia peccati mortalis; qui, recedente fictione, reviviscit, id est, confert gratiam homini pœnitenti, quique non attingit subjectum physice, cum non amplius existat; quod enim non existit, non potest agere physice.

Restat ergo ut Sacramenta gratiam moraliter producant, nam inter duplicem illum realem modum operandi, nullus medius interjacet.

Alii vero cum Suarez tenent causare physice instrumentaliter; ita ut causæ illæ naturales per potentiam obedientialem eleventur ad effectum supernaturalem :

1° Quia Scriptura videtur tribuere Sacramentis causalitatem physicam : ergo causant physice.

Prob. ant. Scriptura testatur hominem *ex aqua et Spiritu Sancto renasci*[1]; *salvum fieri per lavacrum regenerationis*[2]; atqui particulæ *ex* et *per* denotant causalitatem physicam : ergo Scriptura, etc.

2° Quia Patres videntur tribuere Sacramentis causalitatem physicam. Ergo, etc.

Prob. ant. Patres comparant virtutem Sacramentorum virtuti causarum physicarum et naturalium : ergo Patres tribuunt Sacramentis causalitatem physicam.

3° Quia, ex Trident.[3], Sacramenta continent gratiam : ergo gratiam conferunt physice. Nam si tantum efficaciter Deum moverent ut gratiam conferat, non differrent a Sacramentis antiquis, siquidem illa movebant etiam Deum ad dandam gratiam. Præterea, quamvis illa moverent Deum, tamen non dicuntur continere gratiam : ergo cum Trident.

[1] Joan. III, 5. — [2] Ad Tit. II, 5. — [3] Sess. 7, can. 7.

definivit nostra Sacramenta continere et causare gratiam, censetur ipsis tribuere causalitatem physicam. Ergo, etc.

4° Præterea, ex sententia adversarium sequeretur : 1° quod Sacerdos dicendo : *Absolvo te,* gratiam conferret tantum moraliter : porro, sic non vere absolveret; 2° quod qui exhibitione chirographi aliquem movet ut sibi solvat debitum, vere sibi solveret; absurdum conseq. Ergo, etc.

5° Quia tandem ea causalitas Sacramentis est tribuenda, quæ eorum excellentiam magis extollit; atqui talis est causalitas physica : ergo, etc. Utraque sententia est satis probabilis; secunda tamen magis decere videtur Sacramenta.

§ III.

An dum Sacramenta propter obicem non contulerint gratiam, ipsa, sublato obice, reviviscat.

Nota 1. Obex et fictio hic idem sonant, nec sumuntur pro simulatione qua quis fingeret exterius se velle recipere Sacramentum, quod reipsa nollet recipere, in quo casu Sacramentum esset invalidum; sed sumuntur pro pravis dispositionibus quibus impeditur ne gratiam Sacramenti recipiat.

Nota 2. Obex duplex est, scilicet : negativus et positivus.

Obex *negativus* est carentia dispositionis necessariæ ad gratiam recipiendam.

Obex *positivus* est receptio Sacramenti cum conscientia peccati mortalis non retractati. His notatis, sit

CONCLUSIO.

Sacramenta characterem imprimentia, sublato per pœnitentiam obice, reviviscunt.

Prob. *De Baptismo*, ex S. August. dicente[1] : *Tunc valere ad salutem incipit Baptismus, cum illa fictio veraci confes-*

[1] Cap. 24, dist. 24 *de Consecr.*

sione recesserit, quæ, corde in malitia vel sacrilegio perseverante, peccatorum abolitionem non sinebat fieri.

Ratio est, quia peccatum originale non potest remitti nisi per Baptismum aut ejus votum, prout definivit Concil. Trident.[1]; atqui non potest remitti per Baptismum, cum Baptismus valide collatus non possit reiterari; nec per ejus votum, cum nemo desiderare possit id quod amplius recipi non potest : restat ergo ut, remoto obice, regeneratio fiat per Baptismi antea valide suscepti reviviscentiam. Alias qui rite, sed ficte, recepisset Baptisma, non posset amplius justificari, quod est incredibile.

Prob. *De Confirmatione et Ordine.* Quia, cum hæc Sacramenta non possint iterari, valide confirmatus aut ordinatus gratiam sacramentalem ad assequendum finem horum Sacramentorum necessariam, nunquam obtinere posset, quod videtur incredibile.

Quæres 1. *Utrum gratia sacramentalis, recedente fictione, producatur a Sacramento, vel a pœnitentia subsequente?*

Resp. Producitur *per se* a Sacramento quod ficte receptum est, virtute scilicet characteris in anima impressi; per accidens autem a pœnitentia, quæ fictionem removet, per quam Sacramenti prohibebatur effectus.

Objicies : Sacramentum, ficte susceptum, est opus mortuum : ergo non potest reviviscere.

Resp. *Nego ant.* Sacramentum enim imprimens characterem vivit ratione characteris, vi cujus, quasi formæ impressæ, aut seminis post se relicti, operatur. Ita Div. Thom.[2] docet de Baptismo : *Dicendum,* inquit, *quod sacramentum Baptismi est opus Dei, et non hominis; et ideo non est mortuum in ficto, qui sine charitate baptizatur.* Idemque de Confirmatione et Ordine, characterem pariter imprimentibus, ferendum est judicium.

Quæres 2. *Utrum Sacramenta characterem non imprimentia, ficte suscepta, reviviscant, recedente fictione?*

[1] Sess. 6, can. 4. — [2] 3 part., quæst. 69, art. 10, ad 1.

Resp. 1. Probabilius affirmandum est de Matrimonio, Extrema-Unctione et Pœnitentia.

Prob. 1° *Quoad Matrimonium et Extremam-Unctionem;* quia Matrimonium, durante eodem conjugio, et Extrema-Unctio, durante eodem morbo iterari non possunt : ergo reviviscunt. Durum quippe videtur, quod qui hæc cum obice suscepit, privetur irreparabiliter gratia sacramentali tam necessaria conjugato ad onera matrimonii patienter ferenda, et infirmo ad luctam diaboli superandam. — 2° *Quoad Pœnitentiam;* nam pœnitens qui fecit confessionem validam sed informem, si postea conteritur, jam peccatum ei remittitur etiamsi non habeat hic et nunc votum Sacramenti. Ergo peccatum ei remittitur vi ipsius Sacramenti, prius informis. *Prob. conseq.,* quia, ex Trident.[1], omne mortale personale remitti debet per Sacramentum Pœnitentiæ, vel in re vel in voto susceptum. Hic autem non per Sacramentum in voto : ergo per Sacramentum in re susceptum[2].

Resp. 2. Probabilius negandum est de Eucharistia; nam Eucharistia ex sua institutione frequenter potest iterari. Alioquin, istud hoc sequeretur absurdum, quod Sacerdos qui pluries in sua vita sacrilege celebrasset, si in morte remissa attritione confiteretur, reciperet totum cumulum gratiarum tot sacrilegarum communionum; imo, quo sæpius indigne celebrasset, eo uberius gratiis ditaretur[3].

Quæres 3. *Qualis pœnitentia requiratur ad obicem removendum?*

Resp. Vel obex est *negativus,* vel *positivus.*

Si primum, id est si accessio ad Sacramentum non fuerit peccaminosa, ad removendum obicem sufficit ut subjectum habeat attritionem. Nam obex negativus consistit tantum in carentia dispositionis necessariæ quam subjectum bona fide putat se habere : ergo, posita hac dispositione, tollitur obex.

[1] Sess. 14, cap. 4. — [2] Sic Lugo, Salmant., Croix, S. Thom., Suarez, S. Ligor., etc. — [3] Sic Lugo, Croix, Concina, S. Ligor., etc.

Si secundum, id est, si accessio fuerit mortaliter peccaminosa, requiritur contritio perfecta, vel receptio sacramenti Pœnitentiæ, quia tunc obex consistit non in sola carentia, sed in peccato mortali in ipsa Sacramenti receptione; atqui peccatum istud mortale non remittitur nisi per attritionem in Pœnitentiæ sacramento, vel perfectam contritionem, ut alibi dicemus : ergo, etc.

§ IV.

An Sacramenta veteris legis contulerint gratiam et quomodo.

CONCLUSIO.

Nulla antiquæ legis Sacramenta, ne Circumcisio quidem, causabant gratiam ex opere operato, sed duntaxat ex opere operantis, hoc est, ex fide in Christum cujus erant signa protestativa.

Prob. prima pars. 1. Infirma et egena Sacramenta non conferunt gratiam *ex opere operato;* atqui Sacramenta vetera erant infirma et egena elementa ex Apostolo dicente[1] : *Quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa, quibus denuo servire vultis?* Et[2] : *In lege nemo justificatur apud Deum;* et alibi[3] : *Reprobatio fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus et inutilitatem : nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Ergo, etc.

Prob. 2. *Ex Concil. Florent.,* in decreto pro Armenis, ubi dicitur : *Novæ legis septem sunt Sacramenta... quæ multum a Sacramentis antiquæ legis differunt : illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant; hæc vero nostra et continent gratiam, et opem digne suscipientibus conferunt :* ergo Sacramenta vetera non erant instituta ad dandam gratiam,

[1] Galat. IV, 6. — [2] Galat. III, 12. — [3] Hebr. VII, 28.

sicut nova, sed duntaxat ad significandam illis futuram donationem.

PROB. SECUNDA PARS. Sacramenta vetera erant signa protestativa fidei in Christum mediatorem; atqui fides in Christum mediatorem erat meritoria, et gratiæ impetratoria. Ergo, etc. Hoc sensu Apostolus ait : *Factores legis justificabuntur*[1].

Confirmatur utraque pars ex S. August., de Sacramentis antiquis sic pronuntiante[2] : *Si per se attendantur, nullo facto possunt mederi; si autem res ipsæ, quarum hæc Sacramenta sunt, inquirantur, in eis inveniri poterit purgatio peccatorum :* ergo ex S. August., Sacramenta vetera per se, seu *ex opere operato* non justificabant, sed ex fide duntaxat, seu ex opere operantis.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Scriptura Sacrificiis ac Sacramentis antiquæ legis promittit remissionem peccatorum, dicens[3] : *Rogabit pro eo Sacerdos, et pro peccato ejus, et dimittetur ei :* ergo causabant gratiam ex opere operato.

RESP. *Dist. ant.* Promittit remissionem peccatorum quoad legalem immunditiam, *conc.;* quoad culpam et pœnam æternam, *nego ant.* Unde Sacramenta vetera non valebant conferre gratiam sanctificantem, sed, ut ait Apostol.[4] : *Inquinatos solummodo sanctificarunt ad emundationem carnis;* nimirum per gratiam legalem qua mundabantur a legali immunditia, recuperabantque jus participandi omnibus cæremoniis et privilegiis populi Dei.

OBJICIES 2. Saltem Circumcisio gratiam causabat ex opere operato. Ergo etc.

RESP *Nego ant.* Abraham enim *Circumcisionem accepit in signum, non ad justitiam,* ait Justinus martyr[5], cui consentiunt omnes Patres Augustino antiquiores.

[1] Rom. II, 13. — [2] Quæst. 25 *in lib. Num.* — [3] Levit. III, 21 et 31. — [4] Hebr. IX, 13. — [5] In *Dialog. cum. Tryphone.*

Prob. ant. Circumcisio instituta fuit ad delendum peccatum originale: ergo justificabat ex opere operato.

Resp. *Nego ant.* Sed unice instituta fuit ut esset signum fœderis Deum inter et Abraham ejusque posteros, ut constat ex verbis, quibus instituta fuit Circumcisio, Gen. xvii: *Hoc est pactum meum quod observabitis inter me et vos, et semen tuum post te. Circumcidetur ex vobis omne masculinum, et circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me et vos.* Non ait: ut sit in remedium peccati, et causam sanctificationis, sed *in signum fœderis;* nempe ut foret signum distinctionis populi Judaici a cæteris nationibus, singularisque protectionis Dei erga ipsum populum Dei electum. Unde Apostolus, quærens quæ sit utilitas Circumcisionis[1], respondet: *Multum per omnem modum: primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei.* Ergo illud præcipuum fuit Circumcisionis privilegium, quod eloquia Dei, id est lex, mandata, cultus Dei, Judæis concredita fuerint; sanctificatio autem sive in Circumcisione, sive in præputio, erat ex fide, ut ait Apostol., ibidem: *Unus est Deus qui justificat circumcisionem ex fide, et præputium per fidem.*

Confirmatur responsio. 1° Quia lex Circumcisionis locum non habuit in feminis, remedium autem peccati originalis debet esse commune. 2° Quia per quadraginta annos, quibus Judæi in deserto manserunt, observata non fuit lex Circumcisionis; tamdiu autem non fuisset omissa, si fuisset instituta ad peccatum originale delendum, ea enim indiguissent homines.

Itaque, ante institutionem Baptismi, remedium peccati originalis fuit fides in Christum venturum exterius manifestata per cæremoniam aliquam religiosam, cujus determinationem Deus reliquerat hominibus. *Porro,* posteri Abrahami pro cæremonia illa religiosa determinaverunt Circumcisionem applicandam masculis octavo die; femellæ

[1] Rom. iii, 1.

vero et masculi ante octavum diem morientes justificabantur per aliam exteriorem protestationem fidei parentum in Christum venturum illis applicatam. Ita sentit Div. Thom.[1], qui revocans oppositam sententiam, quam amplexus fuerat[2], ait : *In Circumcisione conferebatur gratia, non ex virtute Circumcisionis, sed ex virtute fidei passionis Christi, cujus signum erat Circumcisio, ita scilicet quod homo, qui accipiebat Circumcisionem, profitebatur se suscipere talem fidem, vel adultus pro se, vel alius pro parvulis. Unde et Apostol. dicit Rom.* IV : Abraham accepit signum Circumcisionis, signaculum justitiæ fidei. *Quia scilicet justitia erat ex fide significata, non ex Circumcisione significante.*

Quæres : *Quomodo externa et publica professio fidei in Christum venturum conferebat gratiam parvulis?*

Resp. 1. Non conferebat gratiam *ex opere operato*, alias fuisset ejusdem virtutis et efficaciæ cum Sacramentis Christi.

Resp. 2. Non conferebat *ex opere operantis* ex parte subjecti ; nam infantes non sunt capaces operis meritorii.

Resp. 3. Non conferebat *ex opere operantis* ex parte ministri, alias homo purus posset alteri mereri primam gratiam.

Resp. 4. Conferebat gratiam per modum meriti simul et suffragii : per meritum quidem, ex Christo, qui per fidem credebatur, seu ex fide objective sumpta, fluebat ; per suffragium autem, ex applicante remedium, seu ex fide subjective sumpta pendebat tanquam ex conditione sine qua non, id est, tanquam ex conditione a Deo requisita, non qua Deus moveretur ad condonandum peccatum, sed sine qua non condonaret, cum qua tamen, propter Christi venturi merita, peccatum originale, ex mera sua benignitate et misericordi providentia propter necessitatem hominum, remitteret. Hinc est quod Div. Thom.[3] dicat : *Hanc fidem quamdam*

[1] 3 part., quæst. 70, art. 4. — [2] In 4, dist. 11, quæst. 2, art. 4. — [3] In 4, dist. 1, quæst. 2, art. 6, ad 2.

habuisse similitudinem cum nostris Sacramentis, in quantum justificabat quasi ex opere operato, non autem ex opere operantis.

Inst. 1. Deus parvulis incircumcisis minatur pœnam æternam damnationis, ob violatum pactum cum Adamo initum de non comedendo fructu ligni prohibiti, his verbis: *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit*[1]. Ergo Circumcisio instituta fuit ad delendum peccatum originale.

Resp. *Nego ant.* 1° Enim pœna, quam Deus minatur, non est æterna, sed legalis, id est separatio quædam, seu exclusio a populo Dei, quomodo dicitur Num. x: *Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio Ecclesiæ,* hoc est, excommunicabitur. — 2° Pactum de quo mentio fit in textu, est pactum Circumcisionis, nullatenus vero pactum cum Adamo initum.

Inst. 2. Textus loquitur de solis infantibus: ergo pactum de quo hic, est pactum cum Adamo initum, non vero pactum Circumcisionis; infans enim, cum sit incapax præcepti, non potest esse violati præcepti reus.

Resp. *Nego ant.* Textus enim loquitur de omnibus, tum adultis, tum infantibus; quicumque enim non circumcidebatur, violabat hoc pactum, adultus quidem peccabat, infans vero non peccabat, sed populo Dei aggregatus non erat.

Prob. ant. Ex versione Græca, quæ sic habet: *Et incircumcisus masculus, cujus non circumcidetur caro præputii in die octavo, peribit,* etc. Ergo textus loquitur de solis infantibus.

Resp. *Nego conseq.* Et dico mendosam esse lectionem græcam; illa enim verba: *in die octavo,* non reperiuntur neque in textu Hebræo, neque in Paraphrasi Chaldaica, neque in nostra Vulgata.

[1] Gen. VII, 14.

Inst. 3. Div. August., in prædicto textu, per ly *masculus* intelligit parvulum; per ly *pactum*, intelligit pactum cum Adamo initum; per ly *peribit*, intelligit comminationem pœnæ æternæ. Ergo, etc.

Resp. *Nego conseq.* Et dico Div. August. ita sensisse, quia versione Græca mendosa fuit deceptus; unde, salva reverentia tanto Doctori debita, ipsum in hac opinione deserimus.

ARTICULUS II.

DE CHARACTERE SACRAMENTALI.

Quæres : *Quid sit character?*

Resp. Juxta mentem Concilii Tridentini[1], character *est signum spirituale, indelebile, impressum in anima, quo homo ad divina deputatur, et ab aliis distinguitur.*

Dicitur 1° *signum*, scilicet configurationis cum Christo, deputationis ad divina, et distinctionis ab aliis.

Dicitur 2° *spirituale*, id est, intellectu cognoscibile; character enim recipitur in anima; quidquid autem recipitur, ad modum recipientis recipitur.

Dicitur 3° *indelebile*, quia qualitas spiritualis et supernaturalis nihil sibi contrarium habere potest; hinc est quod Sacramenta characterem imprimentia iterari non possint.

Dicitur 4° *impressum in anima*, sive immediate, sive mediante potentia, v. gr. intellectu; hoc enim est indifferens, cum, juxta communiorem sententiam, potentiæ animæ ab ipsa anima realiter non distinguantur.

Dicitur 5° *quo homo deputatur ad divina*, nempe ad Sacramenta recipienda, ut Baptismus; ad Sacramenta administranda, ut Ordo; ad fidem profitendam, ut Confirmatio. Hinc probabilius est characterem pertinere ad secundam speciem qualitatis scilicet ad potentiam, ut infra probabitur.

[1] Sess. 7, can. 9.

Dicitur 6° *ab aliis distinguitur*, nempe a non characterizatis.

Nota. Duo circa characterem sunt expendenda duplici paragrapho : existentia scilicet ipsius et essentia : *primum* ad fidem, *secundum* ad scholæ opinionem pertinet.

§ I.

De existentia characteris.

Characteris existentiam negant unanimiter hæretici Wicleffus, Lutherus, Calvinus; contra quos

CONCLUSIO.

Tria Sacramenta, nimirum Baptismus, Confirmatio et Ordo imprimunt characterem.

Hæc propositio est de fide definita in Trident., sess. 7, can. 9 : *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.*

Illud dogma jam definierat Eugenius IV, in suo Decreto, his verbis : *Inter hæc Sacramenta tria sunt, Baptismus, Confirmatio et Ordo, quæ characterem, id est, spirituale quoddam signum a cæteris distinctivum imprimunt in anima indelebile : unde in eadem persona non reiterantur*, etc.

Hæc definitio fundatur in perpetua traditione, cujus testis est August., dicens[1] : *Accepit Sacramentum nativitatis homo baptizatus... videat si habet charitatem... si autem non habet, characterem quidem habet, sed desertor vagatur.* Idem repetit epist. 185, ubi Donatistam inducit sic loquentem : *Quare ergo me non baptizas, ut abluas me a pecca-*

[1] Tract. v *in epist. Joan.*

tis? Respondeo : *Quia non facio injuriam characteri Imperatoris, cum errorem corrigo desertoris.*

Ratio a priori nulla est alia, quam voluntas et institutio Christi.

Div. Thomas cæterique post ipsum Theologi hanc rationem congruentiæ afferunt; quia nempe conveniens fuit, ut Sacramenta illa, per quæ homo constituitur in aliquo statu de se perpetuo, imprimant characterem, quo homo deputetur ad illum statum; atqui per ista sola tria Sacramenta, homo constituitur in aliquo novo statu de se perpetuo : nam per Baptismum constituitur in familia Christi; per Confirmationem adscribitur militiæ Christi; per Ordinem constituitur in statu Ministrorum Christi : ergo tria tantum sunt Sacramenta, quæ imprimunt characterem, nempe Baptismus, *characterem familiæ Christi;* Confirmatio, *characterem militiæ;* Ordo, *characterem potestatis seu ministerii Ecclesiastici,* inquit Estius[1].

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Character sacramentalis nullibi reperitur in Scriptura : ergo non datur.

RESP. 1. *Transeat ant.* Quia multi Theologi existentiam characteris probant istis Scripturæ testimoniis : *Qui unxit nos Deus et signavit nos*[2]; et : *Nolite contristare Spiritum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis*[3]; sed cum isti textus intelligi possint de gratia sanctificante, et de facto sic explicentur a Divo Chrysostomo, Theophylacto et pluribus aliis, non est decretoria ex Scripturis probatio, ideo dixi *transeat ant.*

RESP. 2. *Nego conseq.* Quia præter Scripturam extat Traditio æqualis cum Scriptura auctoritatis, per quam probatur characteris existentia.

OBJICIES 2. Vitiosus hic a nobis admittitur circulus; probamus enim characterem per aliqua Sacramenta imprimi,

[1] In 4, dist. 1, § 20. — [2] II Cor. I, 15. — [3] Ephes. IV, 30.

quia hæc iterari non possunt; et probamus hæc iterari non posse, quia imprimunt characterem. Ergo, etc.

Resp. *Nego ant.;* ad probat. *distinguo* Probamus ex eodem genere causæ, *nego;* ex diverso, *conc.;* probamus enim aliqua Sacramenta iterari non posse ex charactere impresso tanquam ex effectu Sacramenti; et vicissim probamus characterem ab illis Sacramentis imprimi, tanquam ex causa characteris.

Inst. Ex eo quod Sacramentum iterari non possit, male inferetur per illud characterem imprimi. Ergo Resp. *Nego ant.*

Prob. ant. Matrimonium iterari non potest, et tamen non imprimit characterem. Ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Iterari non potest cum eadem persona, quia indissolubile est vinculum conjugale, *conc.;* cum alia persona post mortem compartis, *nego;* quod satis est ut characterem non imprimat, cum hominem non constituat in statu de se perpetuo.

§ II.

De natura characteris.

Nota. Hoc unum circa naturam characteris fides, ut credatur, exigit, nempe esse *signum spirituale, animæ impressum, ac indelebile :* hic hæret fides; quæ vero sit natura illius signi, non definivit Ecclesia.

Durandus[1] docet characterem non esse quid absolutum distinctum ab anima, sed esse meram relationem rationis, seu denominationem extrinsecam advenientem homini, qui ad aliquas functiones deputatur.

Scotus fatetur quidem cum Durando characterem non esse qualitatem absolutam, sed contendit esse relationem realem extrinsecus animæ advenientem[2]; contra quos cum aliis Theologis sit

[1] In 4, dist. 4, quæst. 1. — [2] Scotus, in 4, dist. 6, quæst. 10.

CONCLUSIO.

Character non est extrinseca tantum denominatio, nec relatio realis; sed est verum accidens physicum et absolutum, quod ad secundam speciem qualitatis, nempe ad potentiam vel physicam, vel moralem, revocatur.

PROB. PRIMA PARS. Quia de fide est, ex Trident. citato[1], characterem in anima imprimi indelebiliter; atqui mera denominatio extrinseca non imprimitur subjecto cui affigitur, ut patet in denominatione superioris in eo qui fuit superior. Ergo, etc.

PROB. SECUNDA PARS *contra Scotum*. Quia, ex Philosophia, relatio per veram actionem non producitur, sed resultat ex fundamento et termino; atqui character vere producitur in anima per actionem realem. Ergo, etc.

PROB. TERTIA PARS. Quia quidquid actione reali producitur, physicum est et absolutum; atqui character actione reali producitur. Ergo, etc.

PROB. QUARTA PARS. Ea qualitas merito *potentia* dicitur, quæ dat simpliciter posse agere vel pati; atqui talis est character per quem homo ad Sacra deputatur active vel passive, id est, suscipienda vel perficienda. Ergo, etc.

CAPUT VII.

DE CÆREMONIIS SACRAMENTORUM.

QUÆRES : *Quid intelligatur nomine cæremoniæ?*

RESP. Intelligitur actus externus religionis qui ad ornatum et pompam cultus divini, ad decentem Sacramentorum administrationem, et ad devotionem populi excitandam ab Ecclesia fuit institutus.

Cum illæ cæremoniæ spectant cultum divinum in genere, vocantur *Sacramentalia;* cum spectant decentem Sacra-

[1] Sess. 7, can. 8.

mentorum administrationem, vocantur *ritus Sacramentales*[1]. Itaque agemus: 1° de ritibus Sacramentalibus; 2° de Sacramentalibus, duplici paragrapho.

§ I.

De ritibus Sacramentalibus.

Nota. Novatores, Lutherani et Calvinistæ varie erraverunt circa ritus Sacramentales, docueruntque : 1° eos inutiles esse; 2° Ecclesiam non habere potestatem novos ritus instituendi; 3° neminem teneri eos observare; contra quos

CONCLUSIO I.

Ritus et cæremoniæ sacramentales sunt perutiles.

Prob. Quod valet ad majestatem et reverentiam mysteriis nostræ religionis conciliandam, ad pietatem fidelium promovendam, ad nutriendam eorum fidem, notitiamque mysteriorum veluti oculis subjiciendam, est maxime utile; atqui ad hæc omnia valere ritus sacramentales asserit Concil. Trident.[2], his verbis : *Cæremonias item adhibuit* (Ecclesia), *ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes aliaque id genus multa ex Apostolica disciplina et traditione, quo et majestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per hæc visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.* Ergo, etc.

[1] Illud intercedit discrimen inter *ritum* et *cæremoniam*, quod habetur inter aquam et lotionem, inquit Bonin. Magn., in op. *Notizia dei vocaboli Ecclesiastici;* siquidem, juxta mentem Trident., cæremonia est *ipsa actio*, ritus est modus præscriptus, quo fit ipsa actio; promiscue tamen passim usurpari hæ voces asserit R. P. Perrone, *de Sacram. in gen.*, cap. 4.

[2] Sess. 22 *de Sacrificio Missæ*. cap. 5.

CONCLUSIO II.

Ecclesia potestatem habet instituendi cæremonias.

Prob. Quia Ecclesia potestatem a Deo accepit promovendi exteriorem Dei cultum, Sacramenta ornandi, pietatem ac fidem promovendi; atqui ad hæc omnia conferunt plurimum cæremoniæ, ut patet ex superiori propositione. Ergo, etc.

Unde Concil. Trident.[1] *declarat hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum veneration, pro rerum, temporum, et locorum varietate, magis expedire judicaret,* etc.

CONCLUSIO III.

Ritus in Sacramentorum administratione ab Ecclesia usitatos et approbatos, mutari vel omitti, peccatum est mortale ex genere suo.

Prob. *Ex Concil. Trident.*, quod hunc canonem edidit[2]: *Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit.* Hinc Concil. Burdigalense, ann. 1582 celebratum, ait: *Ne sacerdotum in Sacris tractandis negligentia et incuria populi pietatem imminuat, præcipimus ut præscriptas a majoribus nostris in Sacramentis administrandis cæremonias non solum diligenter, sed etiam summa cum animi intentione et religione observent, nihil omnino addentes, nihil detrahentes.*

Ratio est Ecclesiæ præceptum, cui in omnibus semper est obsequendum[3]; *qui* enim *resistit potestati, Dei ordina-*

[1] Sess. 21, cap. 1. — [2] Sess. 7, can. 13. — [3] Rom. XIII, 12.

tioni resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt, ait Apostolus [1].

§ II.

De Sacramentalibus.

Quæres 1. *Quid intelligitur Sacramentalium nomine?*

Resp. Intelliguntur quidam ritus externi, ab Ecclesia instituti et consecrati ad quosdam effectus spirituales producendos.

Vocantur Sacramentalia, quia quamdam habent cum Sacramentis similitudinem, et in eorum administratione usurpantur.

Quæres 2. *Quot sint Sacramentalia?*

Resp. Sunt sex hoc versu comprehensa :

Orans, Tinctus, Edens, Confessus, Dans, Benedicens.

Orans indicat orationem Dominicam, quæ, ex August.[2], *delet minima et quotidiana peccata.*

Tinctus indicat signum crucis aqua lustrali efformatum.

Edens indicat panem vel fructus Ecclesiæ precibus benedictos.

Confessus indicat confessionem generalem, quæ fit initio

[1] Hinc S. Augustinus hæc verba Apostoli : *Cætera cum venero disponam*, expendens ait : *Unde intelligi datur (quia multum erat, ut in epistola totum illum agendi ordinem institueret, quem universa per orbem servat Ecclesia), hoc ipso ordinatum esse, quod nulla morum diversitate variatur.* Præterea quod graviter peccent sacrorum rituum desertores vel innovatores, quicumque sint illi privati : « Vel inde patet, inquit doctissimus P. Perrone » (Tract. *de Sacram. in gen.*, cap. 4), quod hi ritus valde conferant ad » instructionem fidelium, utpote arctissime conjuncti cum doctrinis dogma- » ticis et moralibus, quarum, ut ita loquar, expressio sunt. Hinc est quod » quicumque novitates in Ecclesia machinati sunt, semper cœperint a receptis » his ritibus immutandis ac innovandis, non sine ingenti pacis et tranquilli- » tatis jactura et populi offensione....., quæ non ita pridem in Jansenistarum » molitionibus tum ad antiquas ac ubique receptas consuetudines abrogandas, » tum ad novas inducendas contigisse comperimus tam in Galliis, quam in » Italia. »

[2] *De Pœnit.*, dist. 3, can. 30.

Missæ, ad Primam et Completorium, et quæ incipit : *Confiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper Virgini,* etc.

Dans indicat omnia opera misericordiæ.

Benedicens indicat benedictionem quæ datur in tonsura clericali, unctione sacerdotum, regum et abbatum, consecratione agni Dei a Papa benedicti ex cera confecti, etc.

Quæres 3. *Quinam sint Sacramentalium effectus?*

Resp. 1. Certum est quod non conferant gratiam sanctificantem *ex opere operato;* hæc enim efficacia propria est Sacramentis, quæ Ecclesia non potest instituere.

Resp. 2. Possunt remittere peccata mortalia et producere gratiam sanctificantem mediate et *ex opere operantis*, quatenus scilicet, virtute orationum Ecclesiæ, impetrant a Deo auxilia gratiæ actualis ad eliciendos actus contritionis et charitatis, quibus peccata remittuntur, et gratia sanctificans confertur.

Resp. 3. Sacramentalia remittunt peccata venialia, et alios interdum effectus corporales aut spirituales producunt, ut sunt excitatio gratiæ actualis, remissio pœnæ temporalis, compressio dæmonis, operatio sanitatis.

Dixi *interdum;* non enim hos effectus conferunt infallibiliter, cum non habeamus promissionem Christi obligatam, ut semper ad præsentiam illorum Sacramentalium illos effectus operetur.

TRACTATUS DE BAPTISMO.

Hunc de Baptismo tractatum septem absolvemus capitibus : *primum* erit de natura Baptismi, ejusque discrimine a baptismate Joannis; *secundum*, de materia et forma Baptismi; *tertium*, de variis proprietatibus Baptismi; *quartum*, de Ministro; *quintum*, de ejus subjecto; *sextum*, de effectibus Baptismi, et dispositionibus ad eos percipiendos; *septimum*, de cæremoniis ipsius et Patrinis.

CAPUT I.

DE NATURA BAPTISMI.

Nota 1. Cum nullus hæreticus neget Baptismum esse sacramentum, nihil est quod immoremur in illius institutione probanda.

Nota 2. Baptismus[1] derivatur a verbo græco βαπτίζω, id est, lavo, tingo, immergo, et triplex est, scilicet Baptismus sanguinis, flaminis et fluminis.

Baptismus *sanguinis* est martyrium pro Christo perpessum.

Baptismus *flaminis* est votum, seu desiderium recipiendi sacramentum Baptismi.

Baptismus *fluminis* est primum novæ legis Sacramentum, de quo tota instituitur dissertatio, ideo

[1] Baptismo varia data fuerunt nomina, quæ sic exponit S. Gregor. Nazianz. (Orat., *in sanctum Baptisma*) : *Quemadmodum Christus, hujus* (Baptismi) *dator, multis et diversis nominibus appellatur, ita ipsum quoque donum varia nomina sortitur...* Donum *dicitur, quia iis, qui nihil prius contulerunt, datur;* Gratia, *quia etiam debentibus;* Baptismus, *quia peccatum in aqua sepelitur;* Unctio, *quia sacer et regius; hujusmodi enim ea erant, quæ ungebantur;* Illuminatio, *porro, quia splendor et claritas;* Indumentum, *quia ignominiæ nostræ velamen est;* Lavacrum, *quia abluit;* Sigillum, *quia conservatio est ac dominationis significatio.*

Quæres 1. *Quid sit Baptismus?*

Resp. Est *Sacramentum a Christo Domino institutum ad spiritualem hominis regenerationem per exteriorem corporis ablutionem, factam aqua, sub præscripta verborum forma.*

Explicatur definitio ut innotescat quam sit accurata, utpote quæ clare exponit materiam tum physicam, tum metaphysicam Baptismi.

Dicitur 1° *Sacramentum a Christo Domino institutum;* pro genere, per quod convenit cum aliis Sacramentis, cum sit signum ad nostram justificationem divinitus institutum.

Dicitur 2° *ad spiritualem hominis regenerationem;* pro differentia; solus enim Baptismus regenerat, non aliud Sacramentum, ne Pœnitentia quidem, cum non primam vitam spiritualem conferat, sed jam amissam restituat, ut non regenerare, sed resuscitare dicatur.

Dicitur 3° *per externam corporis ablutionem;* ut designetur materia proxima hujus Sacramenti.

Dicitur 4° *factam aqua;* ut designetur materia remota, quæ est aqua naturalis.

Dicitur 5° *sub præscripta verborum forma;* ut designetur expressa Sanctissimæ Trinitatis invocatio, quæ est forma hujus Sacramenti.

Quæres 2. *Quandonam institutum fuerit sacramentum Baptismi? an ante, an post Passionem?*

Resp. De ea re altum est in Scriptura et Traditione silentium, unde Patres et Theologi in varias abiere sententias; tamen

Probabilius est, ex ipsis Scripturis, *sacramentum Baptismi ante Passionem fuisse institutum.*

Prob. *Ex Scriptura.* Joannis cap. III : *Post hæc venit Jesus et discipuli ejus in Judæam, et illic commorabatur cum eis et baptizabat,* nimirum per Apostolos, ut explicatur capite quarto; *quanquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus;* atqui non baptizabat baptismo Joannis, sed

suo, ut docet Div. August.[1], et constat ex invidia discipulorum Joannis[2]; si enim discipuli Christi baptizassent baptismo Joannis, non ipse Christus, sed Joannes per eos baptizasset, sicque nulla fuisset invidiæ causa, cum in illa hypothesi Christus visus fuisset discipulus Joannis : ergo Apostoli baptizabant baptismo Christi. Ita communiter cum S. Thom.[3].

Dices : Christus sacramentum Baptismi instituit post suam resurrectionem, dum Apostolis suis dixit[4] : *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos,* etc.

Resp. *Nego ant.* Nam Apostoli in ultima cœna facti sunt Sacerdotes; ordinem autem recipere non potuissent, nisi jam recepissent Baptismum, qui est janua aliorum Sacramentorum.

Inst. In Baptismo Christi datur Spiritus Sanctus; atqui, ex Scriptura[5], ante resurrectionem *nondum erat Spiritus datus.* Ergo, etc.

Resp. *Dist. textum.* Nondum erat Spiritus datus *visibiliter,* prout evenit in die Pentecostes, *conc.;* invisibiliter, per collationem gratiæ, *nego.*

Urgebis : Gratia est effectus passionis Christi : ergo non potuit conferri ante Christi mortem.

Resp. *Dist. ant.* Est effectus passionis Christi, tanquam causæ moralis et meritoriæ, *conc.;* tanquam causæ physicæ, *nego ant. et conseq.*

Itaque, in physicis, causa debet præcedere effectum, non vero in moralibus; alias Apostoli in die cœnæ, recipiendo sacramenta Eucharistiæ et Ordinis, non recepissent gratiam; quod est falsum et absurdum.

Quæres 3. *In quo differebat baptismus Joannis a baptismo Christi?*

Resp. In hoc potissimum differebat, quod non fuerit Sacramentum, nec nisi ex opere operantis, virtute nimirum

[1] Tract. XI *in Joan.* — [2] VII, 26. — [3] 3 p., quæst. 66, art. 2. — [4] Matth. XXVIII, 19. — [5] Joan. VII, 39.

pœnitentiæ ad quam erat exhortatio, vim habebat justificandi; unde Joannes dicit[1] : *Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos in Spiritu Sancto.*

Hinc jure ac merito Concil. Trident.[2] anathematizat eum *qui dixerit baptismum Joannis eamdem vim habuisse cum baptismo Christi.*

Quæres 4. *Quonam vero tempore ante Passionem institutus fuerit?*

Nota. Quidam docent Baptismum institutum fuisse post Christi resurrectionem, cum dixit Apostolis suis : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos,* qui refelluntur præcedenti propositione : quidam volunt institutum fuisse quidem ante passionem, sed quo tempore non conveniunt. Alii dicunt cum Christus dixit Nicodemo[3] : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua,* etc. Alii tunc fuisse institutum, cum Christus[4] misit discipulos ad baptizandum, sed

Resp. *Probabilius* Christus instituit Baptismum quando in Jordane fuit baptizatus. — Prob. *ex SS. Patribus,* qui in hanc Div. August.[5] conveniunt sententiam : *Ex quo Salvator in aqua se mersit, ex eo omnium gurgitum tractus cunctarumque fontium venas mysterio baptismatis consecravit.* Vel illam S. Maximi[6] : *Quod vero fluentis Jordanis baptizatur Christus, non sibi, sed nobis baptizatur : non ut purificetur aquis, sed ut aquas ipse sanctificet : baptizatur novus homo, ut novi Baptismatis constituat sacramentum.*

Unde sic : Tunc Sacramentum instituitur, quando accipit virtutem conferendi gratiam; atqui hanc virtutem accepit Baptismus quando Christus fuit baptizatus in Jordane. Ergo.

Confirmatur. Tunc Baptismus fuit institutus, inquit Billuart, quando ejus materia consecratur, forma designatur, et effectus insinuatur; atqui hæc locum habent in baptismate Christi : ergo, etc.

Prob. min. Materia est aqua quæ tactu Christi conse-

[1] Marc. I, 8. — [2] Sess. 7, can. 1. — [3] Joan. III. — [4] Ibid. — [5] Serm. 36 *de Temp.* — [6] Homil. VII *de Epiph.*

ratur; forma, quæ est invocatio Sanctissimæ Trinitatis, significatur : vox enim Patris intonuit e cœlo, Filius præsens erat in prima, et Spiritus Sanctus sub columbæ specie apparuit. Tandem effectus Baptismi fuit insinuatus : apertio enim regni cœlorum est effectus Baptismi.

Quæres 5. *Quandonam Baptismus cœpit obligare?*

Nota. Quidam volunt Baptismum incœpisse obligare quando Christus dixit Nicodemo : *Nisi quis renatus fuerit,* etc., ut supra; alii assignant diem Pentecostes, cum lex Evangelica fuit solemniter promulgata, sed

Resp. *Probabilius* Baptismus cœpit obligare non ante, sed statim post passionem et resurrectionem Christi. Prima pars est certa, secunda probabilior.

Prob. prima pars. Lex Nova non debuit obligare antequam lex Vetus cessaret obligare, res enim non una simul est cum sua figura, sed *umbram fugat veritas;* atqui lex Vetus non cessavit ante mortem et resurrectionem Christi: ergo, etc.

Prob. min. Tum quia Christus[1] præcepit leproso mundato se ostendere sacerdoti et afferre munus secundum legem Moysis; tum quia immolatio agni paschalis fuit in præcepto usque ad mortem Christi[2]; tum quia lex Nova non obligavit nisi fuerit adæquate plena; non fuit autem adæquata, nisi cum Christus dixerit : *Consummatum est;* tum denique quia lex Vetus non fuit abrogata, nisi cum translatum fuit sacerdotium; atqui sacerdotium non fuit translatum nisi cum Christus summus Sacerdos se in cruce Deo Patri hostiam obtulit : ergo, etc.

Hinc S. Bernard.[3] dicit hæc verba : *Nisi quis renatus fuerit,* etc., *non importare legem præ tunc, quia durum, austerumque videtur, ut videlicet verbum absconditum palam jam noceat, ut ante judex feriat, quam minetur.*

Prob. secunda pars *cum Billuart.* Umbra non recedit, nisi adveniente luce, nec figura tollitur, nisi per realitatem

[1] Matth. VIII. — [2] Luc. XXII. — [3] Epist. LXXVII *ad Hugonem.*

et veritatem; atqui lex Vetus, umbra et figura Novæ legis, cessavit in morte et passione Christi : ergo, etc.

Præterea, non est verosimile Deum voluisse tunc dimittere mundum sine aliquali lege positiva; sed tempore passionis Christi lex Vetus fuit mortua, licet nondum mortifera; atqui fundamentum Novæ legis est sacramentum Baptismi : ergo baptisma cœpit statim obligare sub hoc puncto.

CAPUT II.

DE MATERIA ET FORMA BAPTISMI.

CONCLUSIO I.

Materia remota Baptismi necessaria est omnis et sola aqua naturalis seu elementaris ad abluendum apta.

Prob. *Ex Script.* Joan. III : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Act. VIII : *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* atqui aquæ nomine veram naturalem et elementarem intelligendam esse, constans et perpetua demonstrat Ecclesiæ praxis et traditio. Ergo, etc.

Hinc jure Trident. hunc canonem edidit adversus Lutheranos docentes Baptismum valere in vino et lacte : *Si quis dixerit aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi; atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi :* Nisi quis renatus fuerit ex aqua, etc., *ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.*

Dixi in conclusione : 1° *omnis aqua,* sive maris, sive putei, fontis, pluviæ, nivis, modo sit resoluta; sive calida, sive frigida, sive colorata sive non; quia omnes illæ aquæ sunt naturales, sive defluens tempore nimboso a pariete, sive ex vaporibus ollæ, etc.

Dixi 2° *sola aqua naturalis;* ut excludantur omnes alii liquores, vinum, lac, cerevisia, ptisana, liquor ex rosis expressis, etc., quia non sunt aquæ naturales.

Dixi 3° *necessaria,* quia nec Chrisma, quod in solemni fontis baptismalis consecratione aquæ infunditur, nec ipsa benedictio aquæ, est absolute necessaria.

Dixi 4° *ad abluendum apta;* ut excludantur nix, grando, glacies, nisi sint in aquam resoluta ac liquata.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Laudata Christi verba[1] : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua,* etc., non litterali sensu de aqua vera, sed figurato, de spiritu mundante instar aquæ, sunt intelligenda : ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Cujus falsitas constat ex supra laudato canone Trident.[2].

Prob. ant. In hoc textu Matthæi[3] : *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni,* ignis sumitur metaphorice pro gratia quæ diffunditur in cordibus per Spiritum Sanctum; ergo et aqua in textu Joannis sumi debet metaphorice.

Resp. *Nego conseq. et parit.* Disparitas habetur ex praxi Christi, Apostolorum ac Ecclesiæ totius, a quibus inter baptizandum aqua semper fuit adhibita, nunquam vero ignis, qui non materiam, sed effectum Baptismi symbolice denotat.

Objicies 2. Stephanus III, consultus de Presbytero qui infantem omnino periclitantem vino baptizavit deficiente aqua, respondit : *Nulla ei* (Presbytero) *exinde adscribitur culpa (infantes sic permaneant in ipso Baptismo); nam si præsens adfuit aqua, ille Presbyter excommunicetur.* Ergo, etc.

Resp. 1. Responsum illud totum esse suppositicium, tum quia non exstat in collectionibus Ecclesiæ Romanæ et Galli-

[1] Joan. III, 3. — [2] Sess. 7, can. 2 *de Bapt.* — [3] Cap. V, 11.

canæ, tum quia tres codices qui illud referunt, non sibi consentiunt; alii enim illud tribuunt Siricio, alii Stephano II vel III, alii Stephano Tornacensi.

Resp. 2. Supposita veritate historiæ, in responso Stephani culpa librariorum mendum irrepsisse, legendumque esse : *Nulla ei adscribitur culpa*, quia nimirum bona fide, ex ignorantia, instante necessitate id fecit : quod autem ansulis inclusum invenitur, est adulteratio.

Objicies 3. Narrat Nicephorus[1] aliquem Judæum, cum per loca arida iter faceret et de vita periclitaretur, a socio in arena baptizatum fuisse, atque veritatem Mysterii miraculo confirmatam fuisse : ergo aqua non est sola materia Baptismi.

Resp. *Nego conseq.* Baptismus enim ille improbatus fuit ab Ecclesia, et Judæus ille postquam domum rediit, jussu Alexandri Episcopi tinctus fuit aqua, ut refert idem Nicephorus.

Igitur tam subita curatio non est referenda veritati baptismatis, quod nullum erat, sed ardori fidei ipsius, quæ hoc miraculum a Deo impetravit.

Quæres 1. *Quænam est materia dubia Baptismi?*

Nota. In necessitate non solum licet, sed debet adhiberi materia etiam tenuiter dubia, modo non sit certe invalida.

Resp. Materia dubia est : 1° jus, lixivium; 2° aqua ex sale soluto; 3° cerevisia tenuis, ut aiunt Antoine, Sporer, etc.; 4° aqua per artem chimicam educta ex floribus, plantis, vino, oleo, et generaliter ex quocumque corpore humido. Ratio, quia in mixtis elementa vere remanent formaliter elementa, et ideo vi chimica quodlibet resolvi potest in suam speciem, ita ut materia aquea virtute chimiæ separata, sit vere aqua naturalis seu elementaris. Et hoc probari potest ex capite *In quoddam*[2], ubi Pontifex loquens de aqua quæ fluxit ex latere Christi, asserit veram

[1] Lib. III *Hist.*, cap. 37. — [2] *De celeb. Miss.*

esse aquam, dicens : *Sive fuit divina virtute creata, sive de componentibus ex parte aliqua resoluta, cum naturaliter possit elementum in elementa resolvi.* Ita plures contra plures; et ideo in extrema necessitate potest, imo debet adhiberi, saltem sub tacita conditione[1].

Quæres 2. *An sit licitum conferre Baptisma in aqua non benedicta seu lustrali?*

Nota. Ecclesiæ praxis et lex adhibendæ in Baptismo aquæ consecratæ seu chrismate delibutæ et benedictæ illo anno in sabbato sancto, vel vigilia Pentecostes, ex Apostolorum traditione descendere, colligitur ex eo quod antiquissimi Patres et Euchologia seu Ritualia mentionem illius faciant, quin ejus initium assignari possit. Ratio hujus benedictionis, juxta Div. Thom.[2], est quod per aquæ benedictionem impeditur astutia dæmonis ne impediat effectum Baptismi. Quo notato,

Resp. 1. In Baptismo *solemni* uti aqua non consecrata, cum alia haberi potest, est grave peccatum, ob Sacramenti irreverentiam, ut communiter docent Doctores.

2. In Baptismo *privato,* quamvis deceat ut fiat in aqua consecrata, *probabiliter* tamen non agnoscitur præceptum Ecclesiæ; unde probabiliter licet uti aqua non consecrata. Nec obstat ratio S. Thomæ supra relata; est quidem ratio liturgica, at non tanta ut ex illa desumi possit obligatio.

CONCLUSIO II.

Materia proxima Baptismi est exterior corporis ablutio per aquam immediate supra corpus baptizandi fluentem.

Prob. Materia proxima in quolibet Sacramento est usus et applicatio materiæ remotæ ad subjectum; atqui in Baptismo ablutio est usus et applicatio aquæ ad subjectum : ergo ablutio est materia proxima Baptismi. Hinc Baptismus dicitur ab Apostolo *lavacrum aquæ*[3].

[1] S. Ligor., lib. VI, num. 104.—[2] 3 p., quæst. 66, art. 3, ad 3.—[3] Eph. V, 29.

Dicitur 1° *per aquam fluentem;* quia debet esse motus successivus aquæ; nec enim dicitur ablutus, supra quem decidit una guttula aquæ non fluens.

Dicitur 2° *immediate;* non enim sufficit aquam vestes baptizandi attingere, sed necesse est perfundat ejus corpus, alias non ipse, sed vestes ipsius aut capilli dicerentur ablui.

Dicitur 3° *supra corpus*, id est, supra unam ex præcipuis corporis partibus, maxime vero caput, in quo omnes sensus vigent. Hinc dubium est Baptisma, in quo abluitur manus vel pes infantis; atque ideo libri Rituales docent repetendum sub conditione; quia ex priori ablutione infans videretur non simpliciter, sed secundum quid lotus; ita resolvit Div. Thomas[1] de eo qui baptizatur ante totalem egressionem ex utero, in quacumque parte corporis alia a capite.

Quæres 1. *Quotuplici modo possit fieri ablutio, ut valeat Sacramentum?*

Resp. *Triplici:* 1° immersione trina vel una; 2° infusione; 3° aspersione. Indifferens est autem ad validitatem Sacramenti quo ex his tribus utatur minister, quia nullum in individuo Christus determinavit, qui ablutionem imperavit, non modum ablutionis, qui ideo accidentalis est.

Dixi *ad validitatem Sacramenti;* quia ut minister illud licite administret, tenetur usum Ecclesiæ actualem servare, ut dictum est dum agebamus *de Sacramentis in genere.*

Nota. Circa varios illos abluendi modos non una fuit Ecclesiæ disciplina : viguit enim usus trinæ immersionis usque ad XII^um^ et XIII^um^ sæculum, quem postea mutavit Ecclesia, tum quia immersio poterat nocere baptizandis, præsertim infantibus ob tenellæ ætatis infirmitatem; tum quia voluit consulere mulierum pudicitiæ, sicut et ministrorum oculis, quibus non sine multorum periculo nu-

[1] 3 p., quæst. 68.

datæ mulieres objici potera ł, præsertim cum desiit in Ecclesia Diaconissarum ministerium[1].

Dices cum græcis : Ecclesia non potuit mutare ritum a Christo præceptum; sed usus trinæ immersionis fuit a Christo præceptus juxta antiquiores Patres : ergo, etc.

1° Enim S. Chrysost.[2] ait : *Dominus in tribus immersionibus aquæ, unum Baptisma discipulis suis tradidit.*

2° Pelagius II[3] ait : *Evangelicum præceptum nos admonet in nomine Trinitatis, trina etiam immersione sanctum Baptisma tribuere.*

3° S. Cornelius Papa[4] de validitate Baptismi, per infusionem Novatiano in lecto decumbenti, collati, dubitavit his verbis : *Si tamen Baptismum suscepisse dicendus est.*

Resp. *Dist. min.* Secundum Patres trina immersio est a Christo præcepta, ratione rei per trinam immersionem significatæ, nempe Trinitatis, *conc.;* ratione sui præcise, *nego min.* Ita intelligendi sunt S. Chrysostomus et Pelagius II, qui se clare explicat in Epistola ad *Gaudentium Episcopum,* dicens : *Si tamen manifesta confessione claruerit quod in Trinitatis nomine illi* (Bonosfiaci) *fuerint baptizati, sola reconciliationis gratia impensa, Catholicæ fidei reconciliari maturabis.*

Ad S. Cornelium, dico ipsum dubitasse, non de valore illius Baptismi, sed de ejus effectu; satis enim paratus ad gratiam Sacramenti non videbatur, qui non nisi morte urgente ad eam recurrebat; hanc fuisse ejus mentem patet

[1] Nunquam tamen desiit in Ecclesia modus baptizandi tum per infusionem, tum per aspersionem, ut constat : 1° ex baptismate ægrotorum, maxime qui morti proximi erant; porro, in primis Ecclesiæ sæculis multi hujusmodi erant, ut patet ex Patrum scriptis, qui adversus procrastinantes baptizari, nunquam de illorum baptismatis validitate dubitarunt; 2° ex antiquitatis monumentis, ex actis scilicet S. Lucii martyris, apud Surium; S. Bacchi Junioris, apud Combefiscum; S. Lindgeri, qui mulieres christianas hortabatur ut pueros morituros baptizarent intinctos aqua, vel superinfusos; S. Laurentii, qui S. Romanum baptizavit in carcere.

[2] Hom. *de Fide.* — [3] Cap. *Multi,* dist. 4 *de Consecr.* — [4] Epist. *ad Fabium Antiochenum.*

ex Concilio Romano sub ipso celebrato, in quo talis Baptismus fuit approbatus.

Quæres 2. *An valeat Baptismus, si aqua tantum tangat crines?*

Resp. *affirmat. probabilius,* quia capilli sunt quædam pars infantis, et in prax. pars tutior est sequenda, cum imminet periculum mortis.

Quæres 3. *An una aut altera gutta aquæ sufficiat ad baptizandum?*

Resp. *negat. probabilius,* maxime si aqua non sit fluens, quia nequit dici ablutio quæ requiritur ad Baptismum. In casu tamen necessitatis esset materia dubia. Elbel, S. Ligor. loco cit.

Hinc Baptistæ, qui præsertim in missionibus regenerant infantes infidelium in articulo mortis, curare debent ut sufficientem aquam infundant, vel spongia aut linteum qua utuntur ita sit modica, ut vera lotio dici possit.

Quæres. 4. *An valide conferatur Baptismus per ablutionem occisivam?*

Nota. Duplex distinguitur occisiva ablutio. Alia occisiva *ratione materiæ*, puta si baptizaretur infans aqua venenata vel ferventi. Altera occisiva *de se,* ut si quis projiciat infantem in puteum pronuntiando formam cum intentione baptizandi. Quo notato,

Resp. 1. Certum est validum esse Baptismum collatum cum ablutione occisiva ratione materiæ, quia calor aut venenum non facit quod aqua non sit naturalis, et usualis non reputetur ablutio.

2. Vere dubium esset Baptisma cum ablutione *ex se* occisiva, propter Doctorum discrepantiam. Alii enim *negant:* 1° quia Christus pro materia proxima Baptismi instituit non quamcumque ablutionem, sed ablutionem usualem, secundum communem hominum sensum; atqui projectio in puteum non est ablutio humana et usualis : ergo, etc. 2° Quia Baptismus est immersio; sed dici non potest im-

mersio, saltem humano sensu intellecta, cui non succedit emersio, vel cum non est emergibilitas : ergo, etc.

Alii vero *affirmant;* quia ibi verus est Baptismus, ubi omnia concurrunt requisita ; atqui in casu concurrunt omnia requisita; adsunt enim materia, forma et minister habens intentionem baptizandi : ergo, etc.

Quidquid sit, patet nunquam licere sic baptizare infantem, etiamsi sine baptismo moriturum, quia nunquam licet occidere innocentem, nec sunt facienda mala, ut eveniant bona; quod si tamen sic baptizatus superviveret, esset sub conditione rebaptizandus.

CONCLUSIO III.

Forma Baptismi legitima et necessaria apud Latinos hæc est : Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, amen.

Prob. *Ex ipsismet verbis Domini,* Matth. cap. ult. : *Baptizantes eos in nomine Patris,* etc.; licet enim Christus conceptis verbis non dixerit inter baptizandum verba ista esse pronuntianda, interprete tamen Ecclesia, et universa traditione, non tantum scripta, sed viva et spirante, quæ praxi quotidiana exprimitur, sunt pronuntianda, ut constat ex cap. *Firmiter* (de Summa Trinit.).

Dixi *apud Latinos;* quia forma apud Græcos hæc est : *Baptizatur servus* vel *serva Dei (N), in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Supple *baptizatur a me.* Ita Arcudius[1], qui hanc esse formam Græcorum ex textus græci lectione in Euchologio apud Goarium, probat adversus multos ex Latinis, qui loco *baptizatur,* legunt *baptizetur* sensu nimirum optativo, vel imperativo. Igitur forma Græcorum eadem est quoad sensum quæ apud Latinos, quare ipsam validam declarat Concil. Florent. in Decreto unionis.

[1] Lib. II *de Bapt.,* cap. 8.

QUÆRES : *Quænam in forma Baptismi necessario necessitate Sacramenti sint pronuntianda?*

RESP. Circa hanc quæstionem sequentia sunt tenenda :

1. Ad valorem Baptismi necessario exprimi debent actio baptizantis et persona baptizanda, ita ut hæ voces (*baptizo te*) sint de essentia formæ; quoad pronomen *ego* sufficienter exprimitur in verbo *baptizo*.

Ita definitum est ab Alexand. III[1] : *Si quis puerum ter in aqua immerserit in nomine Patris,* etc., *et non dixerit :* Ego te baptizo *in nomine Patris*, etc., *non est puer baptizatus;* et ab Alexand. VIII, qui hanc proposit. damnavit[2] : *Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus :* In nomine Patris, etc., *prætermissis istis :* Ego te baptizo, etc.

DICES : Ex istis verbis Christi : *Docete omnes gentes,* inferri non potest necessitas inter docendum pronuntiandi ista verba : *Ego vos doceo :* ergo nec ex istis : *Baptizantes eos in nomine Patris,* etc., inferri potest necessitas inter baptizandum pronuntiandi ista : *Te baptizo.*

RESP. *Nego conseq. et parit.* Ratio disparitatis est : 1° quia unum admittit et imperat Ecclesiæ traditio, non aliud; 2° quia actio qua quis docet, ex seipsa est ad docendum determinata absque eo quod necesse sit dicere *ego doceo.* At vero cum infusio aquæ ex se sit indifferens ad refrigerationem aut lotionem, debet ad istam a forma determinari; determinatur autem per hæc verba : *Ego te baptizo.*

2. Necessario exprimenda est unitas naturæ, per verbum *in nomine;* ita ut qui diceret : *in nominibus,* nihil efficeret; ratio est voluntas Christi, qui ita determinavit.

3. Ad valorem Baptismi requiritur expressa et distincta invocatio trium personarum Sanctissimæ Trinitatis.

Prob. Ex perpetua Ecclesiæ praxi ac traditione, qua constat semper fuisse collatum Baptisma cum expressa invocatione trium personarum Sanctissimæ Trinitatis; ac

[1] Cap. *Si quis,* extr. *de Baptismo.* — [2] Proposit. 27 inter damnatas.

rejectum Baptisma ab hæreticis collatum absque hac expressa ac distincta invocatione.

Dices : Apostoli baptizarunt *in nomine Jesu Christi,* ut dicitur in Actibus Apostolorum[1] : ergo expressio trium personarum non est essentialis formæ Baptismi.

Resp. *Dist. ant.* Baptizarunt, *in nomine Jesu,* cum expressa invocatione trium personarum SS. Trinitatis, *conc.;* sine tali invocatione, *nego.*

Itaque duobus modis exponi possunt textus Actuum allati :

1° Pro invocatione Jesu Christi, quia hoc nomen exprimebatur simul cum Patre et Spiritu Sancto, sic *in nomine Patris, et Filii ejus Jesu Christi, et Spiritus Sancti.* Ita exponit S. Cyprianus, epist. *ad Jubaianum,* dicens : *Jesu Christi mentionem facit Petrus*[2]*, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri Filius quoque adjungeretur.*

2° Exponi possunt de efficacia et virtute baptismi Christi prout opponitur baptismo Joannis, ita ut *in nomine Jesu* idem sit ac *virtute Jesu, baptismo Jesu.* Ita hæc verba sumuntur *Act.* XIX, ubi Ephesii, ad quos Paulus venerat, dicuntur baptizati *in nomine Domini Jesu,* id est, baptismo a Christo instituto, qui ibi opponitur baptismo Joannis, in quo se baptizatos fuisse dicebant illi Ephesii.

Inst. Act. VIII dicitur : *Baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu :* ergo Apostoli baptizarunt in nomine Jesu sine invocatione, etc.

Resp. *Nego conseq.* Vox enim *tantum,* non excludit nomen aliarum personarum, sed solam receptionem confirmationis, quod patet ex contextu : *tunc imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum Sanctum.*

Hinc patet formam Baptismi multiplicitur variari posse, nempe : 1° per verborum mutationem, 2° per corruptionem, 3° transpositionem, 4° additionem, 5° diminutionem, ut diximus in tract. *de Sacramentis in genere.* Illæ vero di-

[1] Cap. II, VIII et XIX. — [2] Act. II, 12.

versæ variationes possunt esse vel substantiales, vel accidentales. *Substantialis* est variatio, cum corrumpitur substantia sensus verborum a Christo intentus, redditque Sacramentum invalidum. *Accidentalis* est variatio, cum idem remanet sensus, nec invalidat Sacramentum, sed est vel graviter vel leviter illicita.

Resolves 1. Quoad *mutationem* verborum, variatio est accidentalis : 1° si mutatur idioma, quod est graviter prohibitum ministro ordinario Sacramenti. Satius est tamen ut mulieres cæterique rudes, si baptizent, utantur lingua materna, cum nesciant, et plerumque non possint perfecte proferre latinam, ut certe evenit apud eos quorum lingua pluribus nostris caret litteris; 2° si dicantur verba synonyma, v. gr. *abluo, lavo, intingo,* pro *baptizo;* quod si fieret amore novitatis, peccatum esset mortale; 3° si dicatur *Spiritus Paracliti* pro *Spiritus Sancti.*

2. Quoad *corruptionem* verborum, notat S. Thom.[1] facilius induci corruptionem substantialem, si corruptio fiat in initio vocis, ut si pro *patris* dicatur *matris,* quam in fine, ut si dicatur : *ego te baptizo in nomine patria, et filia, et Spiritua Sancta;* quam formam validam declaravit Zacharias Papa[2].

3. Quoad *transpositionem,* vitium non est nisi accidentale, quia *nomina,* inquit Div. Thom.[3], *et verba transposita idem significant.* Nam licet, præponendo filium, velles significare hunc esse principium patris, nomen *patris* obsisteret ne sensus verborum Christi destruatur.

4. Quoad *additionem,* quidquid non dividit substantiam vel confundit personas, vel earum æqualitatem non destruit, vitium non est substantiale. Hinc validæ sunt hæ formæ...: *In nomine Patris omnipotentis, et Filii unigeniti,* etc., vel... : *In nomine Dei Patris qui te creavit,* etc.

Secus illa... : *In nomine Patris majoris et Filii mino-*

[1] Quæst. 60, art. 7, ad 3. — [2] In can. *Retulerunt, de Consecr.,* dist. 4. — [3] Quæst. 68, art. 8, ad 3.

ris, etc., Dubia autem esset hæc... : *In nomine Patris, in nomine Filii,* etc , quia repetitionem nominis sensum mutari docent plures contra alios.

5. Quoad *diminutionem* verborum · 1° valet Baptismus si omittantur verba *ego* et *amen,* ut omnes conveniunt; sed omissio est culpa venialis. 2° Dubius est, si omittatur duplex conjunctio *et;* probabilius autem valet, si apponatur tertiæ personæ. 3° Omissio verbi *in,* probabilius non invalidat Sacramentum; sed in praxi pars tutior est sequenda

CAPUT III.

DE VARIIS PROPRIETATIBUS BAPTISMI.

Nota. Tres sunt præcipuæ proprietates Baptismi, scilicet *prioritas,* qua fit ut ante ipsum alia Sacramenta non possint suscipi; *unitas,* qua fit ut non possit iterari; *necessitas,* qua fit ut absque eo salus non possit obtineri.

Circa prioritatem et unitatem non est difficultas.

Certum est enim 1° Baptismum inter alia Sacramenta tantam prioritatem obtinere, ut ante ejus susceptionem, invalide alia suscipiantur; vocatur enim a Concil. Florent. *Janua vitæ spiritualis :* unde Innocent. III[1] mandat Presbyterum non baptizatum baptizari, et iterum ordinari.

Certum est 2° Baptismum validum iterari non posse, ex Script.[2] : *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma,* quod intelligitur a Patribus de unitate tum specifica, tum numerica respectu scilicet ejusdem personæ, et hoc propter tria ab Angelico assignata :

1° Quia in similitudinem mortis Christi baptizamur; atqui Christus semel mortuus est : ergo, etc.

2° Quia Baptismus est spiritualis generatio, nativitas, ex Christo dicente : *Nisi quis renatus fuerit;* atqui unius non est, nisi una generatio : ergo, etc.

[1] Cap. *Veniens, de Presbytero non baptizato.* — [2] Eph. IV.

3° Quia Baptismus fuit principaliter institutus ad abluendum peccatum originale; sed peccatum originale semel deletum non iteratur : ergo nec Baptismus. Hinc Trident.[1] anathema contorsit in eum qui dixerit Baptismum iterari posse.

Itaque restat quæstio instituenda de necessitate Baptismi, cui addemus quæstiunculas de Baptismo flaminis et sanguinis, utrum nempe possint supplere Baptismum aquæ. Itaque

ARTICULUS UNICUS.

DE NECESSITATE BAPTISMI.

Nota 1. Duplex est necessitas, nempe præcepti et medii.

Necessarium necessitate præcepti ad salutem, est illud quod sine peccato non potest omitti scienter; necessitas autem medii semper includit necessitatem præcepti erga eos qui sunt præcepti capaces.

Necessarium necessitate medii ad salutem, est illud sine quo salus obtineri non potest, sive culpabiliter, sive inculpabiliter quis eo privetur.

Nota 2. Necessarium necessitate medii iterum duplex est, scilicet absolute necessarium, et hypothetice necessarium.

Absolute necessarium necessitate medii ad salutem, est illud sine quo reipsa habito, salus obtineri non potest, quantumvis quis illo careat sine sua culpa; ejusmodi sunt omnia media salutis interna, v. gr. Fides, Spes, Charitas, Gratia habitualis.

Hypothetice necessarium necessitate medii ad salutem, est illud sine quo, in se, vel in æquivalenti habito, salus obtineri non potest, quantumlibet quis illo careat sine sua culpa. Ejusmodi est Baptismus, cujus æquivalens est Baptismus flaminis et sanguinis, cum vicem Baptismi fluminis supplere valeant.

[1] Sess. 7, can. 9.

Nota 3. Multi hæretici necessitatem Baptismi impugnarunt; namque

1° Pelagiani, Wicleffus, Zuinglius, Bucerus rejecerunt Baptismum tanquam inutilem ad remissionem peccati originalis.

2° Calvinus docuit Baptismum infantibus fidelium non esse necessarium, eo quod in utero materno in filios Dei adoptentur.

Nota 4. Aliqui ex nostris male et erronee de Baptismo censuere; namque

1° Cajetanus docuit parvulos ex fidelibus natos, quibus per Baptismum subveniri non potuit, ex lege Dei ordinaria salvari posse, suorum parentum votis et precibus; quæ sententia jussu Pii V expuncta est in secunda editione Romana.

2° Gerson, Gabriel, Durandus, existimant quidem parvulos etiam fidelium sine Baptismo per preces et vota parentum non salvari, lege Dei ordinaria, bene autem lege extraordinaria. Contra hos omnes

CONCLUSIO I.

Extra casum Martyrii, Baptismus in re, vel in voto omnibus est necessarius necessitate medii ad salutem. Est de fide ex Trident. infra citato.

Prob. Illud sine quo salus non potest obtineri, est necessarium necessitate medii ad salutem; atqui, extra Martyrium, sine Baptismo in re vel in voto, salus obtineri non potest : ergo, etc.

Prob. min. Ex oraculo Christi[1] : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei;* quod oraculum est generale omnes obstringens, ut constat tum ex Patribus dicentibus una voce cum S. Ambros.[2] : *Nullum excipit infantem, non aliqua necessitate*

[1] Joan. III. — [2] Lib. II *de Abraham.* cap. 11.

præventum; tum ex perpetua Ecclesiæ traditione et praxi nunquam interrupta, cujus irrefragabilis est testis S. Augustinus[1] dicens : *Quisquis dixerit quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profecto et contra Apostolicam prædicationem venit et totam condemnat Ecclesiam;* ad quam traditionem attendens Concil. Trident. hanc definitionem edidit[2] : *Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit.*

Dixi *in re,* vel *in voto* pro adultis; quippe cum infantes non sint capaces Baptismi in voto, nempe actus charitatis perfectæ, ipsis necessarius est Baptismus in re.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Illud quod potest suppleri, non est necessarium necessitate medii; atqui, ex dicendis, Baptismus potest suppleri per Martyrium et perfectam contritionem. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Quod potest suppleri, non est necessarium necessitate medii absoluta, *conc. maj.;* hypothetica, *nego maj.;* et concessa minore, *distinguo* pariter consequens et *nego* consequentiam. Responsio patet ex nota 2.

Subs. Atqui nullo modo Baptismus est necessarius necessitate medii : ergo, etc.

Prob. subsumpt. Si Baptismus sit necessarius necessitate medii ad salutem, maxime quia Christus dixit : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua,* etc.; atqui ex his verbis non potest inferri Baptismum esse necessarium necessitate medii : ergo, etc.

Prob. min. Ex istis verbis Christi[3] : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis :* non potest inferri Eucharistiam esse necessariam necessitate medii ad salutem, ergo, a pari, nec

[1] Epist. 28, *ad S. Hieronym,* num. 166. — [2] Sess. 7, can. 5. — [3] Joan. VI.

ex istis verbis : *Nisi quis renatus fuerit*, etc., potest inferri, etc.

Resp. *Nego conseq.* Ecclesia enim, a qua sola germanum sensum Scripturæ habemus, semper docuit hæc verba : *Nisi quis*, etc., sonare necessitatem medii ; ista vero : *Nisi manducaveritis*, sonare tantum necessitatem præcepti.

Ratio est, quia prior textus : *Nisi quis renatus fuerit*, etc., agit de regeneratione spirituali, qua Christi membra fimus, quæ est necessaria necessitate medii ad salutem ; alter vero textus agit de nutritione spiritualis vitæ jam per Baptismum acceptæ, quæ cum per varia media nutriri, conservari et augeri possit, Eucharistia non est necessaria ad salutem, nisi necessitate præcepti : unde spectat solos adultos præcepti capaces et virium reparatione indigentes ; præterea Christum[1] adultos Capharnaitas alloqui patet : 1° ex ipso contextu ; 2° ex eo quod in secunda persona eos alloquitur, dum econtra quando præceptum facit de Baptismo indefinite ac in tertia persona prolata : *Nisi quis*, etc., loquitur[2].

Objicies 2 cum Calvino : Filii fidelium sancti sunt, ex Apostol. dicente[3] : *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem; alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Ergo non indigent Baptismo.

Resp. *Dist. ant. et textum.* Filii fidelium sancti sunt, dispositive, *conc.;* formaliter et proprie, *nego ant.* Eodem quippe modo illos Apostolus appellat *sanctos*, quo dicit conjugem infidelem sanctificari per fidelem ; atqui conjux fidelis conjugem infidelem sanctificat, Baptismum monitis et exemplis suadendo : ergo filii fidelium dicuntur sancti, quia destinantur ad sanctitatem per Baptismum suscipiendam. Præterea, si locus ille de sanctitate formali et interna intelligeretur, omnes filii fidelium, secundum Calvini prin-

[1] Joan. VI. — [2] Vid. *de Euchar.*, cap. 4. art. 1. concl. 1, ad obj. 1. — [3] I Cor. VII, 19.

cipia, essent prædestinati, cum in illorum systemate, justitia sit inamissibilis.

CONCLUSIO II.

Baptismus adultis est necessarius necessitate præcepti.

Prob. Christus[1] præcipit Apostolis, ut omnes baptizent : *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes,* etc.; atqui præcepto baptizandi correlativum est præceptum recipiendi Baptismum. Ergo, etc.

Præterea, ex dictis : Necessitas medii semper includit necessitatem præcepti erga eos qui sunt præcepti capaces; quilibet enim ex charitate sibi debita tenetur adhibere omnia media necessaria ad salutem. Ergo, etc.

Resolves : Quemlibet teneri Baptismum suscipere quamprimum commode potest; parentesque illum debere parvulis suis procurare quantocius, quia saluti suæ et suorum providere, est urgens necessitas. Sed

Quæres 1. *An Baptismus aliquando repeti possit?*

Nota 1. Certum est, quod cum Baptismus repetitur sine causa, tam baptizans, quam baptizatus fiunt irregulares[2]. Utrum vero qui rebaptizat sub conditione et sine juxta causa, eamdem incurrat irregularitatem, prima sententia negat, quia leges pœnales stricte intelligi debent. Secunda sententia *probabilior* affirmat; ratio, quia qui certo scit primum Baptismum esse validum et rebaptizat sub conditione, non serio apponitur conditio : ergo, etc. Ita Bened. XIV in suis *Notificat*[3], et alii.

Nota 2. Ad rebaptizandum, non sufficit leve, sed requiritur prudens dubium de nullitate primi Baptismi. Dubium autem potest esse *juris,* puta cum quis fuit baptizatus cum materia vel forma, vel intentione dubia, de quo dictum est alibi. Dubium *facti*, puta quando dubitatur an datus sit vel ne

[1] Matt. xxviii, 19. — [2] Ex cap. 2 *de Apostol.*, et cap. 4, dist. 50. — [3] S. Ligor., lib. vi, num. 122.

Baptismus. Quod iterum duplex esse potest, negativum vel positivum. *Negativum* dicitur quando nulla habentur indicia de Baptismi collatione. *Positivum,* quando sunt hæc indicia hinc et inde pugnantia.

Nota 3. Nunquam rebaptizandi sunt, neque sub conditione, adulti qui nati sunt ex parentibus christianis, et inter fideles educati, quamvis nullum sit testimonium Baptismi recepti; quod patet ex jure canonico[1].

Nota 4. Quæstio versari potest, vel circa infantes expositos, vel domi tinctos, vel ab hæreticis baptizatos. Unde

Resp. 1. Infantes inter Catholicos ad valvas templi aut alibi expositos, cum schedula aut aliquo alio signo sui Baptismi, sunt nihilominus baptizandi sub conditione, quia non constat a quo ista schedula fuit scripta, aut alia signa appensa. Ita plures cum S. Carolo in synodo secundo Mediol. contra quosdam.

2. Infantes domi baptizati ab obstetrice vel alio laico, non sunt rebaptizandi, si constat nihil eorum quæ sunt requisita fuisse omissum, de quo parochus graviter tenetur diligenti inquisitione certus moraliter fieri.

3. Baptizati ab hæreticis protestantibus solent rebaptizari sub conditione, et jure quidem, quia quotidiana constat experientia hujusmodi hodiernos hæreticos, sæpe vel aquam rosaceam honoris causa adhibere, vel unum verba et alterum materiam ponere, vel vestes tantum, frigoris gratia tangere, vel aliquot tantum guttulas aquæ digitis spargere, etc , maxime nostris temporibus, ubi tot hæretici necessitatem Baptismi detrectant.

Notandum quod adulti sic baptizati teneantur confiteri peccata post primum Baptismum commissa, ne forte si primum Baptisma valuerit, secundum nihil efficiat.

Quæres 2. *An Baptismus flaminis suppleat vices Baptismi aquæ?*

Resp. Baptismus flaminis, seu contritio perfecta cum voto

[1] Ex cap. *Veniens* 3, *de Presbyter. non Baptiz.*

explicito vel *implicito* Sacramenti, supplet vices Baptismi aquæ.

Prob. 1. *Ex Scriptura,* quæ justificationem promittit contritioni perfectæ, seu actui charitatis, Prov. VIII: *Ego diligentes me diligo;* Psalm. L : *Cor contritum et humiliatum Deus non despicies.* Ergo, etc.

Prob. 2. *Ex perpetua et constanti Ecclesiæ doctrina,* qua innixi Patres Tridentini docuerunt[1] *post Evangelium promulgatum, nunquam fieri translationem a statu veteris Adæ ad statum gratiæ, sine lavacro regenerationis aut ejus voto :* ergo homo potest justificari per Baptismum in voto, hoc est, secundum sensum Ecclesiæ, per actum charitatis seu contritionis perfectæ, ut exponit Trident. alibi[2].

Hinc jure merito damnata fuit a Pio V et Gregor. XIII hæc proposit. Baii[3] : *Catechumenus juste, recte et sancte vivit, mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam peccatorum remissionem, quæ in Baptismi lavacro demum percipitur.*

Dixi 1° *cum voto,* quia nemo perfectam charitatem habere potest, nisi velit implere omnia præcepta.

Dixi 2° *cum voto explicito Sacramenti :* id innuit Trident., cum exigit votum Sacramenti; si enim duntaxat votum implicitum intellexisset, inutile fuisset illud distincte appellare, cum semper includatur in contritione perfecta ; ergo cum illud distincte appellet, de voto explicito haud dubie loquitur. Votum tamen implicitum sufficeret in eo qui legem Baptismi invincibiliter ignoraret, vel ad illam non attenderet.

Queres 3. *Quomodo Baptisma flaminis suppleat vices Baptismi aquæ?*

Resp. Supplet ex opere operantis, *quia,* inquit Estius[4], *nihil hic occurrit quod non sit ex parte ipsius operantis.*

Hinc, licet Baptismus flaminis conferat gratiam sancti-

[1] Sess. 6, cap. 4. — [2] Sess. 14, cap. 4. — [3] Proposit. 13 Baii damnata, anno 1566. — [4] In 4, dist. 4, § 17.

ficantem, cæteraque dona ipsam concomitantia, non tamen totam pœnam temporalem remittit, nisi forte tam intensa foret charitas, ut omnis pœnæ relaxationem mereretur.

Item, characterem non imprimit, nec gratiam sacramentalem confert, quia hæc propria sunt Sacramento realiter suscepto.

OBJICIES CONTRA PRIMAM RESPONSIONEM 1. Ananias Paulo perfecte contrito dixit[1] : *Baptizare, et ablue peccata tua:* ergo perfecta contritio non dimittit peccata, antequam Baptismus actu recipiatur.

RESP. *Nego conseq.* Ideo enim Ananias dixit Paulo *baptizare*, etc., quia Paulus per votum Baptismi non fuit justificatus, nisi sub obligatione Baptismi postea suscipiendi suo tempore et sine mora.

OBJICIES 2. Div. August. ait[2] : *Quantumcumque catechumenus proficiat, adhuc sarcinam suæ iniquitatis portat: non illi dimittitur, nisi cum venerit ad Baptismum.* Ergo perfecta contritio non dimittit peccata, antequam Baptismus suscipiatur.

RESP. *Dist. textum.* Quantumcumque proficiat in virtute morali, *conc.;* in charitate, *nego.;* hoc clare exponit Div. August. dicens ibidem : *Ille catechumenus posset dicere in corde suo : Quid mihi opus est Baptismum accipere, ut hoc habeam quod et iste, quo jam melior sum?* Loquitur ergo de catechumeno qui ex contemptu baptizari recusabat, qui consequenter carebat actu charitatis perfectæ.

INST. Div. August. loquitur de catechumeno proficiente in charitate, dicit enim[3] : *Sanctificatio catechumeni, si non fuerit baptizatus, non ei valet ad intrandum regnum cœlorum, aut ad peccatorum remissionem.* Ergo, etc.

RESP. *Nego ant.* Ad textum dico S. August. non loqui de sanctificatione interna, quæ fit per charitatem, sed de sanctificatione improprie dicta, quæ fit per signum crucis;

[1] Act. XXII, 16. — [2] Tract. XIII *in Joan.* — [3] Lib. *de Peccat., merito et remissione.*

dicit enim[1] multiplicem esse sanctificationem, quæ non semper cum vera justitia et remissione peccatorum conjuncta sit : nam et catechumeni, priusquam baptizentur, *secundum quemdam modum suum sanctificantur per signum crucis et orationem manus impositionis.*

Testimonia quæ opponuntur nobis ex Gregorio Nazianzeno, orat. 40 *in S. Baptisma;* Gennadio, lib. *de Dogmatibus Ecclesiasticis apud S. Augustinum;* S. Fulgentio, epist. 12 *ad Fernandum Diaconum,* non debent admitti, quia in ea fuerunt sententia quod vices Baptismi non possint suppleri per votum ipsius Baptismi.

Quæres 4. *An Martyrium suppleat vices Baptismi?*

Resp. Martyrium tam in infantibus, quam in adultis supplet vices Baptismi aquæ quoad omnem effectum, exceptis tamen charactere et gratia sacramentali.

Prob. Auctoritate Div. August. in Scriptura fundata, qui, nulla facta distinctione adultorum et infantium, dicit[2]: *Quicumque, etiam non percepto regenerationis lavacro, pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte Baptismatis. Qui enim dixit :* Si quis non renatus fuerit ex aqua, etc., *alia sententia istos fecit exceptos, ubi non minus generaliter dixit :* Qui me confessus fuerit, etc.; *et alio loco :* Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam[3].

Resolves : Per martyrium, peccatum deleri tum quoad culpam, tum quoad utramque pœnam æternam et temporalem, ut constat ex perpetua traditione et praxi Ecclesiæ, quæ nunquam oravit pro martyre, juxta illud Innocent. III[4]: *Injuriam facit martyri, qui orat pro martyre.* Sed suos ei triumphos gratulatur, ejusque apud Deum opem implorat.

Dices 1. Christus dicendo : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua,* etc., nullum aliud medium salutis excipit. Ergo, etc.

[1] Lib. III *de Bapt.,* cap. 12. — [2] Lib. XIII *de Civit. Dei,* cap. 7. — [3] Matth. X, 39. — [4] Cap. *Cum Martha, de celebr. Miss.*

Resp. *Nego ant.* Excipit enim martyrium, ut constat ex his aliis verbis Christi : *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.*

Dices 2. Infantes non sunt capaces martyrii, nam martyrium est actus fortitudinis. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Martyrium sumptum formaliter est actus fortitudinis, *conc.;* materialiter sumptum, *nego maj.* et, concessa min., *dist. conseq.* Ergo infantes non sunt capaces martyrii formaliter sumpti, *conc.;* materialiter, *nego.*

Itaque martyrium materialiter est mors pro Christo perpessa. Martyrium formaliter est voluntaria acceptio mortis, cujus non sunt capaces infantes, et quo solo sensu martyrium est actus fortitudinis.

Quæres 5. *Quomodo martyrium suppleat vices Baptismi aquæ?*

Resp. Supplet ex opere operato, ratione pœnæ.

Prob. Tum quia ex Patribus, martyrium eo ipso modo operatur quo Baptismus, cujus vices supplet ; *huic operi,* ait Tertull. loquens de martyrio, *omnia delicta donantur* ; tum quia martyrium infantibus prodest ex opere operato : ergo et adultis : nulla enim est disparitas ; unde Div. Thom.[1] de martyrio generatim ait : *Non habet liberationem a culpa et pœna tantum ex opere operante, sed hoc habet ex imitatione passionis Christi, et consequenter ex seipso.*

Quæres 6. *Quid requiratur ut martyrium sit verum, suppleatque vices Baptismi.*

Resp. 1. Ad martyrium parvulorum et adultorum a nativitate amentium, nihil aliud requiritur quam ut illi mors inferatur in odium fidei et religionis.

Resp. 2. Ad martyrium adultorum quatuor requiruntur :

Primum, mortis realis, aut vulneris lethalis perpessio in odium fidei, juxta illud[2] : *Qui perdiderit animam propter me et Evangelium, salvam faciet eam;* aut in odium ali-

[1] In 4, dist. 4, art. 3, ad 1. — [2] Marc. VIII, 35.

cujus virtutis christianæ, v. gr. castitatis, juxta illud[1] : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.*

Secundum, mors perpessa absque ulla se defendendi voluntate; quia martyrium debet esse voluntarium, mortis Christi, tanquam ovis ad occisionem ducti, assimilativum; hinc milites, in bello religionis occisi, non sunt veri martyres.

Tertium, acceptatio mortis saltem habitualis et interpretativa; quia mors, ut sit meritoria, debet esse aliquo modo voluntaria in his qui voluntarii sunt capaces.

Dixi *interpretativa :* actualis enim aut virtualis non requiritur; unde qui de martyrio non cogitans occideretur, quia, propter minas sibi intentatas, ab alicujus virtutis exercitio desistere noluit, verus esset martyr.

Quartum, dolor supernaturalis de peccatis, quia, teste Trident.[2], *quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum fuit necessarius;* et probabilius requiritur contritio perfecta, nec sufficit vera attritio; unde Apostolus dicit[3] : *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Neque martyrium subire, importat semper charitatem perfectam habere; nam posset quis velle potius mori, quam peccatum novum committere propter metum inferni[4]. Cæterum, omnes advertunt necessarium esse ut peccator ante martyrium conetur ad contritionem vel confessionem, ne periculo damnationis exponatur.

Quæres 7. *Quandonam martyrium gratiam conferat?*

Resp. *Probabiliter* confert gratiam quando martyr accipit vulnus lethale, non vero momento mortis; ratio, quia posita causa, sequitur effectus; atqui causa martyrii est ipsum vulnus lethale aut cruciatus : ergo, etc. Hinc vere martyr fuit B. Joannes in dolium ferventis olei immersum, licet miraculose inde exiverit; ita regina Martyrum B. V. Maria stans juxta crucem Jesu[5].

[1] Matth., v, 3. — [2] Sess. 14, cap. 4. — [3] I Cor. xiii. 1. — [4] Ita S. Ligor., lib. vii, num. 98. — [5] S. Ligor., lib. vi, num. 99.

CAPUT IV.

DE MINISTRO BAPTISMI[1].

Nota 1. Minister Baptismi triplex est, scilicet :

Ordinarius, qui Baptismum ex officio administrat ;

Extraordinarius, qui administrat Sacramentum ex delegatione ministri ordinarii ;

Minister necessitatis, qui Baptismum confert constituto in periculo vitæ.

Nota 2. Mulierculis facultatem baptizandi solemniter concesserunt Marcionitæ, Pepusiani, et Collyridani, ut constat ex S. Epiphanio[2], et Tertulliano[3], et concilio Carthaginense IV[4].

Quæritur : Quinam sit minister Baptismi ordinarius, extraordinarius, et necessitatis?

CONCLUSIO.

Minister Baptismi ordinarius est Episcopus et Presbyter, extraordinarius est Diaconus ; necessitatis est homo quilibet, sive vir, sive mulier, sive baptizatus, sive non.

Prob. prima pars. Illi soli sunt ministri ordinarii Baptismi, quibus Christus commisit officium baptizandi ; atqui solis Apostolis et Presbyteris Christus baptizandi officium commisit. Ergo, etc.

Prob. min. Ex Matth. xxviii : *Euntes, docete omnes gentes. baptizantes eos*, etc., quod mandatum Apostolis eorumque successoribus Episcopis, ad discipulos eorumque successores Presbyteros extendi, Ecclesiæ universa praxis ac traditio demonstrat : ergo, etc.

[1] Vide S. Ligor., lib. vi, num. 113 et seqq. — [2] Hær. 42 et 79. — [3] Lib. *de Prescript.*, cap. 4, et lib. *de Bapt.*, cap. 7. — [4] Can. 100.

Hinc Concil. Florent. de Baptismo ait : *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare.*

Ratio hujus divinæ dispositionis est, tum quia per Baptismum homo fit particeps Ecclesiasticæ unitatis et accipit jus ad mensam Domini : ergo sicut pertinet ad sacerdotem ex officio consecrare, pertinet ad illum ex officio baptizare, quia qui totum perficit, et pariter ad ipsum totum debet ordinare; tum quia illi soli coaptare debent fideles ad corpus Christi mysticum, quod fit per Baptismum, qui potestatem habent in illud; atqui soli sacerdotes et non diaconi habent potestatem in corpus Christi mysticum, sicut habent in corpus ejus naturale : ergo, etc.

Dices : Solus Episcopus est minister ordinarius Baptismi. ergo, etc.

Prob. ant. Ex Div. Hieronym.[1] dicente : *Inde venit, ut sine Episcopo, neque Presbyter, neque Diaconus jus habeat baptizandi :* ergo, etc.

Resp. *Dist. textum.* Sine jussione Episcopi, Presbyter non habet jus baptizandi independens ab Episcopo, *conc.;* dependens, *nego.*

Itaque munus baptizandi primario competit Episcopis, utpote Ecclesiæ principibus, secundario autem Presbyteris, adjutoribus Episcoporum; unde Presbyteri non habent jus baptizandi, nisi ut exercendum cum dependentia ab Episcopo; unde Div. Hieronymus negat Presbyteris jus independens baptizandi.

Prob. secunda pars. Ex capite *Constat*, distinctione quarta *de Consec. : Constat Baptisma solis Sacerdotibus esse tractandum, ejusque mysterium nec ipsi Diacono explere est licitum absque Episcopo vel Presbytero* (id est, absque licentia Episcopi vel Presbyteri, ait Glossa in hoc caput), *nisi, his procul absentibus, ultima languoris necessitas cogat.*

Ex hoc capite constat Diaconos non posse solemniter

[1] Dialogo *adversus Luciferianos.*

baptizare, nisi cum licentia Episcopi vel Presbyteri, vel in extrema necessitate sine tali licentia; et cum hac restrictione intelligendus est Episcopus dicens in ordinatione Diaconi : *Diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare et prædicare.*

Prob. tertia pars : nempe ministrum necessitati esse quemlibet hominem, qui sine solemnitate potest baptizare.

Prob. inquam ex Concil. Florent., in decreto pro Armenis, ubi dicitur : *In casu necessitatis, non solum Sacerdos vel Diaconus, sed etiam laicus vel mulier, imo etiam paganus et hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ, et facere intendat quod facit Ecclesia.*

Ratio est voluntas Christi ex praxi et Traditione nobis manifesta, qui, cum velit omnes salvos fieri, voluit ut medium ad salutem omnibus necessarium ab omnibus conferri posset, ne quis eo privaretur.

In necessitate autem conferendi Baptisma, hic ordo est servandus, ut præferatur dignior minus digno, scilicet Diaconus Subdiacono, Subdiaconus aliis Clericis, Clericus Laico, vir feminæ, fidelis infideli, nisi circumstantia aliqua exigat, ut propter gravem indecentiam, præferatur mulier viro, etc., parentes vero omnibus fidelibus post ponuntur.

Hunc ordinem statuunt Rituale Rom. et S. Carolus in *Instruct. Baptismi,* ubi, postquam jussit ut Parochus de illo ordine moneat suos Parochianos, addit : *Et quoniam si a muliere vel laico secus fiat, grave peccatum admittitur, id etiam monebit.* Sed vide infra *quær.* 5.

Quæres 1. *An aliquis possit se ipsum baptizare?*

Resp. *negat.* Est enim contra institutionem Christi, qui aperte distinguit ministrum a subjecto Baptismi, *baptizantes eos :* unde Innocent. III [1] definivit quemdam Judæum, qui se in mortis periculo baptizaverat, iterum esse baptizandum; *quia,* inquit, *inter baptizantem et baptizatum debet esse discretio, sicut ex verbis Domini colligitur di-*

[1] Cap. *Debitum, de Bapt. et ejus effectibus.*

centis Apostolis : Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, etc.

Quæres 2. *Utrum unus possit plures simul baptizare?*

Resp. *affirmative.* Quia tunc non mutatur forma quoad sensum; qui enim dicit : *Ego vos baptizo,* dicit virtualiter : *Ego te et te baptizo,* etc.

Quæres 3. *An plures ministri possint eumdem simul baptizare valide?*

Resp. Si plures simul eumdem baptizarent ut *causæ partiales,* ita ut unus aquam infunderet, alter formam proferret, invalidum esset Sacramentum, quia forma esset mendax.

Si vero plures simul eumdem baptizarent ut *causæ totales,* ita ut uterque aquam funderet et formam proferret, validum esset Sacramentum, ut constat ex ordinatione Sacerdotum, ubi plures eamdem consecrant Hostiam; si tamen unus formam prius absolveret quam alter, ille solus baptizaret.

Dixi *valide;* quia illicita esset talis administratio Baptismi, utpote contra praxim Ecclesiæ.

Quæres 4. *In quo loco Baptismus sit conferendus?*

Resp. Ordinarie loquendo, et extra casum necessitatis, Baptismus conferri debet in loco sacro, et in parochia subjecti.

Hinc 1° non licet extra necessitatem aut gravem infamiam parentum, baptizare domi, ut habetur ex Clement. unica *de Baptismo;* et cum hic agatur de re gravi, transgressio esset quidem mortalis, ut dicunt communiter Theologi[1].

2° Nec Episcopo, nec parocho, nec diacono absque commissione, extra suam diœcesim vel parochiam, vel intra eam alienos licitum est baptizare. Ideoque peccant parentes qui sine licentia sui prælati alieno deferunt prolem baptizandam, cum violent jus parochi[2].

[1] S. Ligor., lib. VI, num. 118. — [2] Laym., Croix, etc.

3° Peregrini, et qui domicilium vel quasi domicilium non habent, baptizari possunt in ecclesia quam elegerint. — *Item*, mulier casu pariens in pago non suo, tenetur ferre prolem baptizandam illius pagi parocho, nisi parum distet a sua parochia.

Dixi *ordinarie loquendo*, quia, ex Clementina supra relata, excipiuntur regum vel Principum liberi, id est filii, nepotes, et alii descendentes, ut notat Glossa[1]. *Item*. excipiuntur, ubi viget consuetudo, filii magnatum qui domi aqua tinguntur vel in ecclesia privatim, ut deinde cum pompa cæremoniæ perficiantur in ecclesia, quia pompa quæ fit in honorem Sacramenti, videtur tunc cohonestare delationem.

Quæres 5. *An et quale sit peccatum inversio ordinis inter personas baptizantes in necessitate?*

Resp. 1. *Multo probabilius* graviter peccat laicus qui in necessitate baptizat, præsente sacerdote non excommunicato, ex S. August.[2], ubi docetur : *In necessitate, cum Episcopi aut Presbyteri, aut quilibet ministrorum non inveniuntur, et urget periculum ejus qui petit, etiam laicos solere dare Sacramentum quod acceperunt, solemus audire.* Ergo laicus, si baptizet præsente sacerdote, peccat, tum quia tunc usurpat jus sacerdotis, qui est minister ordinarius; tum quia injuriam irrogat Sacramento quod postulat ut a sacerdote ad illud consecrato conferatur, cum fieri potest.

Dixi *non excommunicato*, isti siquidem præferendus est laicus non excommunicatus, quia excommunicato privilegium conceditur tantum ubi non suppetit alius non excommunicatus. Ita verius Suarez, Navar., S. Ligorius contra quosdam.

Resp. 2. *Probabiliter* non peccat graviter laicus qui baptizat in necessitate coram Diacono; ratio, quia cum Diaconus non baptizat solemniter ex commissione, non baptizat ex officio, contra illud quod dicit Billuart; sed eodem modo ac

[1] In D. Clem. V *Liberi ex lege liberor*, ff. *de Verb. signif.* — [2] Canone 21, dist. 4 *de Consecr.*

laicus vel clericus inferior : ergo, licet, ut dignior, in jure illi præferatur, inversio tamen ordinis non videtur excedere culpam venialem; idem dic, a fortiori, de aliis Clericis qui nec ex officio, ut sacerdos, nec ex commissione, ut Diaconus, ad id specialiter deputatur[1].

Quæres 6. *An Diaconus baptizans solemniter sine commissione Episcopi vel Sacerdotis, incurrat irregularitatem?*

Resp. *affirm.* Cum communiori sententia. Patet ex jure canonico, capite *Si quis*[2], ubi legitur : *Si quis baptizaverit, aut aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem Ecclesia abjiciatur et nunquam ordinetur.* Atqui Diaconus non censetur ordinatus, cum *vi suæ ordinationis,* non possit solemniter baptizare, sed tantum possit addelegari : ergo, etc.

Quæres 7. *An parentes baptizantes filios suos, contrahant impedimentum petendi debitum matrimonii?*

Resp. 1. Certum illos nullum contrahere impedimentum, si baptizant necessitate cogente, quia jus clamat : *Inculpabile judicandum, quod necessitas intulit*[3].

Resp. 2. Graviter peccare parentes, si ex industria et sine necessitate filios baptizent, ut patet ex jure canonico[4], ubi dicitur de parentibus filios suscipientibus, quod currit pariter de baptizantibus : *Licet sit peccatum... lugeant tamen, et digna pœnitentia dicant,* etc. Ergo, etc.

Resp. 3. Certum est parentes non contrahere cognationem, si baptizent sive ex ignorantia, ut habetur in capite *Si vir,* etc.[5]. Si vero id faciant ex industria et sine necessitate, *communior* sententia docet illos contrahere cognationem, consequenterque impedimentum ad debitum. Plures tamen et graves auctores *sat probabiliter* negant. Ratio est, quia nulla pœna incurritur nisi in jure sit expressa; atqui pœna privationis juris debitum petendi in casu nul-

[1] S. Ligor., lib. VI, num. 117. — [2] Extrav., lib. V, tit. 28. — [3] Ex cap. *Ad limina* 7, causa 30, quæst. 1. — [4] Ex can. *De his,* cap. 6, quæst. 1. — [5] Cap. *Si vir,* 2 *De cognat. spirit.*

libi invenitur expressa, imo asseritur contrarium. Ergo, etc.

Minor quoad *secundum* patet ex Glossa in capite citato *Si vir*, dicente : *Non invenimus in hoc casu quod non exigat, ergo nec nos prohibemus.* Quoad *primum*, constat ex ipso capite *Si vir*, ubi dicitur : *Sive ex malitia fecerint, non sunt ab invicem separandi, nec alter alteri debitum debet subtrahere;* sed si unus negare non potest, alter petere valet; unum enim aliud suponit. Ergo, etc.

CAPUT V.

DE SUBJECTO BAPTISMI[1].

Nota. Certum est apud omnes, tum Catholicos, tum Hæreticos, omnem hominem ratione utentem esse Baptismi subjectum, juxta Domini mandatum : *Docete omnes gentes, baptizantes eos*[2].

Restat ergo quærendum : 1° utrum possint baptizari infantes, ac perpetuo amentes; 2° utrum liceat filios infidelium baptizare, invitis parentibus; certum est enim eos valide baptizari posse.

ARTICULUS I.

UTRUM POSSINT BAPTIZARI INFANTES.

CONCLUSIO.

Infantes et perpetuo amentes præstat baptizari, licet actu proprio credere non valeant.

Est de fide contra Anabaptistas[3] asserentes nullum et irritum esse Baptisma datum infantibus, quos profligavit

[1] Vide S. Ligor., lib. VI, num. 121 et seqq. — [2] Matth. XXVIII, 19.

[3] Secta ista orta est ann. 1552, auctore Nicolao Storchio. — Consequenter quidem, nam si, juxta Lutheranos, Sacramenta non sunt nisi instrumenta vel occasiones quibus excitatur fides per quam justificamur, infantesque fidei actualis sunt incapaces, inutiliter et invalide Sacramenta reciperent.

Trident. his verbis : *Si quis dixerit parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo, inter fideles computandos non esse, ac propterea cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos, aut præstare remittere eorum baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ, anathema sit*[1].

Prob. 1. *Ex Scripturis*, quæ, licet id expressum non habeant, satis tamen aperte insinuant : 1° ex verbis Christi supra relatis[2], ubi dicitur : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum cœlorum;* quæ, cum generalia sint verba, etiam infantes complectuntur; sicut enim per *unius delictum,* regnum cœlorum amiserunt per carnalem generationem, sic etiam per *unius justitiam* redire debent in idem regnum : quod fieri non potest pro infantibus, nisi mediante Baptismo.

Præterea, nisi prædicta verba Christi ad infantes etiam referantur, dimidia fere humani generis pars extorris esset a beneficio redemptionis Christi. Aliunde, sic Apostolos Christi præceptum intellexisse insinuatur ab ipsa sacra historia, ubi perhibentur Apostoli baptizasse integras domos, cujusmodi fuerunt Lydiæ purpurariæ[3], Stephanæ[4], et satellitis carcerem custodientis[5], in quibus verisimiliter aderant infantes.

Prob. 2. *Ex Traditione.* Quod nonnisi implicite Scripturæ docent, certo deducitur ex constanti ac perpetua Ecclesiæ, quæ semper parvulos baptizavit, praxi et traditione, quam traditionem ab Apostolis ortam docet Origenes, dicens[6] : *Ecclesia traditionem ab Apostolis suscepit, etiam parvulis dare Baptismum.* Et Div. August.[7] : *Consuetudo matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, neque ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset traditio.*

[1] Trident., sess. 7, can. 13. — [2] Joan. III, 5. — [3] Act. XVI, 15. — [4] I Cor. I, 16. — [5] Act. VI, 33. — [6] Tom. II, 33. — [7] Lib. I *de Gen. ad litt.*, cap. 23.

Prob. 3. *Ex variis Conciliis,* in quibus hæc veritas fuit definita.

Milevitano II[1], in quo hic Canon fuit conditus : *Quicumque parvulos recentes ab utero matrum baptizandos negat, anathema sit.* Huic Concilio adfuit Div. August.

Viennensi generali[2], in quo definitur : *Credimus esse tam parvulis quam adultis, communiter perfectum remedium ad salutem.*

Innocent. III[3] ait : *Indistincte lex intonat Evangelica :* Nisi quis renatus fuerit, etc., *in hac generalitate ne sexum, nec ætatem excludens.*

Objicies 1. Nemo baptizari potest, nisi prius instruatur, juxta illud[4] : *Euntes, docete omnes gentes,* etc.; atqui infantes non sunt capaces instructionis : ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Nemo adultus potest baptizari, nisi prius instruatur, *conc.;* nemo infans, *nego maj.* Responsio constat ex ipsa Apostolorum missione ad conversionem adultorum, ad quos solos spectat illud Christi mandatum quantum ad doctrinam; quantum vero ad necessitatem Baptismi, spectat omnes tam adultos quam infantes, ut constat ex Traditione.

Inst. Nemo potest baptizari, nisi prius credat, juxta illud : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*[5]; atqui infantes non sunt capaces fidei : ergo, etc.

Resp. *Nego maj.* Infantes enim baptizantur in sola fide Ecclesiæ et sponsorum; nec mirum est quod aliena fides eis sufficiat, cum Div. August.[6] dicat : *Ad verba aliena sanatur, quia ad factum alienum vulneratur. Credit in Jesum Christum? Respondetur, credit; pro non loquente, pro flente respondetur, et valet.*

Itaque, textus loquitur de adultis quos ad fidem et pœnitentiam hortabantur Apostoli, ut cum fructu Baptismum perciperent.

[1] Ann. 416, can. 2. — [2] Clement. unica *De summa Trinit.* — [3] Cap. *Majores. de Bapt.* — [4] Matth. ult., 19. — [5] Marc., ult. 16. — [6] Serm. XIV *de Verbis Apostol.*

Objicies 2. Christus anno ætatis trigesimo baptizatus est : ergo illo tantum ætatis anno suscipi debet Baptismus.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod Baptismus Christi non fuerit in remedium peccati; at Baptismus a Christo institutus est peccati remedium, quod non potest citius recipi.

Objicies 3. Æquitati repugnat, ut insciis et ratione destitutis infantibus jugum christianitatis per Baptismum imponatur : ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Nam infantes, ut adoleverint ac audierint Evangelium, jure divino et sub pœna æternæ damnationis, tenentur Baptismum recipere, et sic jugo christianitatis sese subjicere.

Quæres 1. *An baptizandi sint infantes in utero materno inclusi?*

Resp. *Prima sententia* negat, quia, ex Div. August. et Isidor.[1] : *Qui natus adhuc secundum Adam non est, secundum Christum non potest renasci;* atqui, etc. Hinc, juxta illos, requiritur ut aliqua pars infantis appareat, ut, imminente mortis periculo, infans baptizetur. Sed notandum est, S. Carolo aliisque dubium Baptismum videri, cum puer vel manu, vel pede, vel aliqua corporis parte distincta a capite, in quo omnes sensus fundantur, est baptizatus, ideoque sub conditione baptizandus est, cum omnino egressus fuerit, si vixerit.

Secunda vero *sententia* satis probabilis affirmat, quia talis infans, cum jam existat homo et viator, bene potest Baptismum suscipere; vere enim aliquis potest dici natus, non solum cum ex utero egreditur, sed etiam cum in utero jam vivit, ex illo[2] : *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est*[3].

Unde S. Thomas[4] ait : *Duplex est carnalis nativitas, prima in utero, secunda extra uterum.*

[1] Lib. II *de Pecc. merit. et remiss.*, cap. 17; Isid., lib. I *Sent.*, cap. 22. — [2] Matth. I, 20. — [3] Vid. S. Ligor., lib. VI, num. 107. — [4] In 4, dist. 12, quæst. 1, art. 2.

Præterea, Concilium Trident.[1] dicit : Baptizantur parvuli, *ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt* : ergo, sicut per generationem peccatum contraxerunt, ita, ut homo per gratiam regeneretur, sufficit ut sit jam generatus.

Nec obstat quod puer adhuc sit involutus in secundina, quia hæc est veluti pars infantis.

Quæres 2. *An partus monstruosi sint baptizandi?*

Resp. *cum distinctione.* Si formam hominis retineant, quod quidem ex capite potissimum debet æstimari, debent baptizari, licet alia membra ferina appareant.

Si caput et pectus sint ferina, plane a Baptismo abstinendum.

Si in gemellis sibi invicem adunatis duo sint distincta capita et pectora, quilibet proprio ac distincto Baptismo debet baptizari, et quidem absolute, quia sunt duo homines : quod ita verum est, ut anno 1724, in pago domini Remigii prope Neocastrum, viderim gemellos, quorum unum caput dormiebat, alterum vigilans flebat.

Si vero, post diligens examen, incertum sit an monstrum verus sit homo, vel non, baptizari debet sub conditione : *Ne*, inquit Sylvius[2], *per nostram dubitationem pereant animæ quæ forte sunt humanæ*[3].

ARTICULUS II.

UTRUM LICEAT FILIOS INFIDELIUM BAPTIZARE, INVITIS PARENTIBUS.

Nota. Infideles alii sunt baptizati, ut Hæretici et Apostatæ ; alii non baptizati, ut Turcæ.

Certum est 1° Filios Hæreticorum et Apostatarum licite posse, invitis parentibus, baptizari ; quia cum sint Ecclesiæ

[1] Sess. 7, in Decret. *de Peccat. orig.* — [2] S. Thom. in 3 part., quæst. 68, art. 11. — [3] Videantur Rit. Rom., tit. *de Bapt.*, et S. Carolus in *Instructione.*

subditi, ipsa eos cogere potest, ut parvulos suos ad Baptismum præsentent: ergo eis possunt subtrahi, ut baptizentur, et rebus fidei, cum adoleverint, instruantur.

Certum est 2° Filium mancipiorum infidelium non baptizatorum posse ac debere, invitis parentibus, baptizari; quia mancipia, propter servitutem, omni jure in filios suos privantur, cum et ipsimet cum tota familia divendi possint; unde possunt a parentibus eripi, baptizari et in fide erudiri, atque ad id, saltem ex charitate, tenentur eorum domini.

Certum est 3° Filios infidelium, qui Principibus infidelibus subjecti sunt, non licere baptizare, invitis parentibus; quia vel infans subtraheretur parentibus, vel illis relinqueretur: *si primum*, parentibus fieret injuria, nam *de jure naturæ est*, inquit S. Thomas[1], *quod filius, antequam habeat usum rationis, sit sub cura patris*[2]; *si secundum*, Baptismus manifesto periculo profanationis, et baptizatus apostasiæ exponeretur, cum constet eum in infidelitate educandum.

Certum est 4° Filios infidelium usum rationis habentes, posse licite, si consentiant, baptizari; quia in his quæ sunt juris naturalis vel divini incipiunt esse suæ potestatis.

Quæstio igitur unice devolvitur ad filios infidelium non baptizatorum, qui civiliter tantum Principibus christianis subditi sunt: an possint illi, invitis parentibus, licite baptizari; aliqui affirmant; alii negant, cum quibus

CONCLUSIO.

Filii infidelium non baptizatorum, civiliter tantum Principibus christianis subditorum, non possunt licite, invitis parentibus, baptizari, nisi in aliquibus casibus.

Prob. Quia illud licite fieri non potest, quo violatur vel jus naturale quod parentes habent in filios, si ab eis abs-

[1] 2 part., quæst. 10, art. 12. — [2] Vid. S. Ligor., lib. VI, num. 126 et seqq.

turbarentur; vel reverentia Sacramento debita, si parvuli relinquerentur sub potestate parentum; atqui, etc. Non enim sunt facienda mala ut eveniant bona.

Hinc Concil. Tolet. IV ait : *Præcipit sancta Synodus nemini deinceps ad credendum vim inferre, non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiæ*[1].

OBJECTIONES.

Objicies 1. Jus naturale juri divino cedere debet; atqui præceptum Baptismi est juris divini. Ergo, etc.

Resp. *Nego maj.* Utriusque enim juris Deus est auctor, qui neutrum vult observari cum præjudicio alterius.

Objicies 2. Princeps potest abstrahere infantes a parentibus, ne ipsis inferant mortem corporis : ergo, a fortiori, potest eos subtrahere a parentibus, ne ipsis mortem inferant animæ, per denegationem Baptismi.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod parentes infideles mortem pueris inferendo, peccarent in jus civile, et Rempublicam ipsam, cujus pax et tranquillitas turbarentur per destructionem membrorum ipsius : porro, officii est Principis Reipublicæ tranquillitati et civium conservationi consulere; non autem ipsius est procurare salutem æternam suorum civium baptizatorum, cum potestas sæcularis non se extendat ad supernaturalia.

Inst. Princeps Dei minister est : ergo ipsius est procurare salutem æternam suorum subditorum.

Resp. *Dist. ant.* Est Dei minister in ordine ad bonum Reipublicæ, *conc.;* in ordine ad bonum supernaturale suorum subditorum, *nego ant. et consequentiam.*

Dixi in propit. : *Nisi in aliquibus casibus*, qui sunt :

1° Si infantes essent in evidenti periculo mortis; quia tunc nec auferuntur parentibus, nec Baptismus profanationi exponitur, et aliunde urget præceptum charitatis;

[1] Concil. Tolet. habitum ann. 633, cap. 63.

debent tamen ita caute baptizari, ut vitetur perturbatio, vel, ob nimium zelum, indiscriminatim filios infidelium ægrotos baptizent, vel, ob nimium rigorem, illis ad vitam æternam additus præcludatur. Quæri posset an sola expositio, ut habetur in Sinis, sit sufficiens causa parvulis sic expositis Baptismum conferendi? et *affirmative* respondendum videtur. Ratio est, quia hujusmodi expositio est periculosissima; quam cito enim necabuntur, nisi charitative recolligantur! pauci vero sunt infideles alieni qui illos suscipiant; unde per solam expositionem hujusmodi parvuli in extrema necessitate constituuntur.

2° Si alteruter parens, sive pater, sive mater consentiat, potest infans, altero renitente, baptizari; ita definitum est in Concilio Toletano IV, cap. 63, quia præferenda est voluntas justa unius parentis in favorem prolis, voluntati injustæ alterius in ejusdem prolis præjudicium.

CAPUT VI.

DE EFFECTIBUS BAPTISMI ET DISPOSITIONIBUS NECESSARIIS AD EOS PERCIPIENDOS.

Quæres 1. *Quinam et quot sint effectus Baptismi?*

Resp. Sublato obice, sunt tres :

Primus est gratia sanctificans quæ hominem interius regenerat, ac delicta quæcumque, tum originale, tum actuale totaliter remittit, et quoad culpam, et quoad omnem pœnam.

Prob. 1. *Ex Script.*[1] : *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti;* atqui renovatio et regeneratio important infusionem gratiæ sanctificantis, remissionemque omnium delictorum, tum quoad culpam, tum quoad utramque pœnam, cum[2] *nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu* regenerati. Ergo, etc.

[1] Ad Tit. III. — [2] Rom. VIII, 1.

Prob. 2. *Ex Concil. Florent.*, in decreto : *Hujus Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis et actualis, omnis quoque pœnæ quæ pro ipsa debetur; propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda est satisfactio : sed morientes antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum cœlorum et Dei visionem perveniunt.* Idem definivit Trident., dicens [1] baptizatos *ita esse innocentes, immaculatos, ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur.*

Prob. 3. *Ratione.* Conveniens est ut tota efficacia passionis Christi nobis ita communicetur per aliquod Sacramentum, ac si nos passi et mortui fuissemus; id autem maxime decet, ut fiat per Baptismum, quod est janua aliorum Sacramentorum, incorporatio corpori Christi et Ecclesiæ, novaque generatio; atqui passio Christi est sufficiens satisfactio pro omnibus peccatis et pœnis omnium hominum : ergo qui baptizatur ita liberatur a peccatis et a pœnis, ac si ipse satisfecisset.

Dices : Remanet in renatis concupiscentia, quæ ab Apostolo [2] appellatur peccatum; ergo, etc.

Resp. cum S. Augustino [3] : Concupiscentia est peccatum proprie et formaliter, *nego;* improprie tantum, *quia* nempe *est a peccato et ad peccatum inclinat,* conc.; ita definivit Concil. Trident., anathema contorquens in eum *qui contrarium sentit* [4].

Inst. 1. Quod lege Dei prohibetur, est vere peccatum; atqui concupiscentia lege Dei prohibetur [5] : *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret : non concupisces.* Ergo, etc.

Resp. *Dist. min.* Concupiscentia, sumpta pro vitio voluntatis pravis concupiscentiæ motibus consentientis et cedentis, quomodo in textu Apostoli sumitur, *conc.;* sumpta pro vi concupiscendi, seu pro animi appetitione natura sua rationi repugnante, *nego min.* Hic enim motus,

[1] Sess. 5, can. 25. — [2] Rom. VII, 20. — [3] Lib. I *de Nupt. et Concupisc.*, cap. 23. — [4] Sess. 5, in Decr. *de Peccato originali.* — [5] Rom. VII.

si voluntatis consensum aut negligentiam conjunctam non habeat, nulla ratione est peccatum proprie dictum.

Inst. 2. Omnia sunt a Deo, præter peccatum proprie dictum; atqui concupiscentia non est a Deo, II Joann. xi : *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est... quæ non est ex Patre, sed ex mundo est.* Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Omnia sunt a Deo præter peccatum, et quod per se ad peccatum inclinat, et peccati fœtus est, *conc.;* præter peccatum solum, *nego.* Cum ergo concupiscentia, et fœtus sit peccati, et per se, rebellando nempe adversus rationem, ad peccatum inclinet, non est a Deo, imo mala est, ut docet Div. August., lib. iv *contra Julian.*, cap. 14.

Secundus effectus est gratia Sacramentalis, quæ definitur : *gratia habitualis regenerativa, annexum jus habens ad gratias actuales necessarias ad conservandam vitam spiritualem per Baptismum acceptam, et ad alia Sacramenta digne suscipienda.*

Tertius effectus est character, ut fuse probavimus, dissertatione prima *de Sacramentis in genere.*

Quæres 2. *Quænam sint dispositiones necessariæ ad percipiendos effectus Baptismi?*

Resp. 1. Ad recipiendum characterem, nulla alia requiritur dispositio, quam voluntas Baptismi recipiendi, quia hoc sufficit, ut Sacramentum sit validum; atqui non potest esse validum, quin conferat characterem. Ergo, etc.

Resp. 2. Ad recipiendam gratiam sanctificantem et peccati remissivam, cæteraque dona ipsam concomitantia, sex conditiones in adulto requiruntur, ex Tridentino[1] :

1° *Fides,* qua credant generatim *vera esse quæ divinitus revelata et promissa sunt,* juxta illud Apostoli : *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit*[2].

2° *Timor,* ex consideratione peccatorum, juxta illud[3] : *Timor Domini expellit peccatum.*

[1] Sess. 6, cap. 6 *de Justif. impii.* — [2] Hebr. xi, 6. — [3] Eccl. vii, 27.

3° *Spes* justificationis et vitæ æternæ consequendæ, juxta illud[1] : *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.*

4° *Amor*, quo Deum *tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant.*

5° *Odium* et detestatio peccatorum, *hoc est, per pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet*, juxta illud[2] : *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum, in remissionem peccatorum vestrorum.* Unde patet ad Baptismum attritionem sufficere, sicut ad pœnitentiam.

6° *Propositum* suscipiendi Baptismum, inchoandi novam vitam, et servandi divina mandata. Ita Trident.

Cæterum Missionarii ad exteras gentes conferant de his aureum opus cui titulus : *Monita ad missionarios S. Cong. de prop. fide*, præsertim caput *de Baptizandis*, art. 1, ubi agens de catechumenorum eruditione aliisque necessariis conditionibus, dicit : *Rectius et securius nobis visum est cum Patribus et Conciliis, catechismi tempus non breviori*, generaliter loquendo, *non breviori, quam quadraginta dierum spatio vulgo definire; nec alios ad Baptismum initiandos esse, nisi qui ante quadraginta dies nomen dederint.* Periculose namque protrahitur Baptismi collatio catechumeni sufficienter dispositi; quia, dum extra castra exterus est Christi, majoribus dæmonis impetitur tentationibus.

CAPUT VII[3].

DE CÆREMONIIS BAPTISMI ET PATRINIS.

Nota 1. Cæremoniæ Baptismi vel antecedunt, vel concomitantur, vel subsequuntur Baptismum. Eas enucleatim enumerandas non suscipimus, cum reperiantur in omnibus libris Ritualibus, ad quos remittimus omnes, qui

[1] Marc. II, et Matth. IX, 2. — [2] Act. II, 38. — [3] Vid. S. Ligor., lib. VI, num. 140 et seqq., et 146 et seqq.

ex Officio et solemniter Baptismum administrare teneantur, cum, extra casum necessitatis, non possint sine peccato mortali ex genere suo, prætermitti, ut probatum est in tractatu *de Sacramentis in genere*.

Nota 2 Ex perpetua Ecclesiæ praxi et Apostolica traditione, in solemni Baptismi administratione adhiberi debent susceptores; et Concil. Trident.[1], ut tollatur nimia multitudo impedimentorum Matrimonii[2], *statuit ut unus tantum, sive vir, sive mulier, juxta sacrorum Canonum instituta, vel ad summum unus et una baptizatum de Baptismo suscipiant;* in quo servandus est usus Ecclesiæ, in qua quisque minister degit; sed in Baptismo privato patrinus absque culpa omittitur, bene tamen adhiberi potest, et præstantius adhibetur, ut communiter tenent auctores. His notatis, duo tantum manent solvenda. Itaque

Quæres 1. *An cæremoniæ quæ, cogente necessitate, fuerunt omissæ, sint postea supplendæ?*

Resp. *affirm.* Est enim praxis universæ Ecclesiæ, quæ præcipit in suis Ritualibus, ut cæremoniæ omissæ suppleantur, ne baptizati earum fructu careant.

Dices : Exorcismi post Baptismum sunt prorsus inutiles, ergo non debent suppleri. Resp. *Nego ant.*

Prob. ant. Exorcismi sunt ad fugandum dæmonem; atqui virtute Baptismi jam expulsus fuit dæmon : ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Exorcismi sunt ad fugandum dæmonem, tantum, *nego;* sunt ad fugandum dæmonem, simul et vires dæmonis reprimendas, et ardorem concupiscentiæ, quo posset impediri effectus Baptismi, temperandum, *conc. maj.*, et, concessa min., *dist. conseq.* Ergo sunt inutiles, ad fugandum dæmonem, *conc.;* ad ipsius vires reprimendas, etc., *nego conseq.* Responsio est ad mentem Div. Thom., qui dicit[3] : *Nec frustra* (exorcismi) *supplentur post Baptismum, quia, sicut impeditur effectus Baptismi*

[1] Sess. 24, cap. 1. — [2] Cap. *Modo plures, de Consecr.*, dist. 4; cap. *Veniens, de Cognat. Spirit.* — [3] 3 p., quæst. 7, art. 3, ad 3.

antequam percipiatur, ita potest impediri postquam fuerit perceptus.

Quæres 2. *Quodnam sit officium patrinorum?*

Resp. 1° Baptizandum Parocho præsentare; 2° pro baptizando respondere, si ipse nequeat; 3° illum tenere dum baptizatur; 4° illum de manu baptizantis suscipere; 5° illum debite in rebus fidei et doctrina christiana instruere, si parentes id præstare non possint; quæ obligatio, cum sit gravis, tum ob solemnem patrinorum sponsionem in suscipiendo hoc officio, tum ob præceptum Ecclesiæ ipsis impositum [1], ideo obligat sub mortali, si necessitas urget.

Dixi *si necessitas urget,* sicut eo tempore et loco, in quo baptizati inter infideles nutriuntur, ut ait S. Thomas [2], addens : *Sed ubi nutriuntur inter catholicos Christianos, satis possunt ab hac cura excusari, præsumendo quod a suis parentibus instruantur; si tamen quocumque modo sentirent contrarium, tenentur secundum suum modum saluti spirituali filiorum curam impendere.*

Hoc autem officium patrinorum maxime est commendandum a Missionariis inter infideles, ubi hæc auctoritas maxime viget cum magno neophytorum proventu.

Quæres 3. *Quinam excludantur ab officio patrini?*

Resp. Excluduntur : 1° amentes; 2° non baptizati; 3° hæretici; 4° publice excommunicati, aut infames; ratio est, quia tales non sunt capaces instruendi baptizatos in rebus fidei et doctrina christiana; 5° religiosi omnes et sanctimoniales : *Nunquam vero monachus, patrinus; vel monialis, matrina esse queat,* ait Concil. Rhemense [3]; 6° pater et mater infantis, alias graviter peccarent : at probabiliter non contraherent inter se cognationem spiritualem, quæ impediret usum matrimonii [4] ex canon. *De his,* cap. 6, quæst. 1. Sed

[1] Concil. Mogunt., can. 47; Rhemense, tit. *de Baptismo,* § 3; Arelat. VI, can. 10. — [2] 3 part., quæst. 67, art. 8. — [3] Tit. *de Baptismo,* § 7. — [4] S. Ligor., lib. 6, num. 150.

QUÆRES 4. *An et a quibus, ratione Baptismi, contrahatur cognatio spiritualis?*

RESP. 1. Ex Tridentino[1] dicente : *Unus tantum sive vir, sive mulier, juxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum unus et una baptizatum de Baptismo suscipiant, inter quos ac baptizatum ipsum et illius patrem, et matrem, nec non inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem et matrem tantum spiritualis cognatio contrahetur. Parochus antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur quem vel quas elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant... doceatque eos quam cognationem contraxerint.*

Resolves 1. *Communius* et *verius* nulla cognatio contrahitur ex Baptismo privato, quia Tridentinum ad evitanda incommoda quæ ex multiplicatione cognationum orirentur, declarat illam contrahi solum a suscipientibus *de sacro fonte;* atqui sacer fons institutus est solum ad conferendum Baptismum solemne, non autem privatum : ergo, etc.

2. Nulla contrahitur cognatio ex Baptismo collato sub conditione, si dubium de validitate primi Baptismi sit *positivum;* secus, si fuerit duntaxat *negativum.*

3. Nullam *verius* et *probabilius* contrahit cognationem, qui suscipit infantem nomine alterius, bene vero ille cujus nomine fit susceptio; quia, ex Trident., loco citato, ille contrahit qui ab illis ad quos pertinet, designatur ad suscipiendum; atqui illi ad quos pertinet non designant pr. curatorem, sed solum principalem : ergo ille solus contrahit.

4. Qui non designatus baptizandum tangit, tangente simul designato, nullam contrahit cognationem, ex Tridentino, loco citato, ubi sic sancitum fuit : *Si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahent, constitutionibus in contrarium non obstantibus.*

[1] Sess. 24, cap. 2 *de Reform.*

Dixi *tangentibus designatis;* nam si isti non tangant, omnes non designati tangentes contrahunt cognationem, ut in jure declaratur his verbis : *Quamvis non plures quam unus vir vel una mulier accedere debeant ad suscipiendum de Baptismo infantem, si tamen plures accesserint, spiritualis cognatio inde contrahitur.* Nec obstat textus Tridentini supra relatus, quia verbum *ultra* importat, inquit S. Ligorius, quod tangant designati et non designati; alias adhibuisset verbum *præter,* quod importat quod tangant tantum designati.

Notandum 1° nullum esse peccatum, si duo conjuges suscipiant alienam prolem, ut docet Div. Thomas dicens[1]: *Nihil prohibet, quin vir et uxor simul aliquem de sacro fonte levent.*

Notandum 2° Parochum graviter peccare, si ejus culpa plures patrini adhibeantur; *item,* si solemniter baptizet sine patrino.

[1] In 4, dist. 12, quæst. 1, art. 3.

TRACTATUS
DE CONFIRMATIONE[1]

Hunc tractatum quinque absolvemus capitibus : *primum* erit de natura et institutione Confirmationis; *secundum*, de materia et forma Confirmationis; *tertium*, de ministro; *quartum*, de subjecto et necessitate; *quintum*, de effectibus et cæremoniis Confirmationis.

CAPUT I.

DE NATURA ET TEMPORE INSTITUTIONIS CONFIRMATIONIS.

Nota. Omissis variis nominibus[2] quibus sacramentum Confirmationis a SS. Patribus designatur, dico illud communi nomine dici *Confirmationem* a primario suo effectu, qui est spiritualis corroboratio ad fidem Christi constanter et intrepide profitendam, veluti quædam Baptismi consummatio.

Confirmatio definitur : *Sacramentum a Christo institutum, quo baptizatus, per unctionem Chrismatis in fronte per modum crucis factam, sub præscripta verborum forma, corroboratur ad fidem firmiter tenendam et intrepide profitendam.*

Dicitur 1° *Sacramentum a Christo institutum;* pro genere; et mox probabitur.

[1] Ad intelligentiam SS. Patrum, notandum confirmationem, secundum varias rationes consideratam, varia nomina sortitam fuisse. Ratione materiæ, dicta est *manus impositio, unguenti mysterium, Sacramentum chrismatis, chrisma salutis;* ratione formæ, *signaculum;* ratione effectus, *perfectio, consummatio, Sacramentum plenitudinis.*

[2] Vide S. Ligor., lib. VI, num. 161 et seqq.

Dicitur 2° *quo baptizatus;* quia Confirmatio ad sui validitatem præsupponit Baptismi characterem.

Dicitur 3° *per unctionem Chrismatis,* etc.; quæ verba designant materiam illius Sacramenti et formam.

Dicitur 4° *corroboratur,* etc.; pro differentia : Sacramenta enim differunt inter se per gratiam differentem quam producunt; gratia autem Confirmationis est *roborativa,* sicut gratia Baptismi est *regenerativa,* etc.

Hic duæ moventur controversiæ : *prima,* adversus Hæreticos Lutheranos et Calvinistas contendentes Confirmationem non esse verum Sacramentum; *secunda,* inter Catholicos disputantes de tempore quo fuit instituta Confirmatio. Ideo

CONCLUSIO.

Confirmatio est verum ac proprie dictum novæ Legis Sacramentum. Est de fide a Trident. definitum[1], ubi sanxit : *Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, et non potius verum ac proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse quam catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit.*

Prob. *Ex Act. Apost.,* cap. viii, ubi dicitur : *Cum audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem, qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant* (a Philippo diacono) *in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum Sanctum.* Et ex iisdem Act., cap. xix, 5 : *His auditis, baptizati sunt Ephesii, in nomine Domini, et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos.*

[1] Sess. 7 *de Confirmatione.*

Ex quibus textibus sic argumentor : Ad verum Sacramentum quatuor requiruntur et sufficiunt etiam secundum novatores : 1° ut sit signum externum et sensibile; 2° ut habeat vim gratiam conferendi; 3° ut sit a Christo præceptum; 4° ut sit constans et perpetuum in Ecclesia. *Atqui* quatuor illas conditiones habet nostra Confirmatio ex textibus :

1° Est signum externum et sensibile, oratio scilicet et impositio manuum.

2° Habet vim producendi gratiam : *et accipiebant Spiritum Sanctum.*

3° Est a Christo præcepta, ut colligitur necessario ex potestate Apostolis collata gratiæ conferendæ; solius enim Christi est instituere signum collativum gratiæ; unde S. Clemens I, Epist. 4, ait : *Omnibus festinandum est sine mora renasci, et demum consignari ab Episcopo... ut a S. Petro accepimus, et cæteri SS. Apostoli, præcipiente Domino, docuerunt.*

4° Est perpetua et constans in Ecclesia christiana, ut demonstrat Ecclesiæ usus ab Apostolis ad nos usque non interruptus, quem usum tradunt omnes Patres; unum aut alterum refero, ultra S. Clementem jam supra memoratum.

Tertull.[1] : *Exinde egressi de lavacro, perungimur benedicta Unctione de pristina disciplina.*

Div. Dionysius[2] : *Baptizatum indutum veste alba ad Pontificem ducunt : ille divino ac deifico prorsus unguento virum signat.*

Div. August.[3] : *Sacramentum Chrismatis in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.*

Div. Hieron.[4] : *An nescis Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponatur, et ita invocetur Spi-*

[1] Lib. *de Bapt.*, cap. 7. — [2] Lib. *de Eccl. Hierar.*, cap. 2. — [3] Lib. XXIX, *contra litt. Petil.*, cap. 104. — [4] Dialogo *advers. Luciferianos.*

ritus Sanctus? Exigis ubi scriptum est? In actibus Apostol. Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret.

Præterea, quod fuit inventum nomen præbet inventoris, et locum tempusque inventionis; sed hæretici non possunt assignare quis primus, ubi et quo tempore hunc ritum Sacramentis annumeravit. *Subsumo:* atqui, juxta regulam S. August. communiter receptam[1], *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi Apostolica auctoritate traditum rectissime creditur.* Quod autem tradiderunt Apostoli, inquit alibi, a Christo acceperunt : ergo, etc.

Objicies cum Dallæo 1. Manus impositio, de qua *Act.* VIII, fuit mera cæremonia, seu appendix Baptismi : ergo non fuit Sacramentum.

Resp. *Nego ant.* Alias Philippus et alii Discipuli, dum Samaritanos baptizarunt, hanc cæremoniam non omisissent : nec necesse fuisset Petrum et Joannem mitti ad meram Baptismi cæremoniam perficiendam : Confirmatio ergo est Sacramentum omnino distinctum a Baptismate : *in Baptismo* enim *regeneramur ad vitam, post Baptismum ad pugnam confirmamur,* ait Catechismus Concil. Trident.

Objicies 2. In textibus laudatis per ly *Spiritus Sanctum,* non intelligitur gratia interior, sed dona linguarum, miraculorum, etc. Ergo non est Sacramentum.

Resp. *Nego ant.* Nam per *Spiritum Sanctum* intelligitur ille quem promiserat Christus, dicens[2] : *Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum;* atqui ille Spiritus non consistit in illis donis quæ diuturna non fuere : ergo, etc.

Itaque in primordiis Ecclesiæ, ad dilatandam fidem, per manus impositionem dabatur Spiritus Sanctus, simul cum *temporalibus et sensibilibus miraculis attestantibus;* nunc autem fide confirmata, per *ly* Spiritum Sanctum *invisibi-*

[1] Lib. II *de Bapt.*, cap. 7. — [2] Joan. IV, 16.

liter et latenter intelligitur... eorum cordibus divina charitas inspirari. Ita Div. August.[1].

Objicies 3. Ex Div. August.[2], manuum impositio repeti potest : ergo non est nostra Confirmatio.

Resp. *Dist. ant.* Manuum impositio reconciliatoria, *conc.;* confirmatoria, *nego ant.* Loquitur enim Div. August. de illa manuum impositione reconciliatoria, qua olim hæretici ad Ecclesiam redeuntes, reconciliabantur, quæ erat mera cæremonia Ecclesiastica, quæ indubie iterari poterat.

Quæres : *Quo tempore Christus instituerit Confirmationem?*

Nota : Circa hanc quæstionem, maximam esse inter auctores discordiam.

Sunt qui volunt ipsam fuisse institutam, cum Christus[3] manus imposuit infantibus[4]; sed improbabiliter, quia multi ex infantibus illis non erant baptizati.

Sunt qui volunt institutam eam fuisse in ultima Cœna, et probant auctoritate Fabiani papæ docentis[5] tunc Christum Apostolos *docuisse Chrisma conficere :* verum consentiunt omnes eruditi, illam epistolam, sicut et alias decretales ante Siricium[6], inter apocrypha opera esse amandanda.

Alii in die Pentecostes, cum primum Apostoli fuere confirmati; sed minus probabiliter : alias Christus Confirmationem non instituisset per se immediate.

Alii post Resurrectionem, intra illud spatium temporis quod fluxit a Resurrectione usque ad Ascensionem; hæc opinio est probabilior, sed incerta. Itaque

Resp. *Plane incertum est tempus quo Christus instituit Confirmationem.*

Prob. Illud, in eis quæ ex mera Dei voluntate pendent, incertum haberi debet, quod neque ex Scripturis, neque ex Traditione, certo colligi potest; atqui tempus, quo in-

[1] Lib. III *de Bapt.*, cap. 16. — [2] Lib. XV *de Trinit.*, cap. 15; lib. III *de Baptismo*, cap. 16. — [3] Matth. XIX. — [4] Patres Concil. Senensis, an. 1528 — [5] Epist. II, cap. 2. — [6] Ab ann. 398.

stituta est Confirmatio, neque ex Scripturis, neque ex traditione colligi certo potest, ut constat ex tanta varietate opinionum supra relata. Ergo, etc.

CAPUT II.

DE MATERIA ET FORMA CONFIRMATIONIS.

Nota. Circa materiam et formam Confirmationis variæ sunt scholasticorum opiniones.

Prima sententia docet solam manuum impositionem quæ præcedit chrismationem[1], esse materiam essentialem adæquatam Confirmationis; unctionem vero esse materiam integrantem ad majorem effectus expressionem, necessariam tamen ex præcepto Ecclesiæ. *Formam* autem esse orationem, per quam Episcopus supra confirmandos Spiritus Sancti gratiam invocat[2]; sed hæc sententia est omnino falsa.

Secunda docet unctionem Chrismatis esse essentialiter et adæquatam materiam Confirmationis; impositionem vero manuum, quæ præcedit chrismationem, esse duntaxat cæremoniam Ecclesiasticam[3], et verba chrismationem comittantia esse formam.

Tertia tum manus impositionem, tum unctionem agnoscit tanquam materiam essentialem adæquatam Confirmationis; verum in assignanda manus impositione sunt discordes hujus sententiæ patroni. Aliqui minus probabiliter volunt eam esse manus impositionem qua Episcopus super confirmandos invocat Spiritum Sanctum, quæque præcedit chrismationem; alii verius solam assignant manus impositionem qua Episcopus ungit frontem confirmandi, et forma verba

[1] Cum scilicet Episcopus, antequam ad chrismatis unctionem accedat, extendit manus confirmandos proferens orationem : *Omnipotens sempiterne Deus*, etc.

[2] Ita Sembovinus, tract. *de Confirm.*; Sirmondus, *antirhetico* 2. cap. 2. — [3] Greg. de Valentia, Estius, etc.

comitantia; et hæc sententia cum secunda reincidit. His notatis,

CONCLUSIO I[1].

Materia remota essentialis Confirmationis est Chrisma confectum ex oleo et balsamo, benedictum ab Episcopo.

Nota. Certum est oleum olivarum esse de essentia Sacramenti[2]. Balsamum autem certum est esse de necessitate præcepti. Utrum vero sit de necessitate Sacramenti, probabiliorem sententiam et communiorem statuit conclusio.

Prob. 1. *Expressa declaratione Concil. Florent.* in decreto : *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, et balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto.*

Prob. 2. *Ex praxi et traditione Ecclesiæ non interrupta,* cujus testes sunt omnes Patres, inter quos duos vel tres refero.

S. Pacianus[3] ait *Chrismate superinfundi Spiritum Sanctum.*

S. Greg. Magn.[4] . *In Engaddi balsamum gignitur, quod cum oleo, Pontificali benedictione Chrisma efficitur.*

S. Leo[5] dicit : *Renati per aquam et Spiritum Sanctum, accepistis Chrisma salutis et signaculum vitæ æternæ.*

Ex quibus textibus manet probata propositio quoad omnes suas partes.

Prob. insuper. Ex catech. Rom.[6], ubi dicitur : *Duæ res corporeæ permixtæ,* oleum scilicet, et balsamum, *Confirmationis materiam præbent.*

Dices : Admixtio aquæ cum vino in calice, non est necessaria necessitate Sacramenti : ergo nec mixtio balsami cum oleo in Confirmatione.

[1] Conf. S. Ligor., lib. VI, num. 162 et seqq. — [2] Ex cap. ultim. *de Sacram. unct.*, et ex decret. Eug. IV, ut infra. — [3] Serm. *de Bapt.* — [4] In 1 *Cant.* — [5] Serm. *de Nativitate Domini.* — [6] Num. 7.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod vinum sine aqua sit verum vinum; e contra cum solo oleo non est verum Chrisma, quod ut fiat, requiritur necessario admixtio balsami et benedictio episcopalis.

Resolves 1. Sacramentum Confirmationis omnino dari debet cum oleo balsamato, id est, oleo et balsamo, alias esset saltem dubium.

2. Sacramentum datum absque balsamo est iterandum, saltem sub conditione.

3. In articulio mortis, Sacramentum conferri potest ex solo oleo sub conditione, si balsamum haberi nequeat. Magna enim hujus Sacramenti utilitas, inquit S. Alph. de Ligorio, justa esset causa illud sub conditione ministrandi, etiam cum probabili periculo nullitatis.

Dixi in conclusione, *benedictum ab Episcopo;* certum est enim ex Clemente VIII[1], Extremam-Unctionem ministratam cum oleo benedicto a simplici sacerdoti sine concessione Papæ, esse invalidam : ergo a pari. Utrum vero solus Episcopus possit chrisma benedicere, sententia communior *affirmat;* verum, *speculative loquendo,* probabiliter negatur; *ratio prima,* quia ex monumentis allatis in contrarium non evincitur quod illa benedictio non sit tantum de necessitate præcepti, sed etiam de necessitate Sacramenti ab Episcopo facienda. *Ratio secunda,* quia sicut Papa potest facultatem facere simplici sacerdoti confirmandi, ut infra dicetur, ita poterit etiam benedictionem chrismatis ei committere; in praxi tamen pars tutior est sequenda[2].

Nota. Licet nihil attineat ad substantiam Sacramenti, sive chrisma sit novum, sive vetus, graviter tamen peccat minister qui utitur alio quam novo, id est, illo anno consecrato in die cœnæ Domini; sed in hoc potest Papa dispensare, ut plurumque facit erga Missionarios ad exteras gentes.

[1] Apud Bened. XIV, *de Synod.,* lib. VII, cap. 14, num. 4. — [2] S. Ligor. lib. VI, num. 163.

CONCLUSIO II[1].

Materia proxima essentialis et adæquata Confirmationis, est ea impositio manus qua Episcopus ungit per modum Crucis frontem confirmandi.

Prob. Materia proxima Sacramenti est materiæ illius remotæ debita applicatio ad subjectum ; atqui chrismatio, seu manus impositio qua unctio fit, est materiæ remotæ Confirmationis applicatio : ergo, etc.

Prob. min. 1. Auctoritate Patrum et Doctorum, qui impositionem manus fieri per unctionem declarant. Ita V. Beda[2] : *Illa unctio,* inquit, *quæ per manus impositionem fit ab Episcopo, vulgo Confirmatio dicitur.*

Rabanus Maurus[3] refert, ex S. Sylvestro, *ad solum Episcopum pertinere, ut baptizatos per manuum impositionem cum ipso Chrismate consignet.*

Hugo Victorinus dicit[4], *manuum impositionem usitato nomine Confirmationem vocari, qua Christianus unctione Chrismatis per impositionem manus in fronte signatur.*

Ergo concludit Bellarminus[5] : *Ipsa unctio et signatio cum manu fiat, manus impositio rectissime dicitur; qui enim ungit, manus imponit, et idcirco utrumque significatur, etiamsi alterum tantum exprimi videatur;* ut addit c. 9.

Prob. min. 2. Ex praxi Græcorum, apud quos cum nulla sit impositio manus confirmatoria distincta ab unctione Chrismatis, ut patet ex Concilio Constantinopol. I[6], et fatetur Goarius[7], alterutrum concludere necesse est : vel nullum apud Græcos esse Confirmationis sacramentum, vel manus impositionem ab unctione indistinctam sufficere :

[1] Vid. S. Ligor., lib. VI, num. 164, ubi fusius et solide tuetur auctoris sententiam. — [2] In Ps. XXVI. — [3] Lib. I *de Instit. Cleric.*, cap. 28. — [4] Lib. I *de Sacr.*, p. 7, cap. 2. — [5] Lib. II *de Sacram. Confirm.*, cap. 2. — [6] Can. 7. — [7] In notis *ad Euchologium Græcor.*, pag. 356, col. secunda.

primum est falsissimum, semper enim Græci validum habuere, et etiamnum habent sacramentum Confirmationis, nec Latini ullam unquam circa istud caput litem cum illis habuere, quoties inita fuit cum illis unio : ergo necessario dicendum manus impositionem ab unctione indistinctam sufficere, ut asserit Simeon Thessalonicensis[1], dicens : *A Philippo baptizati tanquam qui solum Baptisma suscepissent, Petro et Joanne imponentibus manus, Spiritum Sanctum accipiebant : quod sane hoc Sacramentum est* (Confirmationis), *siquidem manus impositio unguentum præbebat, ut et in Apostolis factum est, ac per ipsos in multis aliis.*

Confirmatur ex Constitutione Bened. XIV, quæ incipit *Ex quo primum*[2], ubi totam Ecclesiam docens, dicit : *Quod itaque extra controversiam est, hoc dicatur : nimirum in Ecclesia Latina Confirmationis sacramentum conferri adhibito sacro Chrismate, sive oleo olivarum balsamo commixto, et ab Episcopo benedicto, ductoque signo crucis per Sacramenti ministrum in fronte suscipientis, dum idem minister formæ verba pronuntiat.*

Unde sic : Illa sola est materia proxima essentialis et adæquata Confirmationis, quæ sola requiritur ad valide Sacramentum conferendum, quæque sola simul applicatur cum forma ; atqui, ex supradicta Constitutione, sola Chrismatis unctio, solaque impositio manus qua Episcopus ungit, requiritur ad valide Sacramentum conferendum, eamque solam materiam forma comitatur : ergo, etc.

Dixi in prop. 1° *ungi frontem,* quia frontem ungi omnia Ritualia et Euchologia præscribunt, et licet Græci non tantum frontem, sed et oculos, nares, os, aures et pectus inungant, sola tamen unctio frontalis essentialis est.

Dixi 2° *per modum crucis;* quia figura crucis ad essentiam pertinet hujus Sacramenti, alias falsa esset significatio formæ, quæ hæc est : *Signo te signo crucis,* etc. Hinc S. Gregor. in Sacramentario dicit : *Pontifex, tincto pollice*

[1] Lib. *de Septem Sacram.* — [2] Epist. *Encyclic. Ex quo primum,* § 52.

in Chrismate, facit crucem in fronte unius, similiter per omnes sigillatim.

Unde Episcopus peccaret saltem venialiter, si alio digito quam pollice dexteræ manus ungeret: probabiliter autem potest alio digito ungere, si hunc pollicem habeat infirmum. Invalide vero confirmaret, si ungeret mediante aliquo penicillo, ut fieri potest justa de causa in Extrema-Unctione. Ratio, quia tunc deficeret illa immediata manus impositio, quæ necessario requiritur[1].

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Manus impositio quæ præcedit chrismationem, est materia essentialis Confirmationis : ergo non ea qua ungitur confirmandus.

RESP. *Nego ant.* Est enim mera cæremonia Ecclesiastica, qua Episcopus per invocationem Spiritus Sancti præparat confirmandos ; patet tum ex praxi Græcorum, tum ex usu nonnullorum Episcoporum Latinorum, qui admittunt ad Chrismatis unctionem etiam eos, qui præsentes non adfuerant, quando, initio Ritus, Episcopus extendit manus versus confirmandos, et oravit, ut invocaret Spiritum Sanctum.

OBJICIES 2. Apostoli confirmarunt per solam manuum impositionem, illumque ritum observavit Ecclesia sex primis sæculis : ergo chrismatio non est de essentia Confirmationis.

RESP. *Nego ant.* Nam in Scripturis unctio est manus impositio, ut docent Patres citati ; quod probat Ballarminus[2], ex Marci VII, ubi *cum postulassent quidam, ut Dominus imponeret manus lunatico, ille id fecit ;* nam misit digitos suos in auriculas ejus, et expuens tetigit linguam ejus, ait sacer textus.

INST. 1. Concil. Florent., in Decreto post laudatum textum Actuum VIII, sic pergit : *Loco autem illius manus imposi-*

[1] S. Ligor., lib. VI, num. 166. — [2] Lib. II *de Sacram. Confirm.*, cap. 1.

tionis, datur in Ecclesia Confirmatio : ergo unctio qua datur nunc Confirmatio, distinguitur a manus impositione qua dabatur ab Apostolis.

Resp. *Nego conseq.* Sensus enim non est, inquit Bellarm.[1], *Chrisma esse loco impositionis manuum, quasi Apostoli non usi fuerint Chrismate, et nos non utamur manus impositione : sed sensus est idipsum quod Apostoli faciebant, cum dicebantur manus imponere, facere nunc Episcopos, cum dicuntur confirmare aut chrismare; distinguitur enim in his locis, non ritus a ritu, sed modus loquendi... hac ergo ratione dici potest id quod nunc fit, esse loco ejus quod tunc fiebat, licet sit idem quoad substantiam.*

Inst. 2. Synodus Moguntina, ann. 1581, hortatur Pastores *ut diligenter populum instruant, ut hoc Sacramentum* (Confirmationis) *ab initio sola manuum impositione exhibitum, mox sub ipsis temporibus Apostolorum ex eorumdem traditione, adhibita Chrismatis unctione cœperit conferri.* Ergo impositio manuum est actio distincta a chrismatione.

Resp. *Nego conseq.* Hæc enim Synodus nihil definivit, sed in illa instructione secuta est sententiam aliquorum qui existimabant Apostolos per dispensationem sola manuum impositione, Confirmationem administrasse.

Cæterum, cum nulla sit Ecclesiæ definitio circa materiam et formam Confirmationis, et ea quæ de ipsis docemus, non sint de fide, sed sint inter Theologos controversa, ideo rite observanda sunt omnia quæ præscribit Ecclesia in suis Ritualibus et Pontificalibus, ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis.

[1] Lib. II *de Sacram. Confirm.*, cap. 9.

CONCLUSIO III.

Forma essentialis et adæquata Confirmationis apud Latinos, ut traditur in decreto Eugenii, *hæc est :* Signo te signo crucis. et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; *et quidem secundum omnes suas partes. — Apud Græcos vero hæc est :* Signaculum doni Spiritus Sancti in nomine Patris, et Filii, etc.

Prob. Forma Sacramenti sunt verba quæ profert minister dum applicat materiam ; atqui verba supradicta profert minister dum frontem confirmandi inungit Chrismate : ergo ista verba sunt forma Confirmationis.

Confirmatur 1. Pro ritu Latinorum, ex omnibus Ordinibus, Ritualibus, Sacramentariis, in quibus hæc forma præscribitur quoad sensum, licet sit aliquid discriminis quoad verba[1].

Confirmatur 2. Ex Eugenio IV, in decreto supra relato ad Armenos, ubi Pontifex non aliam quam nostram assignat formam : ergo omnes alias, præter hanc, penitus exclusit; alias non recte, ait S. Alphons. de Ligorio, quia non integre Ecclesiam docuisset.

Confirmatur 3. Illa sola est adæquata forma, in qua adæquate omnia significantur, quæ in hoc Sacramento continentur; atqui, ex S. Thoma, prædicta forma significat omnia quæ in hoc Sacramento continentur, nempe : *signum* militiæ Christi, cui adscribuntur confirmati per illa verba : *Signo te signo crucis.* Deinde *effectus* Sacramenti, id est, gratia roborans per illa verba : *Confirmo te Chrismate salutis.* Tandem *causa* gratiæ, nempe SS. Trinitas per illa verba : *In nomine Patris,* etc. Ergo hinc catechismus Rom.[2] declarat quod *auctoritas Ecclesiæ catholicæ non patitur nos ea de re quidquam dubitare.*

[1] Ordo et Pontific. Roman., Sacramentarium Tolosanum, Turonense, etc. — [2] *De Sacram. Confirm.,* § 12.

Confirmatur pro ritu Græcorum, ex Euchologio et Conc. Constantinopol. I, can. 7, ubi dicitur : *Recipimus obsignandos, sive ungendos primum sancto Chrismate, et frontem et oculos... et eos signantes dicimus : signaculum doni Spiritus Sancti.*

Ex hac diversitate formæ constat Christum non determinasse formam Confirmationis in specie et quoad verba, sed tantum in genere, statuendo scilicet, ut adhiberentur verba quæ hujus Sacramenti effectum sufficienter exprimerent, eaque ab Ecclesia determinarentur. Post cujus determinationem verba formæ ita sunt necessaria, ut si mutarentur quoad sensum, nullum foret Sacramentum.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Forma Confirmationis debet esse deprecatoria : *Orabant pro ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum;* atqui ista verba : *Signo te, confirmo te,* non sunt deprecatoria, sed indicativa : ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Debent esse deprecatoria grammaticaliter et quoad pronuntiationem, *nego;* virtualiter et quoad sensum, *conc. maj.* Verba autem formæ licet indicative pronuntientur, tacitam tamen includunt orationem, qua minister divinam opem invocat, ut effectum sacramentalem producat : *hic est* enim *qui baptizat,* ut dicitur Joan. I.

Inst. 1. Ex his verbis Jac. V : *Et orent super eum ungentes eum oleo,* etc., recte infertur formam Extremæ-Unctionis debere pronuntiari deprecative : ergo idem inferri debet ex istis verbis : *Oraverunt pro ipsis ut acciperent,* etc.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas petitur ex traditione Apostolica relucente in perpetua praxi Ecclesiæ, quæ semper adhibuit formam deprecativam in Extrema-Unctione, nunquam vero in Confirmatione : traditio autem Apostolica est legitima sensus Scripturæ interpres, et paris cum ea auctoritatis.

Inst. 2. Div. August. asserit[1] *nullum discipulorum dedisse Spiritum Sanctum, sed orasse ut veniret in eos quibus manus imponebant :* ergo forma debet esse oratio.

Resp. *Dist. conseq.* Debet esse oratio virtualiter inclusa in forma indicativa, *conc.;* oratio formalis et pronuntiativa, *nego;* alias formæ Baptismi et Eucharistiæ deberent esse orationes formales, cum dicat idem August.[2] *Ministrum per deprecationem baptizare et Eucharistiam conficere.*

Objicies 2. Scriptura nulla mentionem facit formæ a nobis allatæ, cum memorat datam ab Apostolis Confirmationem · ergo non est vera forma.

Resp. *Nego conseq.* Ex silentio enim Scripturæ nihil hic concludi potest, quoniam multa fecit Christus et dixit, quæ non sunt scripta[3]; sed quæ omittit, non excludit, illaque nobis ex constanti Ecclesiæ praxi et traditione transmittuntur; talis est forma Confirmationis.

Inst. Ante sæculum VIII, est altum apud scriptores Ecclesiasticos de forma nobis assignata silentium : ergo non est forma essentialis.

Resp. *Nego conseq.* Duplex quippe est causa et ratio cur prioribus Ecclesiæ sæculis ritus et formæ Sacramentorum scripto non mandabantur : *prima,* quia propter usum quotidianum et vivam Traditionem ignorari poterant; — *secunda,* ne Gentilium et Judæorum ludibrio et profanationi exponerentur, ut docet Innocent. I, Epist. prima *ad Decentium,* loquens de Confirmatione · *Verba vero dicere non possum,* inquit, *ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere.*

Objicies 3. Forma Græcorum non exprimit effectus Confirmationis : ergo non est valida.

Resp. *Nego ant.* Exprimit enim effectus Confirmationis per hæc verba : *signaculum doni;* exprimit causam principalem per hæc verba : *Spiritus Sancti;* exprimit causam ministerialem per hoc verbum : *signaculum,* quod juxta

[1] Lib. *de Trinit.,* cap. 16. — [2] Lib. v *de Bapt.,* cap. 20. — [3] Joan. xx, 60.

proprietatem sermonis græci virtualiter includit hæc verba : *Ecce tibi datur a me :* unde forma Græcorum non differt quoad sensum substantialem a nostra.

Quæres : *Quænam mutationes sint substantiales vel accidentales in forma sacramenti Confirmationis?*

Resp. *Substantialis* est mutatio : 1° si omittatur verbum *signo,* vel *confirmo;* 2° si omittatur expressio SS. *Trinitatis;* 3° si omittatur verbum *te;* 4° si omittantur verba *signo crucis,* vel *Chrismate salutis.*

Accidentalis erit mutatio, si dicatur *corroboro* pro *confirmo,* vel *sanctificationis* pro *salutis.*

CAPUT III.

DE MINISTRO CONFIRMATIONIS.

Duplex hic dirimenda occurrit controversia : 1° utrum solus Episcopus sit minister ordinarius Confirmationis; 2° utrum Presbyter hujus Sacramenti sit minister extraordinarius. *Prima* pertinet ad fidem, estque definita contra Calaritanos[1], Photium et alios Græcos Schismaticos, Wiclefitas, Valdenses, Lutheranos et Calvinistas. *Secunda* pertinet ad scholæ dissidium. Ideo

CONCLUSIO I[2].

Solus Episcopus est ex institutione divina minister ordinarius Confirmationis. Est de fide. Concil. Trident.[3] definit : *Si quis dixerit, sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.*

Prob. 1. *Ex Scriptura,* Act. ix, ubi legitur Petrum et Joannem (quibus succedunt Episcopi) missos fuisse Sama-

[1] S. Greg. Magn., *Epist. ad Januar.* — [2] Conf. R. P. Perrone, *de Confirmat.,* cap. ii, et S. Ligor., lib. vi, num. 170 et seqq.—[3] Sess. 7, can. 3.

riam, ut iis qui a Philippo Diacono baptizati fuerant, manus imponerent et darent Spiritum Sanctum. Quare autem Philippus non imposuit manus? Respondet S. Chrysostomus Græcus : quia *hoc solorum Apostolorum erat, virtutem quidem acceperant Diaconi faciendi signa, non autem dandi aliis Spiritum Sanctum : igitur hoc erat in Apostolis singulare; unde et præcipuos* (id est Episcopos) *et non alios videmus hoc facere*[1].

Prob. 2. *Ex Traditione perpetua,* cujus seriem habemus ex Patribus tum Græcis, tum Latinis, Summis Pontificibus, et Conciliis; ex quibus singulis unum testimonium brevitatis causa refero.

Innocent. I[2] : *De consignandis infantibus manifestum est ab alio, quam ab Episcopis fieri licere... nam Presbyteris, seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizent, Chrismate baptizatos ungere* (in vertice) *licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis cum tradunt Spiritum Sanctum.* Unde Nicolaus I confirmatos a Presbyteris Photianis jussit iterum confirmari.

Concil. Florent. in Decreto declarat : *Confirmationis minister ordinarius est Episcopus :* ergo, etc.

Suffragatur ratio. Ex S. Thom.[3], consummatio et perfectio operis pertinet ad supremos artifices; atqui Confirmatio est quasi ultima consummatio et perfectio sacramenti Baptismatis; igitur illud conferre pertinet ad Episcopos qui sunt supremi artifices in Ecclesia Dei.

Confirmatur. Designare milites, seu adscribere militiæ non est quorumcumque, sed regum tantum et ducum; at aliorum autem nonnisi ex commissione; atqui per Confirmationem adscribuntur et designantur milites Christi : ergo, etc.

[1] D. Chrysost., homil. XVIII in cap. 8 *Act. Apostol.* — [2] *Epist. ad Decentium,* cap. 3. — [3] 3 p., quæst. 72, art. 11.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Ananias non erat Episcopus, sed discipulus[1]; atqui tamen imposuit manus Paulo : ergo, etc.

RESP. *Dist. min.* Imposuit manus Paulo ad ei visum restituendum, *conc.;* ad confirmandum eum, *nego;* Paulus enim nondum erat baptizatus, *et vidit virum Ananiam nomine imponentem sibi manus ut visum recipiat;* non vero Spiritum Sanctum recipiat.

INST. Ibidem legitur : *Ananias... imponens ei manus, dixit : Saule frater, Dominus misit me Jesus... ut videas et implearis Spiritu Sancto.* Ergo imposuit manus Paulo non tantum ut visum reciperet, sed ut eum confirmaret.

RESP. *Dist. textum. Et implearis Spiritu Sancto,* per Baptismum, *conc.;* per Confirmationem, *nego.* Patet responsio ex contextu : *et confestim ceciderunt ab oculis ejus tanquam squamæ, et visum recepit; et surgens, baptizatus est.*

OBJICIES 2. S. Hieronym.[2] docet potestatem confirmandi competere Episcopis, *ad honorem potius Sacerdotii, quam ad legem necessitatis :* ergo Episcopus institutione divina non est solus minister ordinarius Confirmationis.

RESP. *Nego conseq.* Ibidem enim S. Hieronym. asserit potestatem confirmandi competere Episcopis ex traditione Apostolica; ideo dicimus cum Bellarm. ista verba : *ad honorem potius Sacerdotii, quam ad legem necessitatis,* non debere referri ad legem ministrandi Confirmationem, sed ad legem consequendæ salutis; quia nempe Sacramentum hoc absolute ad salutem non est necessarium; alias *lugendi essent,* addit ibidem S. Doctor, *qui in remotioribus locis per Presbyteros baptizati, ante dormierunt, quam ab Episcopis inviserentur.*

OBJICIES 3. Apud Græcos longe ante schisma Photii,

[1] Act. IX, 10. — [2] Dialog. *adversus Luciferian.*

simplices Presbyteri ordinarie confirmabant, et etiam nunc confirmant : ergo, etc.

Resp. *Nego conseq.* Inde enim ad summum concludi potest Presbyterum esse extraordinarium ministrum Confirmationis, ex concessione saltem tacita Summi Pontificis. Nam ut primum cognovit Nicolaus I Presbyteros Græcos, jure ordinario et non ex dispensatione, Confirmationem conferre, ipsos cum duce suo Photio damnavit, et jussit sic ab illis confirmatos iterum confirmari.

CONCLUSIO II.

Simplex Sacerdos potest esse Confirmationis minister extraordinarius; auctoritate scilicet delegata a Summo Pontifice.

Prob. 1. *Ex usu Ecclesiæ Græcæ,* in qua Presbyteri longe ante schisma Confirmationem conferunt, quam praxim non reprobat Ecclesia Latina, cum ipsa Græcos in Conciliis Lugdunensi II[1] et Florent.[2] in suam communionem admiserit, nec Confirmationem ab eorum Presbyteris collatam rejecerit ut invalidam; atqui non erant ministri ordinarii : ergo, etc.

Prob. 2. *Ex Concilio Florentino,* in Decreto, ubi, postquam statutum est ministrum ordinarium Confirmationis esse solum Episcopum, addit : *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili et urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem, Chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis sacramentum.* Ergo exempla illa supponit legitime facta, alias ipsa non memoraret.

Inter varia dispensationum hujusmodi exempla, eminet praxis quotidiana S. Sedis, Missionariis Presbyteris ad Exteros concedentis facultatem Confirmationem admi-

[1] Ann. 1274, sub Gregorio X. — [2] Ann. 1436, sub Eugenio IV.

nistrandi Chrismate ab Episcopo consecrato, unum præterea refero Gregorii Magni, qui concessit Presbyteris Calaritanis, in Sardinia, ut confirmarent in iis locis ubi desunt Episcopi : *Ubi desunt Episcopi*, inquit, *ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chrismate ungere debeant, concedimus*[1], idque hodie non amplius dubitandum ex Bened. XIV, Bulla *Eo quem quamvis tempore.*

Multa alia exempla ferunt Wadinghus et Cardin. Palavicini[2].

OBJECTIONES.

Objicies 1. Gregorius Magnus[3] Presbyteris Calaritanis prohibuit *ne baptizatos infantes signare in fronte præsumerent, sed eos ungerent in pectore, ut Episcopi postmodum ungerent in fronte.* Ergo ex facto Gregorii a nobis citato non potest concludi simplicem Sacerdotem ex dispensatione posse conferre Confirmationem.

Resp. *Nego conseq.* In primo enim textu, Gregor. Magn. negat (sicut alii Pontifices) ordinariam administrandæ Confirmationis potestatem competere Presbyteris, quod constat ex verbo *præsumerent.* In secundo autem licentiam dat ut confirment.

Objicies 2. Munus confirmandi institutione divina est proprium Episcopis : ergo nunquam potest valide exerceri a Presbyteris.

Resp. *Dist. ant.* Munus ordinarium confirmandi est institutione divina proprium Episcopis, ita ut convenire possit Presbyteris ex concessione Summi Pontificis, *conc.;* ita ut Presbyteris non possit convenire ex tali concessione, *nego ant.*

Itaque ex institutione Christi habet Episcopus ut sit ordinarius, simplex Sacerdos ut esse possit extraordinarius minister Confirmationis; neque enim in factis hujusmodi

[1] Refertur cap. *Pervenerit,* dist. 91. — [2] Wad. in *Annal. Minorum;* Palav. in *Hist. Conc. Trident.,* lib. IX, cap. 7, num. 12. — [3] Epist. IX, lib. IV.

alia quærenda ratio, quam Christi voluntas nobis ex factis SS. Pontificum et usu Ecclesiæ declarata.

Inst. Potestas confirmandi est potestas Ordinis, non jurisdictionis, unde Episcopus nondum consecratus, valide confirmare non potest; atqui potestas Ordinis non potest dari per delegationem. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Potestas ordinaria, plena et completa confirmandi, est potestas Ordinis episcopalis, *conc.;* extraordinaria et incompleta, *nego maj.;* atqui potestas Ordinis non potest dari per delegationem, *dist. min. :* non potest dari ei qui in sua ordinatione non accepit inchoatam et incompletam confirmandi potestatem, *conc. min.;* ei qui in sua ordinatione accepit inchoatam, etc., *nego min. et conseq.*

Itaque Presbyter, ratione sui Ordinis, inchoatam habet et incompletam potestatem, quia capax fit ut committi seu delegari possit ad Confirmationem conferendam, modo accedat legitima dispensatio, per quam potestas illa perficitur ac completur ut valida sit Confirmatio, alias invalida futura.

Quæres 1. *Utrum Concilia Florent. et Trident. aliquid definierint circa ministrum extraordinarium Confirmationis?*

Resp. *negative.* Equidem definierunt Episcopum esse ministrum ordinarium Confirmationis, quia id certum est; at de extraordinario, quia incertum et controversum, silent; esto istud subobscure insinuent, aperte tamen non declarant, neque unum ex alio necessario sequitur. *Sic locuti sunt utriusque Concilii Patres,* inquit Estius[1], *quod quæstionem inter Doctores controversam definire nollent, quo modo et locuti sunt de ministro sacramenti Ordinis, propter controversiam in minoribus Ordinibus.* At propter quotidianam praxim Ecclesiæ, hodie videtur propinquare ad fidem.

[1] In 4, dist. 7, § 22, ad 2.

Quæres 2. *Ubinam et quosnam Episcopus debeat confirmare?*

Nota. Hic agitur tantum de licitate, nam semper est valida Confirmatio, quamvis quandoque possit esse illicita defectu jurisdictionis, quia ista requiritur non necessitate Sacramenti, sed præcepti tantum. Unde

Resp. 1. Episcopus confirmans in aliena diœcesi, etiam suos subditos, graviter peccat et incurrit suspensionem a Pontificalibus ipso jure, ex Tridentino[1]; leviter autem peccat confirmans extra Ecclesiam absque rationabili de causa[2].

Resp. 2. Episcopus graviter peccat in sua diœcesi alienos confirmando, nisi de consensu saltem præsumpto proprii Episcopi confirmandi. Porro *communius* et *probabilius* censent Doctores hunc consensum semper præsumi posse, nisi aliter constet, et hanc esse praxim jam usu receptam. Ratio, quia credendi sunt Episcopi velle suas oves non privari hoc Sacramento, cum nullum incommodum ex eo ipsis proveniat[3].

Quæres 3. *An administrans sacramentum Confirmationis debeat esse jejunus?*

Resp. Videtur affirmandum, ex jure[4], sed hoc esse tantum de consilio docent communiter Doctores, et praxis quotidiana, cum sæpe tale Sacramentum conferatur post prandium.

Quæres 4. *An graviter peccet Episcopus, si longo tempore non confirmet?*

Resp. *affirmat.* Per se loquendo, quia subditos ingenti bono privat.

Hinc graviter peccat Episcopus qui per octo vel decem annos differret circumire saltem per loca præcipua.

Dixi *per se loquendo;* excusat enim moralis impossibilitas, v. gr. pestis occurrentis, nullumque esset peccatum,

[1] Sess. 6, cap. 5 *de Reform.* — [2] S. Ligor., lib. VI, num. 174. — [3] S. Ligor., lib. VI, num. 173. — [4] Ex cap. *ut Jejunii*, et cap. *ut Episcopi, de Consecr.*, dist. 5.

si cum justa causa Episcopus differat ad tres aut plures annos, ut ait Lacroix[1], velut etiam si non confirmet moribundum petentem, ut probabiliter dicunt plures, modo excuset *gravis incommoditas*, ut fert praxis communis.

CAPUT IV.

DE SUBJECTO ET NECESSITATE CONFIRMATIONIS.

Quæres 1. *Quodnam sit Confirmationis subjectum?*

Resp. Est omnis et solus homo baptizatus.

Prob. prima pars. Ex praxi primitivæ Ecclesiæ (quam etiam nunc observat Ecclesia Græca), quæ infantibus una cum Baptismo Confirmationem et Eucharistiam ministrabat, ut constat ex antiquis Ritualibus.

Attamen, nunc variis Conciliorum canonibus statutum est, ut non administretur pueris, nisi postquam annos discretionis attigerint[2]; quia ex hoc Sacramento cum actuali devotione suscepto, fructus uberior percipitur. Convenit tamen ut detur parvulis in extremo vitæ periculo constitutis, ut probat Div. Thomas, hic.

Prob. secunda pars. Quia Baptismus est janua cæterorum Sacramentum.

Quæres 2. *Quænam dispositiones requirantur ad percipiendum sacramentum Confirmationis?*

Resp. 1. Ad recipiendum characterem, sola requiritur voluntas Sacramenti recipiendi; quia hoc sufficit ut Sacramentum sit validum.

Resp. 2. Ad recipiendos alios effectus,

1° Requiritur status gratiæ; quia Confirmatio est Sacramentum vivorum.

2° Requiritur ut confirmandus, si sibi sit conscius gravium peccatorum, actum contritionis eliciat, qui actus sin-

[1] S. Ligor., lib. VI, num. 175. — [2] Ita Synodi Lingonensis, ann. 1404; Aquensis, 1565; Mediolanensis sub S. Carolo, ann. 1565.

cerus non videtur in eo qui, cum habeat copiam Confessarii, confessionem negligit. Quare Concilium Aurelianense[1] statuit ut confirmandi *moneantur Confessionem facere prius, ut mundi donum Spiritus Sancti valeant accipere.*

3° Requiritur ut bonis operibus, præsertim oratione et secessu, ad recipiendum Spiritum Sanctum sese disponant, exemplo Apostolorum, qui *erant perseverantes in oratione,* etc.

4° Duodecim prioribus Ecclesiæ sæculis, confirmantes et confirmandi debebant esse jejuni, prout statutum erat in Conciliis Aurelianensi et Meldensi[2]; sed a duodecimo sæculo desiit illa consuetudo, ut testatur Div. Thom.[3]; laudabilis tamen est consuetudo, ad quam hortatur Catechismus Roman. propter reverentiam Sacramento debitam.

Quæres 3. *An hoc Sacramentum sit necessarium?*

Resp. 1. Sacramentum Confirmationis non est necessarium necessitate medii; quia sine eo homo potest salvari per Baptismum et Pœnitentiam.

Resp. 2. Sacramentum Confirmationis est necessarium omnibus adultis necessitate præcepti divini et Ecclesiastici. Hodie sententia contraria non videtur satis probabilis[4], ex decretoriis verbis Bened. XIV in Bulla *Etsi pastoralis,* ubi Pontifex dicit : *Monendi sunt ab Ordinariis locorum eos gravis peccati reatu teneri si, cum possint, ad Confirmationem accedere renuunt et negligunt.*

Nec obstat dicere Pontificem hic tantum loqui de invalide confirmatis a Presbyteris græcis, qui renuunt ad Confirmationem accedere, quasi habeant validam primam; nam respondetur quod si Confirmatio non est necessitate præcepti, prædicti Græci non peccabant graviter in renuendo aut negligendo confirmari, sed in opinando contra Sedem Apostolicam, Confirmationem a Presbyteris græcis collatam

[1] Cap. 4 *de Consec.,* dist. 5. — [2] Referuntur a Gratiano, cap. 6 et 7 *de Consec.,* dist. 5. — [3] 3 p., quæst. 73, art. 12. — [4] S. Ligor., lib. VI, num. 182 et seq.

esse validam, in quo sive possent ad Confirmationem accedere, sive non, nihilominus gravis peccati reatu tenebantur.

Prob. prima pars, quæ, licet non contineatur expresse in Scripturis, tamen facile ex eis deducitur. Christus enim præcepit Apostolis ut Confirmationem susciperent : *Præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris;* atqui cæteri omnes tum viri, tum mulieres huic præcepto paruerunt, dicente Scriptura ibidem : *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria matre Jesu, et fratribus ejus :* ergo omnes sibi præceptum esse impositum intellexerunt.

Illud autem præceptum divinum obligat maxime dum urget persecutio, aut gravis contra fidem tentatio; ratio est, quia illud Sacramentum est institutum a Christo ad præmuniendos fideles contra omnes tentationes adversus fidem, et ad fidei hostes superandos per firmam Christianæ Religionis professionem.

Prob. secunda pars. Ex Concilio Senonensi definiente non tantum Confirmationem esse præceptam, sed et præscribente tempus quo est præcepta : *Confirmationem,* inquit, *omnes Christiani, tam viri, quam mulieres, usum rationis habentes, obligantur suscipere, aut saltem non contemnere. Contemni autem dicitur, quando Episcopus est præsens paratus dare, et persona hoc sciens negligit.*

Inde Sorbona[1] sequentem propositionem : *Omnes Theologi dicunt Confirmationem non præcipi, nisi cum commode haberi potest, vel (ut alii dicunt) commodissime, quando sine ullo vel minimo incommodo,* damnavit his verbis : *Ista propositio est scandalosa, in maximum Sacramenti Confirmationis contemptum, maligno animo proposita, et in errorem potest inducere.*

[1] Ann. 1631.

CAPUT V.

DE EFFECTIBUS ET CÆREMONIIS CONFIRMATIONIS.

Quæres 1. *Qui sint effectus Confirmationis?*

Resp. Sunt tres, sublato obice.

Primus, est gratia sanctificans, non quidem prima, saltem per se, sed secunda. Siquidem in hoc Sacramento datur Spiritus Sanctus, qui non potest dari sine infusione gratiæ sanctificantis.

Secundus, est gratia sacramentalis, quæ definitur : gratia habitualis roborativa, annexum jus habens ad gratias actuales necessarias, *ut Christianus audacter Christi nomen confiteatur,* ut ait Florent. in Decreto.

Tertius, est character indelebilis, quo baptizatus adscribitur in militiam Christi; unde in eadem persona iterari non potest, ut fide constat ex Trident[1].

Dices : Confirmatio est manus impositio; sed ex variis Conciliis et Patribus, manus impositio iterar potest : ergo, etc.

Resp. *Dist. min.* Manus impositio reconciliatoria sæpius iterari potest, *conc.;* confirmatoria, *nego min.* Concilia autem loquuntur de manus impositione, quæ mera est cæremonia Ecclesiæ, per quam ab hæresi redeuntes cum Ecclesia olim reconciliabantur; de hoc loquitur Div. August., cum dicit[2] : *Quid aliud est manus impositio, quam oratio supra hominem?*

Inst. Atqui Concilia loquuntur de manus impositione confirmatoria : ergo, etc.

Prob. ant. Ex Concil. Generali II, in quo dicitur hæreticos recipi in Ecclesiam *signatos, sive unctos primum sancto Chrismate et frontem, et oculos, et nares, et aures, et eos signantes dicimus, signaculum doni Spiritus Sancti.* Atqui

[1] Sess. 7, can. 9. — [2] Lib. III *de Baptism.*

in hoc canone exprimitur materia et forma Confirmationis apud Græcos : ergo loquitur de Confirmatione.

Resp. *Dist. min.* Exprimitur materia et forma, simul et idem effectus, et modus operandi ex opere operato, *nego;* et non idem effectus, nec idem operandi modus, *conc. min.*

Porro, in ritu quo hæretici recipiebantur, erat quidem eadem materia et forma, sed non erat idem effectus, et idem operandi modus : in Confirmatione datur Spiritus Sanctus ad robur, ut Christianus audacter Christi nomen confiteatur. In reconciliatione hæreticorum, datur Spiritus Sanctus ad pacem cum Ecclesia conciliandam, et fidem firmius tenendam, ut constat ex Div. Cypriano, Epist. 74 : *Nos quoque hodie observamus,* inquit, *ut quos constet hic baptizatos esse, et a nobis ad hæreticos transiisse, si postmodum, peccato suo cognito et errore digesto, ad veritatem et matricem redeant, satis sit in pœnitentiam manum imponere, ut hanc ovem abalienatam in ovile suum Pastor recipiat.* In Confirmatione effectus producitur ex opere operato ; in reconciliatione hæreticorum, producitur ex opere operantis.

Quæres 2. *Quænam sint Confirmationis cæremoniæ, et quid significent?*

Resp. Sunt sex, quarum duæ præcedunt, tres concomitantur, et una subsequitur Confirmationem.

Prima, est adhibitio patrini, qui sit baptizatus et confirmatus, ut recens baptizatos præsentet Episcopo, ipsosque erudiat in pugna spirituali. Perantiqua est illa praxis, de qua fit mentio in Sacramentario S. Gregorii et Ordine Romano.

Secunda, est mutatio nominis, si sit turpe vel ridiculum, ut Christianus perfectionem attingens, digno decoretur nomine ; ita Concilia Mediolan. V, Aquense et Tolosanum.

Tertia, est manus impositio, qua Episcopus super confirmandos divinam protectionem implorat.

Quarta, est levis inflictio alapæ in maxilla confirmati

ut meminerit se tanquam athletam paratum esse oportere ad omnia adversa invicto animo pro Christi nomine ferenda, ait Catechism. Roman.

Quinta, est pax quæ datur confirmato, ut intelligat *se gratiæ cœlestis plenitudinem et pacem, quæ exsuperat omnem sensum, consecutum fuisse*, inquit Cathechism. Rom.

Sexta, est circumligatio frontis confirmati fasciola linea per triduum, ut significetur gratiam acceptam conservandam esse diligenter; ita Ordo Roman.

Excipit Synodus Melodunensis, ann. 1579 : *Nisi frontes, præsente Episcopo, eodem panno vel bombyce abstergendæ curentur.*

Nota. Benedictio communis, quæ confirmatis omnibus simul ab Episcopo datur in fine, simplex est cæremonia. *Probabilius* igitur non obligat sub gravi admonitio, ne antea discedatur ab Ecclesia, quam sit impertita.

TRACTATUS DE EUCHARISTIA.

Nota. Cum de fide sit, Eucharistiam esse Sacramentum simul et Sacrificium, illam sub hoc duplici respectu considerabimus duplici parte : 1° prout est Sacramentum; 2° prout est Sacrificium.

PARS PRIMA.

DE EUCHARISTIA PROUT EST SACRAMENTUM.

Quidquid in hac parte dicturi sumus, ad quinque revocatur capita, quorum *primum* erit de sacramento Eucharistiæ in se spectato; *secundum*, de ejus ministris; *tertium*, de subjecto; *quartum*, de ejus usu; *quintum*, de ejus effectibus.

CAPUT I[1]

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ IN SE SPECTATO.

Hic agemus : 1° de natura Eucharistiæ; 2° de ejus materia; 3° de ejus forma; 4° de re in Eucharistia contenta; totuplici articulo.

[1] Quia SS. Eucharistia est veluti compendium omnium Dei mirabilium, juge convivium et spiritualis animæ refectio, sacrificium quoque perpetuum Deo oblatum, ideo quasi centrum est totius Religionis christianæ; variis igitur nominibus convenienter insignitur, secundum varias ejus significationes : 1° habet significationem respectu præteriti, in quantum est rememorativum Dominicæ Passionis, et ideo *sacrificium* nominatur; 2° habet significationem respectu rei præsentis, scilicet ecclesiasticæ unionis et vinculi charitatis, et secundum hoc *communio* et *synaxis* vocatur; 3° habet significationem respectu futuri, in quantum est figurativum Dei fruitionis, quæ est in patria, et secundum hoc nominatur *viaticum*. — Sunt et alia hujus Sacramenti nomina : sic, ratione

Nota. Eucharistia (sic dicta a verbo græco Εὐχαριστέω, quod gratiarum actionem significat, quia per eam maxime Deo gratias agimus) varia sortitur nomina.

1° Dicitur *Communio,* quia per eam Christo capiti et ejus membris fidelibus communicamus.

2° Vocatur *Synaxis,* id est, congregatio, tum quia simul congregati fideles Eucharistiam percipiebant, tum quia in hoc Sacramento tanquam in centro fideles communioni charitatis vinculo colliguntur.

3° Vocatur *Eulogia*, id est, benedictio, quia per benedictionem conficitur.

4° Vocatur *Viaticum,* id est, viæ subsidium, quo nempe muniti viam inimus ad terminum felicitatis æternæ.

5° Vocatur *Liturgia*, id est, sacrum Mysterium, a stupenda, quæ in Missa fit, transsubstantiatione.

6° Vocatur ab Apostolo *Panis,* ab ejus materia *ex qua.*

ARTICULUS I.

DE NATURA, SEU ESSENTIA EUCHARISTIÆ.

Nota. Ut Eucharistiæ naturam accurate discutiamus, videndum est : 1° quænam sit accurata ejus definitio; 2° in quo Eucharistia essentialiter consistat.

materiæ, dicitur Panis vitæ et intellectus, Panis qui de cœlo descendit, Panis Angelorum, etc. Ratione effectus, dicitur Sacramentum gratiæ, Gratia salutaris. Ratione rei contentæ, dicitur Corpus Christi, Corpus Dominicum, etc. Ratione excellentiæ, dicitur Sacramentum Sacramentorum, Mysterium Mysteriorum. Præterea plures sunt figuræ venerabiles hujus Sacramenti : 1° quantum ad id quod est *Sacramentum tantum* (vid. *de Sacram. in gen.*, cap. 1, in *nota*), potissima figura fuit oblatio Melchisedech in pane et vino; 2° quantum ad id quod est *res et Sacramentum,* figuræ fuerunt omnia veteris Testamenti sacrificia; 3° quantum ad id quod est *res tantum*, seu respective ad refectionem spiritualem, manna fuit ejus præcipua figura. Si vero hæc tria simul collective considerentur, figura hujus Sacramenti fuit Agnus paschalis, in quo tria sunt præcipue consideranda, quæ divina cum Eucharistia similitudinem habent. Fuit enim cibus, hostia immolata, et ejus sanguine protecti sunt filii Israel ab Angelo devastante, et de servitute Ægyptiaca educti (Vid. S. Thom., p. 3, art. 6).

CONCLUSIO I.

Eucharistia recte definitur : *Sacramentum novæ Legis a Christo Domino institutum ad spiritualem animæ refectionem, in quo Corpus et Sanguis ejus vere, realiter et substantialiter sub speciebus panis et vini continentur.*

Prob. et explicatur definitio.

Dicitur 1° *Sacramentum novæ Legis;* est enim signum sacrum, sensibile per species panis et vini, gratiæ invisibilis, spiritualis scilicet refectionis, juxta illud : *Qui manducat meam Carnem et bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam* [1]; *a Christo permanenter institutum,* juxta illud : *Hoc facite in meam commemorationem.*

Dicitur 2° *ad spiritualem animæ refectionem :* quibus verbis effectus Eucharistiæ, nempe spiritualis refectio, designatur.

Dicitur 3° *in quo Corpus et Sanguis Christi vere, realiter, ac substantialiter continentur :* quibus verbis essentialis denotatur differentia Eucharistiæ ab aliis Sacramentis; alia enim Sacramenta continent gratiam Dei; Eucharistia vero continet Christum substantialiter præsentem : alia Sacramenta in actione fluente consistunt; Eucharistia vero in re fixa et permanente.

Hinc istæ particulæ : *vere, realiter, et substantialiter,* quas usurpavit Concil. Trident. [2], non sunt hic pure synonyma, sed totidem perversis Novatorum interpretationibus refellendis opponuntur.

Particula *vere* excludit præsentiam per figuram et imaginem.

Particula *realiter* excludit præsentiam tantum per fidem.

Particula *substantialiter* excludit præsentiam tantum per virtutem a Christo diffusam.

[1] Joan. VI, 55. — [2] Sess. 13, cap. 2.

Dicitur 4° *sub speciebus panis et vini*, quæ existunt sine substantia et subjecto, et habent rationem signi.

Notandum 1° quod in omnibus Sacramentis tria distinguuntur, nempe Sacramentum tantum, res tantum, et Sacramentum et res. *Sacramentum* tantum est illud quod significat. *Res* tantum est illud quod significatur. *Sacramentum et Res* simul, est illud quod significatur ab uno et significat aliud.

In hoc venerabili Sacramento, *Sacramentum* tantum sunt species consecratæ, quæ significant animæ refectionem. *Res* tantum, est ipsa refectio. *Sacramentum et Res* simul, est Corpus Christi quod significatur a speciebus, et gratiam significat [1].

Notandum 2° in Sacramento Eucharistiæ tria iterum considerari possunt : 1° consecratio ; 2° species consecratæ seu species panis et vini, Corpus et Sanguis Christi; 3° sumptio specierum. Primum et tertium dicuntur actiones transeuntes ; secundum vero sunt res permanentes. Hinc quæritur in quo scilicet ex his consistat Sacramentum; utrum statim post consecrationem, sit præsens Corpus Christi sub speciebus independenter ab usu et sumptione, consequenter an Sacramentum consistat in re permanente et non in actione transeunte? Negant Sacramentarii, qui Christum solum in figura, aut signo, aut virtute in Sacramento præsentem esse contendunt, sed maxime Lutherani asserentes Christum non esse in Eucharistia nisi in usu et sumptione, ex quo inferunt hostiis reservatis nullum cultum esse exhibendum ; contra quos omnes sit

CONCLUSIO II.

Sacramentum Eucharistiæ non consistit in usu et sumptione, sed in re permanente.

Est definitum a Concil. Trident. contra Lutheranos et Calvinistas, his terminis [2] : *Si quis dixerit, peracta conse-*

[1] Vid. tract. *de Sacram. in genere*, cap. 1. — [2] Sess. 13, cap. 4.

cratione, in admirabili Eucharistiæ sacramento non esse Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post, et in Hostiis seu Particulis consecratis quæ post Communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum Corpus Domini, anathema sit.

Prob. 1. *Ex facto Christi* qui, instituens Eucharistiam, prius protulit verba consecratoria : *Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus*, quam Corpus ad manducandum et Sanguinem ad bibendum Apostolis porrexerit : atqui verba Christi vera et efficacia fuerunt eo instanti quo prolata sunt : ergo ante actualem usum et manducationem fuit sub speciebus verum Corpus et verus Sanguis Christi, ideoque verum Sacramentum. Ergo Sacramentum Eucharistiæ consistit in re permanente.

Verum quidem est sumptionem necessariam esse ad effectum Sacramenti percipiendum, non autem ad veritatem realis præsentiæ comprobandam.

Prob. 2. *Ex perpetua Ecclesiæ praxi et traditione,* secundum quam ab ipso tempore Apostolorum

1° Eucharistia, peractis mysteriis, per Diaconos ad absentes mittebatur, ut refert Justinus, Apostolorum coævus[1].

2° Fideles Eucharistiam in domos suas deferebant, ut eam tempore opportuno sumerent : ita testantur Tertull. et S. Cyprianus, dicens[2] : *Cum quædam arcam suam, in qua Domini sanctum fuit, manibus, indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere.* Et Div. Basilius, Epist. 289 *ad Cæsariam patriciam : Quoniam,* inquit, *per tempora illa persecutione cogebantur homines necessario, sacerdote vel ministro non præsente, propriis manibus percipere communionem, non est nisi supervacaneum ut demonstrem illam ipsam rem non esse graviter et inique ferendam, eo quod inveterata consuetudo hoc ipsum re ipsa confirmatum dederit... Alexandriæ*

[1] Apologia secund. — [2] Tertull., lib. II *ad Uxor.*; Cypr., serm. *de Lapsis.*

autem, et per Ægyptum unusquisque etiam de plebe, ut plurimum, habet domi suæ communionem.

3° Eucharistia ad ægrotantes deferebatur, ut ostendit celebre factum quod refert Eusebius[1], nimirum a Sacerdote ægrotante per puerum missam esse Eucharistiæ particulam ad Serapionem quemdam senem in extremis positum, quam cum de manu pueri sumpsisset, senex statim animam exhalavit. Item ex S. Ambrosio, in oratione funebri fratris sui S. Satyri.

4° Asservabatur in templis, ut testantur pastophoria, ciboria, columbæ, turriculæ aureæ vel argenteæ, in templis suspensæ.

5° Hujus veritatis testis est praxis immemorabilis utriusque Ecclesiæ Orientalis et Occidentalis *Missæ præsanctificatorum*, in Orientali quidem per totam Quadragesimam, in Occidentali vero in Parasceve; in hac enim Missa Eucharistia sumitur diebus pæcedentibus consecrata. Id Calvinus[2] admittere coactus scribit : *Qui sic faciunt, habent veteris Ecclesiæ exemplum, fateor; verum in re tanta, nihil tutius est quam veritatem sequi*, quasi quæ retro sæculis impervia, in Calvinum tandem e sublime dilapsa fuisset!

Suffragatur ratio. 1° Quidem, quia sacramentum Eucharistiæ institutum est per modum cibi spiritualis animæ: ergo sicut cibus corporalis est quid existens habetque vim nutriendi independenter ab usu, sic Eucharistia est quid præexistens et permanens, habetque ante susceptionem vim nutriendi, etc. 2° Res ordinata ad usum, non est ipse usus; sic res visibilis non est visio, sic panis non est comestio : ergo similiter. 3° Ex *absurdis*. Etenim, si usus esset de essentia Sacramenti, sequeretur quod recipientes essent ministri Sacramenti. — *Item*, si Sacramentum consisteret in usu, sequeretur interdum esse Sacramentum et non esse, v. gr. si minister hostiam consecraret et reipsa ab eo non

[1] Lib. VI *Histor.*, cap. 44. — [2] *Institut.*, lib. IV, cap. 17, § 39.

reciperetur ob repentinam mortem supervenientem; hæc autem sunt absurda[1] : ergo, etc.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Omnia alia Sacramenta in actione transeunte consistunt : ergo et Eucharistia.

RESP. *Nego conseq.* Disparitatem ex Traditione et Concil. Trident. definitione colligimus, ex quibus perspectum habemus Eucharistiam esse rem permanentem : ergo intrinsece constitui debet re permanente et non transeunte, qualis est ipsa manducatio. Præterea, in his quæ ex mera Christi libertate pendent, non valet conclusio unius ex alio. Aliunde, Sacramenta alia consistunt in applicatione formæ et materiæ ad subjectum quod instrumentaliter sanctificant; sacramentum vero Eucharistiæ consistit in applicatione formæ ad materiam quam consecrat, et ideo continet in se aliquid sacrum, scilicet Corpus Christi, quod sic tale est independenter ab hominis sanctificatione.

OBJICIES 2. Omne Sacramentum debet esse signum gratiæ sanctificantis; atqui Eucharistia non est signum gratiæ, nisi in actuali manducatione : ergo, etc.

RESP. *Nego min.* Nam Corpus Christi sub speciebus panis existens, habet rationem spiritualis refectionis, seu gratiam sanctificantem nutritivam.

INST. Omne Sacramentum constat rebus tanquam materia, et verbis tanquam forma; atqui Eucharistia in facto esse non constat verbis : ergo non est Sacramentum.

RESP. *Dist. maj.* Omne Sacramentum in fieri constat

[1] *Conf.*, S. Irenæum, epist. *ad Victorem papam,* apud Euseb., lib. v *Histor.*, cap. 24, et lib. VI, cap. 36; S. Ambros., *Oration. funebr. pro fratre suo Satyro;* S. Chrysostom., epist. *ad Innocent. papam;* S. Cyrillum Alex., epist. *ad Colosyrium;* S. Hieronym., epist. VI *ad Rusticum,* in qua laudat Episcopum Exuperium, qui, propter paupertatem voluntariam, Corpus Domini in canistro portabat, dicens : *Nihil illo ditius qui Corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat vitro.* Conf. etiam Pellicia, *De Ecclesiæ politia,* tom. III, dissert. 1.

rebus et verbis, *conc.;* in facto esse, *nego maj.* et, concessa min., *dist. conseq.*, etc.; hic autem loquimur de Sacramento in facto esse, quod, licet extrinsece sit confectum verbis consecratoriis, tamen intrinsece non componitur verbis, sed, ut infra dicemus, Corpore et Sanguine Christi.

Objicies 3. Juxta multa Ecclesiarum monumenta, quæ post mysteriorum celebrationem residua erant fragmenta, consumebantur a Clericis, vel dabantur pueris innocentibus consumenda : ergo in primitiva Ecclesia Eucharistia non fuit asservata.

Resp. *Nego conseq.* Ea enim quæ proponit objectio, non pugnant cum asservatione Eucharistiæ; equidem juxta primitivæ Ecclesiæ disciplinam, quæ supererant fragmenta consumebantur, sed ea parte seposita, quæ in sacrario pro infirmis asservabatur, ut constat ex iisdem monumentis.

Nota. Certum itaque est de fide Eucharistiam consistere in re permanente, sed in assignanda præcise illa re, discordia est inter Theologos, quæ ut dirimatur, sit

CONCLUSIO III.

Eucharistia non consistit essentialiter in consecratione, neque in solis speciebus, neque in solo Corpore et Sanguine Christi; sed consistit essentialiter et adæquate in speciebus simul et Corpore ac Sanguine Christi. (Videtur probabilior contra Gonet, Soto, Salmant., etc.)

Prob. Prop. per partes.

1° *Eucharistia non consistit essentialiter in consecratione,* quia res fixa et permanens, qualis est Eucharistia, non potest essentialiter consistere in re fluente et transeunte; atqui consecratio posita est in verbis quæ fluunt et transeunt. Ergo, etc.

2° *Non consistit in solis speciebus;* quia Eucharistiæ sacramentum gratiam confert, adoratur a fidelibus, perficitur

a ministris; atqui solæ species non producunt gratiam, non adorantur a fidelibus, non perficiuntur a ministris per certa verba. Ergo, etc.

3° *Non consistit in solo Corpore et Sanguine Christi;* nam de essentia Sacramenti est, quod sit aliquid sensibile; atqui corpus et sanguis Christi non sunt sensibilia. Ergo, etc.

Restat ergo dicendum cum Div. Thom.[1], *ex speciebus et Corpore Christi fieri unum Sacramentum.* Omnes siquidem veri Sacramenti conditiones complexo ex speciebus et Corpore Christi apprime conveniunt, est enim signum sensibile gratiæ invisibilis. Ita Busemb., Suarez, Collet, Vasq., Concin., etc.

OBJECTIONES.

OBJICIES *contra primam partem.* Forma est de essentia rei; atqui consecratio, sive verba consecratoria sunt forma Eucharistiæ : ergo, etc.

RESP. *Dist. maj.* Forma intrinsece componens, seu informans, *conc.;* forma extrinsece conficiens, *nego maj.;* atqui verba consecratoria sunt forma extrinsece conficiens, *conc.;* informans, *nego min. et conseq.*

SUBSUMO. Atqui verba consecratoria sunt forma informans.

Prob. subsumpt. Quod determinat species ad significandam gratiam, est forma informans; atqui verba consecratoria determinant species ad significandam gratiam. Ergo, etc.

RESP. *Dist. maj.* Quod determinat species formaliter, id est, velut formalitas intrinseca, qua Sacramentum in se constat, *conc.;* quod determinat efficienter, velut causa significationis, *nego maj.*, et sic *distincta min.*, nego conseq. Verba ergo consecratoria sunt quidem causa efficiens Sacramenti, sed non ipsum Sacramentum.

[1] In 4, dist. 7, art. 2, ad 2.

Objicies *contra secundam partem.* Solæ species sunt Sacramentum Eucharistiæ : ergo, etc.

Prob. ant. Innocent. III[1] tria distinguit in Eucharistia, nempe Sacramentum tantum, res Sacramenti tantum, Sacramentum et res Sacramenti simul, additque species esse Sacramentum tantum : ergo Eucharistia consistit in solis speciebus.

Resp. *Dist. ant.* Species sunt Sacramentum tantum, sumendo nomen *Sacramentum,* inadæquate, pro eo præcise quod significat, *conc.;* pro eo quod significat simul et significatur, *nego ant.;* sic enim sumptum Sacramentum, est Corpus et Sanguis Christi sub speciebus contenta, cum ipsa sint simul gratia et ipsam significent atque producant.

Inst. 1. Concil. Trident.[2] ait Corpus et Sanguinem Christi contineri in Eucharistiæ sacramento : ergo supponit rationem Sacramenti contineri in solis speciebus.

Resp. *Dist. ant.* In Sacramento inadæquate sumpto, *conc.;* in Sacramento adæquate sumpto, *nego ant.* Corpus enim et Sanguis Christi sunt in sacramento Eucharistiæ non tanquam locatum in loco, sed tanquam pars in toto, prout anima est in homine.

Inst. 2. Sacramentum est signum corporis Christi; sed corpus Christi non est signum sui ipsius : ergo corpus Christi non est pars Sacramenti.

Resp. *Dist. maj.* Sacramentum inadæquate sumptum, nempe pro speciebus, est signum corporis Christi, *conc.;* adæquate, *nego maj.* Nam Sacramentum adæquate sumptum significat corpus Christi et gratiam sanctificantem : primum significat per species; secundum significat per Corpus Christi sub speciebus.

Inst. 3. Quælibet pars essentialis Sacramenti debet esse sensibilis; atqui corpus Christi non est sensibile : ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Pars Sacramenti debet esse sensibilis vel per se, vel saltem per aliud, *conc.;* semper per se,

[1] Cap. *Cum Marthæ, de celebr. Missar.* — [2] Sess. 13, can. 1.

nego maj.; corpus autem Christi fit sensibile per species exteriores, sub quibus continetur, quod sufficit ut sit pars Sacramenti.

Objicies *contra tertiam partem.* Sacramentum Eucharistiæ consistit in solo Corpore et Sanguine Christi : ergo, etc.

Prob. ant. Corpus et Sanguis Christi sola reficiunt animam : ergo, etc.

Resp. *Nego conseq.* Non enim sufficit ad essentiam Sacramenti quod sit refectio animæ, sed insuper requiritur quod sit signum sensibile per species.

Resolves : Materiam proximam Eucharistiæ in facto esse, species esse eucharisticas, formam vero esse ipsummet Corpus Christi sub speciebus; materia siquidem et forma Sacramenti permanentis debent esse permanentes : nulla autem assignari potest alia materia permanens, quam species quæ de se sunt indeterminatæ ad refectionem spiritualem significandam; nec ulla alia forma quam ipsummet Corpus Christi, species ad spiritualem refectionem significandam determinans : circa quod,

Quæres : *An sacramentum Eucharistiæ sit unum?*

Ratio dubitandi est, quia constat signis specie diversis.

Nota. Sacramentum Eucharistiæ considerari potest vel *materialiter,* id est, in suo esse physico; vel *formaliter,* id est, in suo genere morali sub ratione specifica Sacramenti.

Extra dubium est sacramentum Eucharistiæ multiplex esse *materialiter,* cum pluralitas et diversitas sit materiæ et formæ. In hoc sensu Ecclesia in Collecta Missæ dicit in numero plurali : *Purificent nos, Domine, Sacramenta quæ sumpsimus.* Tota igitur quæstio est de unitate Sacramenti *sub ratione specifica* Sacramenti, id est in suo *esse morali.*

Resp. Sacramentum Eucharistiæ est unum specie, quod numero multiplicari potest. Prima pars est contra Bellarm., etc.

Prob. prima pars. Quia formalis et specifica unitas vel multiplicitas alicujus Sacramenti repetenda est ex unitate

vel multiplicitate gratiæ sacramentalis; atqui sacramentum Eucharistiæ, licét duabus constans speciebus, unicam confert gratiam sacramentalem, refectionem scilicet spiritualem : ergo sacramentum Eucharistiæ est unum specie.

Prob. secunda pars. In sacramento Eucharistiæ sunt plures species seorsim sumibiles et ordinabiles ad plures refectiones spirituales : ergo sacramentum Eucharistiæ potest numero multiplicari[1]. Ita S. Thom., S. Ligor., Salmant., etc.

Dices *contra primam partem.* Species panis et species vini habent significationem sacramentalem diversam : ergo constituunt Sacramenta specie diversa.

Resp. *Dist. ant.* Habent significationem diversam quoad modum significandi, *conc.;* quoad rem significatam, *nego ant.;* eumdem enim effectum sacramentalem significant, nempe refectionem animæ spiritualem, unde sunt unicum specie Sacramentum.

Inst. Refectio facta per cibum spiritualem diversa est specie a refectione facta per potum spiritualem : ergo species panis et vini habent significationem realem diversam. Resp. *Nego ant.*

Prob. ant. Refectio facta per cibum corporalem diversa est specie a refectione facta per potum corporalem : ergo.

Resp. *Dist. conseq.* Disparitas est, quia substantia cibi corporalis specie diversa est a substantia potus corporalis, ac proinde producunt effectus specie diversos; at in Eucharistia cibus et potus spiritualis sunt una eademque res, licet

[1] Numerus sumitur ex multiplicitate sumptionum; unde si una species, vel una hostia distribuitur pluribus, vel eidem personæ in diversis vicibus moraliter distinctis, diversa sunt numero Sacramenta. E converso, si alicui eodem tempore ministrarentur ambæ species, vel plures partes ejusdem speciei, unum esset Sacramentum. Sic pariter, si diversæ species consecratæ eodem tempore, et in eodem altari proponuntur, unum erit Sacramentum; si vero eædem species dividuntur, et in diversis proponuntur altaribus, diversa sunt Sacramenta (S. Ligor., lib. VI, num. 191).

diversimode significata, nempe Christus, qui sub utraque specie animam eodem modo reficit.

ARTICULUS II.

DE MATERIA EUCHARISTIÆ EX QUA.

Nota. Sicut in aliis Sacramentis, duplex est materia Eucharistiæ, proxima et remota, sed ordine inverso, siquidem in aliis materia remota est permanens, v. gr. oleum in unctione, aqua in Baptismo, etc., proxima vero ejus usus; unde dicuntur transeuntia. Hic vero remota transit et proxima manet, ideo dicitur permanens.

Cum duplex sit Eucharistiæ materia, una pro consecrando corpore, altera pro consecrando sanguine, de utraque distinctis agemus paragraphis.

§ I.

De materia ex qua conficitur corpus Christi.

Nota. Circa materiam hujus Sacramenti multipliciter erratum est, ut refert Div. Thom.[1]; et primum, *quoad panem*, quidam qui dicuntur *Artolyritæ* ex S. Epiphan.[2], et S. August.[3], conficiebant Eucharistiam in pane et caseo. — *Cataphrygæ* et *Pepusiani* ex eodem Epiphan.[4], in pane ex farina et sanguine infantis quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extrahebant, Eucharistiam conficiebant, vel infantem abortivum in mortario contundebant, cui diversa aromata admiscentes, ex illa massa carnea suum pascha, ut dicebant, perficiebant. — *Gnostici*, quorum errores pro pudore tacet S. Thomas. Hi enim in pane semine humano comperso corpus Christi conficiebant, ex eodem S. Epiphan., et id narrat August.[5]. — *Ophitæ*, qui teste August.[6], apud Suarez, colubrum alebant juxta altare,

[1] 3 p., quæst. 64, art. 1. — [2] *Hæres.* 49. — [3] Lib. *de Hæres.*, cap. 28. — [4] *Hæres.* 48 et 49. — [5] Cap. 46 *de Manichæis.* — [6] Ibid., cap. 47.

qui per incantationem sacerdotis, sacrificii tempore egrediebatur et panem lambebat in quo Eucharistia conficiebatur. — *Quantum ad vinum,* non pauciores fuerunt errores. Solam aquam adhibebant, quidam quidem sub specie sobrietatis, et vocabantur *Hydroparastatæ* seu aquarii, quidam vero, *Manichæi* scilicet, *Eucratitæ, Ebionitæ,* eo quod vinum a malo principio procedens existimarentur : quidam autem ex metu persecutionis, ne se odore vini detegerentur. Hæc passim narrantur apud SS. Patres et Eccl. Hist.[1] — Alii lac pro vino adhibebant, vel lac et mel aut uvas integras offerebant.

Tria vero hic nobis sunt resolvenda : *primum,* utrum panis triticeus sit materia necessaria Eucharistiæ; *secundum,* utrum panis debeat esse azymus vel fermentatus; *tertium,* utrum Christus in azymo consecraverit. Ideo sit

CONCLUSIO I.

Solus panis triticeus est materia necessaria Eucharistiæ.

Prob. Materia qua Christus usus est cum primum Eucharistiam instituit, et qua uti Sacerdotes jussit, est materia ex qua conficiendum est corpus Christi; atqui panis triticeus est materia qua Christus usus est, juxta illud : *Accepit Jesus panem*[2], et qua uti Sacerdotes jussit his verbis : *Hoc facite in meam commemorationem :* ergo, etc.

Prob. min. Panis simpliciter et sine addito est panis triticeus, cæteri enim panes sunt tantum analogice panes, quatenus defectum panis triticei supplent : unde non dicuntur panes, nisi cum addito, v. gr. *panis hordeaceus, panis ex fabis,* etc.; atqui Christus usus est pane simpliciter et sine addito. Ergo, etc.

Confirmatur. Ex decreto Eugenii in Concil. Florent., in quo dicitur : *Tertium est Eucharistiæ sacramentum, cujus materia est panis triticeus et vinum de vite;* atqui *vinum*

[1] *Conf.* R. P. Perrone. — [2] Luc. XXII, 39.

de vite est materia absolute necessaria, ut nemo dubitat : ergo et panis triticeus.

Porro, panis ille triticeus debet macerari ex aqua pura et naturali, et concoqui ad ignem ; quia sic conficitur panis usualis et simpliciter dictus.

Resolves 1. Invalidam esse consecrationem in pane ex spelta, hordeo, millio, fabis, pisis, amygdalis, castaneis, farre, avena aliisque leguminibus et arborum fructibus. — Item massa triticea cruda, vel non cocta per modum panis, sed frixa in sartagine, sive sole torrida, vel elixa, ut sunt placenta, libum, sive differant specie, sive non. — Item panis vere triticeus, sed substantialiter corruptus, id est, cum tanta sit corruptio panis, ut non salvetur hujus species, sicut quando continuitas solvitur, et sapor, color, aliave accidentia mutantur.

Resolves 2. Dubium esse consecrationem in pane quidem triticeo, sed subacto aquis artificialibus vel oleo vel butyro, lacte, ovis, sacharo, aliove liquore qui aqua naturali non sit mixtus. — *Item,* in hostiis mixtis quibus sigillantur litteræ, quia per mixtionem cinnabaris (cinabré) forsan notabiliter alterantur. — Quoad secale, aliqui putant esse materiam propriam Eucharistiæ, dicentes non differre specie a tritico, sed esse triticum inferius. Tamen dicendum esse materiam dubiam, quam absque peccato mortali non licet adhibere[1].

Resolves 3. Validam, sed illicitam esse consecrationem 1° si fiat materiæ modica admixtio alterius frumenti vel alterius liquoris cum tritico et aqua, ita ut triticum et aqua prædominent.

2° Si fiat in pane mucido qui ad corruptionem disponitur, etc.

[1] Vide S. Ligor., lib. VI, num. 198 et seqq.

CONCLUSIO II.

Ad consecrationis validitatem perinde est, sive panis azymus sit, sive fermentatus. — Est contra Græcos schismaticos præsertim Michaelem Cerullarium.

Prob. 1. Quia ita definitum fuit in Concil. Florent. contra Græcos schismaticos[1], consentientibus pariter Græcis et Latinis : *Definimus,* aiunt hujus Concilii Patres, *in azymo, sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici; Sacerdotesque in alterutro ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet, juxta suæ Ecclesiæ Orientalis, sive Occidentalis consuetudinem.*

Prob. 2. *Ratione.* Quia ad consecrationis validitatem sufficit panis verus et simpliciter dictus; atqui uterque panis est verus et simpliciter dictus panis ex farina triticea, aqua naturali subacta, et ad ignem cocta : ergo, etc.

Dices : Christus consecravit in fermentato tantum, vel in azymo tantum : ergo alteruter est necessitate Sacramenti adhibendus.

Resp. *Nego conseq.* Nam panis azymus et fermentatus non differunt nisi accidentaliter, quomodo vinum album differt a rubro; Christus autem non attendit ad qualitates accidentales panis et vini.

Itaque neque Latini propter azymum, neque Græci propter fermentatum quo utuntur, culpandi sunt; siquidem,

Circa materiam hujus Sacramenti, inquit Div. Thomas[2], duo possunt considerari, scilicet quid sit necessarium, et quid conveniens. Necessarium quidem est ut sit panis triticeus, sicut dictum est supra. Non est autem de necessitate Sacramenti, quod sit azimus vel fermentatus. Conveniens autem est ut unusquisque servet ritum suæ Ecclesiæ in Sacramenti celebratione.

[1] Auctor fuit Michael Cerullarius, patriarcha Constantinop. — [2] 3 part., quæst. 74, art. 4.

Igitur, laudabilis est Græcorum ritus propter rationes in secunda sequenti quæstiuncula subjectas; sed laudabilior est Latinorum ritus, maximè propter institutionem Christi, qui in azimis hoc Sacramentum instituit; quod ut probetur, sit

CONCLUSIO III.

Christus in azymo consecravit. Est contra Græcos docentes Christum, eo anno quo mortuus est, anticipasse uno die esum agni Paschalis, eumque comedisse non quartadecima, sed tertiadecima die mensis, quo die licebat vesci pane fermentato. Contra quos

PROP. PROB. Christus instituit Eucharistiam primo die azymorum, juxta illud Marc. XIV : *Primo die azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli : quo vis eamus et paremus tibi ut manduces Pascha... et paraverunt Pascha. Vespere autem facto, venit* (Jesus) *cum duodecim, et, manducantibus illis, accepit Jesus panem, et benedicens fregit, et dedit eis, et ait : Sumite, hoc est corpus meum.* Atqui, a prima vespera primi diei azymorum usque ad septimum diem, nullo modo licebat Judæis uti pane fermentato, imo nec ullibi retinere, ut patet *Exod.* XII, ubi dicitur : *Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris.* Ergo Christus (cum fuerit Legis observantissimus, ut testatur Matth. V : *Non veni solvere Legem, sed adimplere. Amen quippe dico vobis... iota unum aut unus apex non præteribit a Lege donec omnia fiant*) celebravit in azymo.

Hoc argumento Leo Papa IX usus est adversus Michaelem Cerullarium : *Qui non venerat solvere Legem,* inquit, *sed adimplere, juxta ipsius Legis præscriptum, ex azymis et vino vetus Pascha adimplevit, et protinus ex azymis et vino novum* (sicut aperte Lucas narrat) *discipulis tradidit.*

OBJECTIONES.

Objicies. Christus eo anno quo mortuus est, anticipavit tempus celebrandi Pascha : ergo, etc. Resp. *Nego ant.*

Prob. ant. Christus ultimam cœnam celebravit *ante diem festum Paschæ*[1] : ergo anticipavit, etc.

Resp. *Dist. ant.* Christus celebravit ultimam cœnam ante diem festum Paschæ naturalem, *conc.;* ante diem festum Paschæ legalem seu cæremonialem, *nego ant. et conseq.*

Itaque apud Judæos *dies naturalis incipiebat ab ortu solis usque ad occasum, et eo anno incidebat in diem Veneris; dies vero legalis seu cæremonialis incipiebat a vespera diei præcedentis, et desinebat in vesperam diei sequentis,* juxta illud Levit. xxiii : *A vespera usque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra.* Christus celebravit ultimam cœnam die 14 mensis primi ad vesperam, quo tempore inchoabatur festum Paschatis et Azymorum; eratque privilegium solemnitatis, quæ quinta decima die celebrabatur quantum ad feriationem ab omni opere, sicut Ecclesiastico ritu, festi dies a primis vesperis incipiunt, et tamen solemnitas diei naturali, qui ab ortu solis incipit, assignatur. Ergo celebravit ante diem Paschæ naturalem, qui incipiebat decima quinta die[2].

Inst. 1. Parasceve alicujus festi, festum haud dubie antecedit; atqui Christus dicitur crucifixus Parasceve Paschæ, *Erat autem Parasceve Paschæ, hora quasi sexta.* Ergo Christus, eo anno quo mortuus est, tempus celebrandi Pascha antecessit.

Resp. *Dist. min.* Christus dicitur crucifixus in Parasceve Paschæ, id est, in Parasceve Sabbati occurrentis in solemnitate Paschatis et Azymorum, *conc.;* id est, in Parasceve ipsius festi Paschatis, *nego min.* Seipsum exponit Div. Joannes versu sequenti, dicens : *Judæi quoniam Parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora Sabbato, erat*

[1] Joan. xiii, 1. — [2] Num. xxviii, 16.

enim magnus dies ille Sabbati (eo quod occurreret in solemnitate Paschali), *rogaverunt Pilatum*, etc. Unde Marcus XV ait : *Erat Parasceve, quod est ante Sabbatum.* Deinde solum Sabbatum habebat Parasceven; quia in eo non tantum omne opus servile erat prohibitum, sed nec licebat ea præparare quæ ad victum necessaria erant; e contra in aliis festis etiam in solemnitate Paschali, licet omne opus servile fuerit prohibitum, tamen licebat ea præparare quæ ad victum erant necessaria, ut colligitur Exod. XII : *Nihil operis facietis in eis* (diebus Azymorum), *exceptis his quæ ad vescendum pertinent.*

INST. 2. Christus non est mortuus in die solemni Paschæ; nam *dicebant* (Judæi) : *non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.* Ergo mortuus est ante diem festum Paschæ cæremonialem.

RESP. *Nego ant.* Textus enim intelligitur de quibusdam Judæis qui, ob metum tumultus, in ea fuerunt sententia; sed prævaluere suffragia, quibus deliberatum est non prætermittendam esse occasionem Jesum capiendi et occidendi, violatis omnibus nuturalis æquitatis et religionis juribus.

INST. 3. Dies Veneris, qua Christus mortuus est, est Paschæ pervigilium, juxta illud Joann. XVIII : *Erat autem mane; et ipsi* (Judæi) *non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha :* ergo Christus non est mortuus in die solemni Paschæ.

RESP. *Nego conseq.* Nam Div. Joannes eo loco, nomine *Paschæ,* non intelligit manducationem agni Paschalis, qui debebat manducari luna quarta decima ad vesperam, sed victimas quæ per septem dies azymorum ex præscripto legis offerebantur, quæ vocabantur *phase*, id est *Pascha : immolabis phase Domino tuo de ovibus et de bobus.*

QUÆRES 1. *An semper constans fuerit usus fermenti in Oriente et azymi in Occidente?*

RESP. Variæ sunt hac de re Theologorum ac eruditorum sententiæ.

1° Existimat S. Thomas[1] Apostolos celebrasse in azymo ad exemplum Christi; quem morem retinuit utraque Ecclesia Latina et Greca usque ad hæresim Ebionitarum, in cujus protestationem voluerunt SS Patres ad tempus in fermentato consecrari; postea, cessante illa hæresi, Ecclesia Romana rediit ad pristinum morem, præcipiente Alexandro I[2], Græcis fermentatum retinentibus.

2° Docent alii cum Sirmundo[3], Ecclesiam Latinam in solo fermentato consecrasse per novem priora Ecclesiæ sæcula; post vero exortum schisma Photii, sæculo IX, usum azymi cœpisse.

3° Alii cum doctissimo Mabillonio[4], contendunt azymo pane ab Apostolicis temporibus Ecclesiam Latinam perpetuo usam fuisse.

4° Cardinalis Bona aliique recentiores sentiunt olim indifferenter adhibitum fuisse azymum et fermentatum in Ecclesia occidentali, decimo vero sæculo incipiente, panem azymum solum communi lege fuisse receptum.

Ex his patet Christum, licet in azymo consecraverit, non tamen præceptum dedisse, ut in solo pane azymo consecraretur, sed hoc inter disciplinares leges ab Ecclesia moderandum reliquisse.

Quæres 2. *Quænam consuetudo Orientalis, scilicet et Occidentalis, sit rationabilior?*

Resp. Utraque consuetudo aliquibus nititur fundamentis, sed Occidentalis Ecclesiæ rationabilior est usus.

Ratio *primi* est: 1° quia Græci celebrant in fermentato ad significandum Verbum Patris indutum carne, sicut fermentum miscetur farinæ; 2° quia execrari contendunt errorem Nazareorum et Ebionitarum, qui legalia Evangelio miscebant; 3° quia fermentum reddens panem sapidiorem, expressius designat charitatis ardorem et suavitatem in hoc Sacramento latitantes.

[1] In 4, dist. 11, quæst. 2, art. 2, quæstiunc. 3. — [2] Circa ann. 131. — [3] Opus: *Disquisitio de azymo inter ejus opera.* — [4] Dissert. *de pane Eucharistico,* etc.

Ratio *secundi* est : 1° quia conformius est exemplo Christi ; 2° quia Eucharistia non tam est Sacramentum divinitatis Christi, quam ejus corporis sine corruptione concepti, quod suapte significatur per panem azymum ; 3° quia azymus magis exprimit sinceritatem fidelium quæ requiritur in usu hujus Sacramenti, juxta illud[1] : *Pascha nostrum immolatus est Christus : itaque epulemur in azymo sinceritatis et veritatis.*

Quæres 3. *An Latinus sacerdos possit indifferenter consecrare in fermentato, et Græcus in azymo?*

Resp. 1. Ex Concilio Florentino, *sacerdotes in alterutro ipsum Domini Corpus conficere debere, juxta suæ Ecclesiæ sive Orientalis, sive Occidentalis consuetudinem.* Et ideo communiter sentiunt DD. quod si apud Græcos inveniatur Ecclesia Latinorum in qua Latinus usus servatur, sacerdos Latinus debeat consecrare in azymo, et vice versa.

Quam regulam innovant Bened. XIV[2] et Pius V[3] : *Sub indignationis nostræ,* inquit, *ac perpetuæ suspensionis a divinis pœnis.*

Resp. 2. Si Latinus sacerdos transit per loca græca (et vice versa), ubi non est Ecclesia ritus Ecclesiæ suæ, potest consecrare sive in azymo, sive in fermentato. Ratio *primi,* quia, juxta regulam S. August.[4] : *Nec disciplina ulla est melior gravi prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere videtur Ecclesia ad quamcumque forte venerit.* Ratio *secundi,* tum quia, etsi bene faciat qui morem gerit Ecclesiæ ad quam forte devenit, ad id tamen non tenetur ; tum quia Leo Papa[5] monet ut unusquisque juxta suæ Ecclesiæ ritum celebrare sinatur, etiamsi in alieno solo versetur. Ita communiter[6].

Quæres 4. *An in casu necessitatis, id est, ad præbendum viaticum infirmo, liceat sacerdoti Latino consecrare in fermentato?*

[1] I Cor. v. — [2] In Constitutione *super ritus græcos,* § 6. — [3] Per Bullam *Providentia Rom. Pontif.* — [4] Epist. CVIII, cap. 2. — [5] Epist. *ad Michaelem Cerullar.,* cap. 29. — [6] S. Ligor., lib. VI, num. 203.

Resp. *negat* cum communi contra paucos. Quia præferenda est Ecclesiæ obedientia et reverentia erga tantum Sacramentum, utilitati proximi cui tale Sacramentum non est simpliciter necessarium.

§ II.

De Materia Calicis.

Tria hic sunt examinanda : *primum*, utrum vinum de vite sit materia Calicis ; *secundum*, utrum vino consecrando aqua sit admiscenda, et qua necessitate ; *tertium*, utrum aqua cum vino mixta immediate convertatur in sanguinem Christi ; ideo

CONCLUSIO I.

Solum vinum de vite, ipsumque usuale est materia valida Eucharistiæ.

Prob. Sola materia, quam Christus adhibuit et præcepit ut adhiberetur a Sacerdotibus, est materia necessaria Calicis ; atqui Christus solum vinum de vite usuale adhibuit : *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*[1] ; et præcepit ut adhiberetur, juxta illud : *Hoc facite in meam commemorationem*. Ergo, etc.

Resolves 1. Valide conficitur Eucharistia ex vino sive albo, sive rubro, etsi etiam specie differant : utrumque enim habetur et est simpliciter vinum.

Resolves 2. Invalide vero conficeretur Eucharistia ex vino nondum ex uvis expresso, ex omphacio, aceto ; quia non sunt vinum usuale : non ita sentiendum de musto et vino acescente, quia retinent veram naturam et speciem vini ; observat tamen Paulus a Lugduno[2] consecrationem in musto et vino acescente, licet validam, esse illicitam ob fæces adjunctas et alterationem[3].

[1] Matth., xxvi, 29. — [2] *De Euchar.*, cap. 1, quæst. 2, art. 2. — [3] Vide S. Ligor., lib. vi, num. 206 et seqq.

Porro, de vino acescente, hæc notanda sunt. 1° In vino acescente diversi considerandi sunt gradus, alii extra, alii intra viam corruptionis, quod dignoscitur per acrimoniam vini; 2° juxta rubricam Missalis[1], peccat mortaliter non solum qui adhibet vinum proximum natura aceti, ita ut dubitetur an qualitatem vini jam amiserit, sed etiam vinum quod *cœpit acescere, vel fuerit aliquantulum acre,* quod intelligi debet quando vinum ingressum est jam in viam corruptionis, licet sit adhuc tamen materia certe valida; 3° deficiente alio vino, probabiliter licet sine scrupulo, prout solent viri probi, adhibere vinum acidulum, imo, urgente gravi necessitate, adhibere vinum notabiliter acescens, modo sit certum vinum, quia irreverentia cohonestatur necessitate. Ita passim graves auctores cum S. Ligorio.

Quæres : *An vinum congelatum sit materia valida?*

Resp. Salmanticenses habent illam ut dubiam. Alii vero cum Lessio ut invalidam, quia, inquiunt, sicut panis, consecrandus debet esse aptus ad comestionem, ita vinum ad potum; sed hæc sententia nulla pollere videtur probabilitate, inquit S. Ligor. Igitur *verius* affirmandum est, tum quia vinum congelatum, quamvis actu non sit potabile, est tamen potabile de sua natura; tum quia rubrica Missalis[2] dicit : *Si in hieme Sanguis congeletur in Calice, involvatur Calix pannis calefactis... donec liquefiat.* Ergo supponit Rubrica per congelationem minime corrumpi species vini, alias desineret esse Sanguis Christi; vinum enim, cum semel amisit suam naturam, non potest amplius eam reacquirere; nam, ex vulgari Philosophorum axiomate : *A privatione ad habitum, non datur recursus.* Nunquam tamen licet, propter irreverentiam, consecrare in vino congelato, nisi iterum liquefiat. Ita S. Ligorius cum communi.

[1] Tit. IV, num. 2. — [2] *De Defectu,* § 7.

CONCLUSIO II.

Paululum aquæ naturalis Calici eucharistico infundi debet, non quidem ex necessitate Sacramenti, aut præcepti divini, sed Ecclesiastici duntaxat.

Prob. prima pars. Quod semper fuit observatum in Ecclesia Catholica, illud est tenendum; atqui mixtio aquæ semper fuit observata in Ecclesia Catholica : ergo tenenda, etc.

Prob. min. Ex traditione ab Apostolis ad nos usque derivata, ut constat ex Pontificibus, Conciliis et Patribus, tum Græcis, tum Latinis, inter quos, brevitatis gratia, unum textum ex singulis proferemus.

Ex Pontificibus. Alexand. I[1] : *Non debet, ut a Patribus accepimus, in Calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum.*

Ex Conciliis. Carthaginense III[2] sic statuit : *In Sacramento Corporis et Sanguinis Domini nihil amplius offeratur quam ipse Dominus tradidit, hoc est, panis et vinum aqua mixtum.*

Ex Patribus Græcis. S. Chrysost. in liturgia de Diacono : *Deinde facit commixtionem, in Calicem mittens vinum et aquam,* etc.

Ex Patribus Latinis. S. Hieronymus[3] dicit : *Format Sanguinem suum* (Christus) *in Calice vino et aqua mixtis.*

Prob. secunda pars : *Nempe,* illam mixtionem non esse necessariam necessitate Sacramenti, quia neque ex Scriptura, neque ex Traditione id colligi potest; imo SS. Patres et Concilia contrarium docent, et manifeste colligitur ex rubricis Missalis Romani[4], his verbis : *Si celebrans ante consecrationem Calicis advertat non fuisse appositam aquam, statim ponat eam..... si id advertat post consecrationem*

[1] Epist. *ad omnes Orthodoxos.* — [2] Ann. 397, cap. 24. — [3] In cap. XIV *Marci.* — [4] Tit. *de Defectibus vini.*

Calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate Sacramenti.

Hinc sequitur mixtionem aquæ non esse præcepti divini; quæ enim Christus observanda præcepit in Sacramentorum administratione, illa ad Sacramenti substantiam et integritatem pertinent; atqui ex dictis non præcepit, etc.

Dices : Christus exemplo suo mixtionem aquæ vino adhibere docuit : ergo eam præcepit : ergo necessaria est necessitate Sacramenti.

Resp. *Nego conseq.* Nam Christus non omnia quæ fecit, nos facere præcepit, *alioquin,* inquit Div. Cyprianus[1], *sacrificium post cœnam celebrare teneremur, cum illud Christus post cœnam celebraverit.*

Inst. 1. Ex Concil. Carthagin. cit., mixtio aquæ fuit a Christo tradita : ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Fuit tradita a Christo tanquam exemplum quod convenit sequi, *conc.;* tanquam præceptum, *nego ant.* Responsio constat ex Concil. Trident. infra citando.

Inst. 2. Div. Cyprian.[2] docet : *In sanctificando Calice non posse offerri aquam solam, quomodo nec vinum solum:* ergo, sicut nulla est consecratio cum aqua sola, ita nec cum vino solo.

Resp. *Dist. textum.* Non potest solum vinum offerri, sicut nec aqua sola, ex diverso necessitatis genere, *conc.;* ex eodem, *nego :* aqua enim necessaria est ex usu et præcepto Ecclesiæ; vinum autem ex institutione Christi et necessitate Sacramenti. Responsio constat ex eo quod immediate addit Div. Cyprianus : *Nam,* inquit, *si vinum tantum quis offerat, Sanguis Christi incipit esse.*

Prob. tertia pars. Ex Concil. Trident.[3] dicente : *Monet sancta Synodus præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo miscerent, tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur; tum etiam quia e*

[1] Epist. LXIII *ad Cæcilium.* — [2] Ibidem. — [3] Sess. 22, cap. 7.

latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur, et cum aquæ in Apocalypsi Joannis, populi dicantur, ipsius populi fidelis cum Christo unio repræsentatur : ergo mixtio aquæ est de præcepto duntaxat Ecclesiastico. Ita *probabilius* plurimi contra plures.

Porro, hæc mixtio est necessario et sub mortali facienda, quia, licet materia de se sit levis, gravis tamen est ratione significationis mysteriorum a Trident. relatorum.

Item, hæc mixtio debet fieri tempore Missæ, alioquin, si fieret in dolio, non haberet sacram significationem.

Item, aqua vino miscenda debet esse modicissima, ut colligere est ex praxi Ecclesiæ et Concilio Florent., docente materiam Calicis esse vinum de vite, *cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet,* id est plures guttulæ.

CONCLUSIO III.

Probabilius aqua mixta vino immediate convertitur in Sanguinem Christi. Hæc propositio est mere philosophica, nec multi apud Theologos momenti, ideo

Prob. Quia SS. Patres eodem modo loquuntur de aquæ ac de vini transsubstantiatione : *Vinum et aqua,* inquit Damascenus[1], *transmutantur in Sanguinem Christi.* Atqui vinum transmutatur immediate : ergo et aqua vino mixta.

Ratio eorum est, quia vinum aqua mixtum est vinum usuale, sicut panis fermentatus apud Græcos est panis usualis : ergo sicut totus ille panis convertitur in corpus Christi, quanquam fermentum seorsim sumptum non sit materia Eucharistiæ idonea, ita pariter totus ille Calix convertitur in Sanguinem.

Hinc Missale Roman. præscribit ut si Sacerdos immediate ante consecrationem recordetur se non apposuisse aquam

[1] Lib. IV *de Fide,* cap. 14.

in Calice, tunc illam immediate ante consecrationem infundat; in quo casu aqua non potest prius in vinum, quam in Sanguinem Christi converti.

Confirmatur. Juxta recentiores physicos, transmutatio elementorum naturaliter fieri non potest, nec miracula sunt multiplicanda sine ratione : ergo, etc.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Innocent. III[1], expositis tribus opinionibus, quarum *prima* docet vinum et aquam converti in sanguinem et aquam quæ fluxerunt e latere Christi; *secunda,* aquam cum vino transsubstantiari in Sanguinem, cum in vinum transeat mixta vino; *tertia,* aquam remanere in propria specie, circumfusam tamen vini accidentibus, asserit mediam probabiliorem : ergo, etc.

RESP. *Dist.* Asserit mediam esse probabiliorem *in se,* quatenus nimirum contendit aquam in Sanguinem converti, de quo solum consultus fuerat, *conc.;* esse probabiliorem in ratione qua fulcitur, quia nempe aqua in vinum transit mixta vino, *nego.* Noluit enim S. Pontifex solvere quæstionem philosophicam.

INST. 1. Idem Pontifex ait[2] : *Quis ambigat aquam in vinum transire, cum multo vino modicum infunditur aquæ?* Ergo, etc.

RESP. *Dist. textum.* Quis ambigat aquam in vinum transire moraliter, *conc.;* physice, *nego :* moralis transitio est quoad species apparentes; physica est quoad substantiam.

INST. 2. Concil. Florent. jussit ut vinum consecrandum aqua modicissima temperetur, ut habeat satis virtutis ad aquam in sui substantiam ante consecrationem convertendam : ergo, etc.

RESP. *Nego ant.* Non enim *aqua modicissima admisceri debet,* juxta Concilium, ut vinum habeat satis virtutis ad convertendam aquam in sui substantiam; sed duplici ex causa :

[1] Cap. *Cum Marthæ, de Celebr. Missar.* — [2] Lib. IV *Myst. Missæ,* cap. 30.

1° ut melius significetur majestas Christi per vinum designata, et fragilitas populi per aquam repræsentata[1]; 2° ne vinum, quod est materia necessaria consecrationis, per copiosam aquam substantialiter mutetur; est ratio Div. Thomæ.

Objicies 2. Sola materia Calicis convertitur immediate in Sanguinem; atqui solum vinum est materia Calicis, ex Florent. et Trident. Ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Materia enim Calicis est vinum usuale prout præscindit a vino puro, vel modica aqua temperato; utrumque autem est vinum usuale, sicut uterque panis azymus et fermentatus est panis usualis.

QUÆSTIUNCULÆ AD UTRAMQUE MATERIAM PERTINENTES.

Quæres 1. *An ex præcepto divino vel Ecclesiastico necessarium sit consecrare in duplici materia?*

Nota. Certum est necessarium esse necessitate præcepti, ut una materia non consecretur sine altera[2]; quia, etsi una materia non sit de necessitate alterius, utraque tamen est de essentia sacrificii; est autem contra rationem mutilare sacrificium. Quo notato

Resp. *Prima sententia* dicit hoc esse tantum ex præcepto Ecclesiastico: 1° quia id non patet nec ex Scriptura, nec ex Traditione, nec ex facto Christi; 2° neque ex integritate Sacramenti colligi potest tale divinum præceptum; nam, sicut sine læsione hujus integritatis Sacramentum conservatur, et sumitur sub unica specie, sic potest confici sub alterutra specie, siquidem non est major ratio de *fieri*, quam de ejus *esse* vel sumptione. *Præterea*, non satis constat hoc Sacramentum confici non posse nisi sacrificando. Etsi hoc constaret, 3° id non postulat integritas sacrificii, nam in una specie offertur Deo totus Christus, et satis significatur passio ejus consecrando ex vi verborum corpus sine sanguine;

[1] Ita Concil. Tiburiense, can. 12. — [2] Ex cap. *Comperimus, de consecr* dist. 2, et ex Trid., sess. 22, cap. 2.

atqui in hoc consistit sacrificii integritas : ergo. Ita Navar. Adrianus, Major, etc.

Secunda sententia communis et omnino tenenda affirmat hoc esse necessitate præcepti divini, idque patet ex Tridentino [1] dicente : *Christus Corpus et Sanguinem suum sub utraque specie panis et vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis Apostolis ut sumerent tradidit, et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus ut offerrent præcepit per hæc verba : Hoc facite,* etc.

Ratio est, quia de jure divino institutum est ut hoc Sacramentum non conficiatur nisi offerendo Deo sacrificium incruentum a Christo institutum, quod est expressa repræsentatio sacrificii cruentis; hæc autem repræsentatio non fit in una vel altera specie, sed in utraque simul. Ita S. Thom.[2], Suarez, S. Ligor.[3] et alii.

Resolves contra plures graves auctores, Ecclesiam, ne quidem ad viaticum dandum infirmo, unquam dispensasse in hoc præcepto, nec unquam in futurum dispensare.

Quæres 2. *An valide consecrari possit una species sine altera?*

Nota. Certum est interdum accidere ut valide et sine ullo peccato in una tantum specie conficiatur Sacramentum, non quidem ex dispensatione, vel interpretatione, sed propter impotentiam physicam vel moralem Dubium igitur est an valide consecret sacerdos qui positive intendit consecrare unam tantum speciem sine altera : ad quod

Resp. Quidam *non improbabiliter* negant cum Lugo[4], quia ratio et essentia Sacramenti separari non potest a ratione sacrificii ; atqui ratio et essentia sacrificii exigit consecrationem sub utraque specie : ergo, sicut qui in una tantum specie consecrat, non perficit sacrificium, ita nec Sacramentum.

Minor patebit ex dicendis. *Prob. maj.* Etenim sacerdos non accepit potestatem conficiendi hoc Sacramentum nisi

[1] Sess. 22, cap. 1. — [2] 3 p., quæst. 80, art. 12 et art. 1, 2. — [3] Lib VI, num. 196. — [4] Dist. 19, num. 188.

sacrificando; id patet ex forma Ordinationis : *Accipe potestatem offerendi sacrificium tam pro vivis quam pro defunctis :* ergo, si positive renuit sacrificare, non conficit Sacramentum.

Communissime tamen affirmant Theologi. Ratio, quia in omni Sacramento verba sunt practica, id est, operantur quod significant eum debita intentione; id constat : 1° *ex facto* sacerdotis, qui antequam Calicem consecret, dicit : *Hoc est corpus meum,* et verum dicit, ideoque statim Corpus Christi fidelibus præbet adorandum; 2° *ex facto* Christi, qui panem ante consecravit quam vinum. Ergo, etc.

Dices : Hoc verum est quando sacerdos positivam habet intentionem consecrandi utramque speciem, non vero in casu contrario : ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Nam in omni Sacramento si minister intendit facere quod verba significant, illa intentio sufficit ad effectum : ergo in casu consecrat illam partem quam intendit.

Quæres 3. *An præter aptitudinem et consecrabilitatem, aliud requiratur ex parte materiæ ad validam vel licitam consecrationem?*

Resp. 1. *Ad validitatem* duæ requiruntur conditiones, præsentia scilicet, et individua determinatio.

1° *Præsentia,* nam materia consecranda sacerdoti consecranti *moraliter sensibilis seu physice debet esse præsens.* Ratio petitur tum ex exemplo Christi, tum ex verbis formæ, *hoc, hic,* quæ aliter non verificarentur, cum sint demonstrativa; tum ratione sacrificii, quod exigit hostiam præsentem.

Hinc 1° *valide* consecratur vinum in calice cooperto, vel vase occluso, etc.; panis in canistro, hostia in ciborio clauso vel sub aliis latens vel aliter tecta, v. gr. corporali, vel mappa, etc. *Item,* hostiæ præsentes valide consecrantur a sacerdote cæco, vel ab alio in tenebris, quia sufficit ut ab aliis præsentia materiæ certificetur.

Hinc 2° *invalide* consecratur : 1° materia post parietem

aut post tergum posita, vel in tabernaculo clausa, tunc enim demonstrari non valet præsens per τὸ *hoc, hic;* 2° si materia valde procul sit, v. gr. 100 passibus distans, etsi videri possit, aut distans 30 vel 20 passibus, est dubia consecratio, hoc tamen judicio prudentum relinquitur æstimandum; 3° si materia sit tam exigua, ut sensu percipi non possit, quia non esset signum sensibile, nec determinabile, nisi sit in toto, in quo etiam minimæ partes ejus consecrantur, ex Tridentino[1].

2° *Individua determinatio.* Ad validam enim consecrationem necessarium est, ut materia *sit certa, et intentione ministri in individuo determinata,* ut dictum est in tract. *de Sacram. in genere,* tum quia hoc requirunt pronomina demonstrativa *hoc, hic;* tum quia actiones sunt circa singularia quæ debent esse certa et intentione determinata. Non requiritur tamen determinatio actualis, sed sufficit virtualis.

Hinc 1° *valide* consecratur quidquid est decenter consecrabile, quia talis præsumitur esse voluntas sacerdotis consecrantis; unde plures hostiæ rite positæ consecrantur, licet sacerdos putet unam tantum esse consecrandam. — *Item,* si sacerdos post consecrationem advertat duas vel plures esse simul junctas, utramque ut consecratam habeat et sumat. — Si autem advertat ante consecrationem, sed post oblationem, seponat unam, et post Missam ipse vel alius sumat tanquam panem benedictum. — *Item,* omnes hostiæ quæ in altare et super corporali allatæ fuerint consecrandæ, de quibus vel a se vel ab alio sacerdos monitus est, rite consecrantur, licet earum ita expresse non meminerit, aut ad oblationem ciborium discooperire omiserit.

Hinc 2° *invalide* consecratur quidquid non est decenter consecrabile, quia sacerdos non vult vel non potest ita consecrare. Unde si hostiæ, inscio sacerdote, etiam super corporali ponantur a cumulo separatæ, non censentur con-

[1] Sess. 13, cap. 3 et 4.

secratæ. — *Item*, si hostiæ vel etiam ciborium, post consecrationem inveniantur ab initio positæ extra corporale vel altare portatile, habeantur ut non consecratæ, quia sacerdos non præsumitur velle consacre modo illicito. — *Item*, non consecraret qui vellet tantum consecrare tertiam vel dimidiam partem hostiæ indivisæ, vel totum cumulum, una dempta, sed indeterminata in individuo. — *Item*, qui tantam panis vel vini consecrare intenderet quantitatem, ut, attentis omnibus, materia non esset debite præsens consecranti.

Resp. 2. *Ad licitam* **consecrationem** duæ requiruntur conditiones.

1° Ut non **sit major quantitas, quam** tempore opportuno possit absumi, propter periculum specierum corruptionis.

2° Ut ab usu Ecclesiæ, præsertim in Missali præscripto, non recedatur.

Hinc peccat : 1° qui vas in quo recluduntur hostiæ, ex industria non discooperit; 2° qui consecrat hostiam positam extra corporale, vel extra lapidem sacratam; 3° qui consecrat guttas ad partem exteriorem Calicis adhærentes; 4° item *probabiliter* qui statueret se nolle consecrare hostias in corporale positas, nisi tempore consecrationis vel saltem oblationis memor fuerit.

Nota. Si parvæ hostiæ pro communicando populo afferrentur paulo post oblationem, imo et incœpto Canone, licet eas consecrare, facta prius *mentaliter* earum oblatione. Si tantum unus esset tunc communicandus, et diu expectare deberet, expediret potius dare illi partem hostiæ magnæ. Ita S. Ligorius et communiter cum Benedict. XIV[1].

Quæres 4. *An censeantur consecratæ guttæ vini adhærentes in parte interiori Calicis?*

Resp. *Probabilius negat.*, quando sunt omnino a fundo Calicis sejunctæ Ratio, quia et Ecclesiæ et sacerdotis intentio est non consecrandi nisi quod est per modum unius potabile, in Calice congregatum.

[1] *De Sacrif. Missæ*, lib. III, cap. 18. num. 15.

In praxi vero oportet guttas remotas ante consecrationem abstergere; post vero consecrationem, satius est illas colligere cum Sanguine, vel saltem cum ablutione[1].

Quæres 5. *Quale peccatum sit consecrare sine rationabili causa hostiam fractam vel maculatam?*

Resp. Secluso scandalo, veniale non excedit, nisi macula vel fractura sit enormis. Si tamen macula vel fractura notabilis detegatur post factam oblationem, licite consecratur hostia, quia jam per oblationem fuit aliquatenus Deo dicata et sanctificata[2].

Juxta vero Ecclesiæ consuetudinem, panis consecrandus debet esse forma exilis et figura rotunda.

Hinc illi duo versus :

Candida, triticea, ac tenuis, non magna, rotunda,
Expers fermenti, non falsa sit hostia Christi.

ARTICULUS III.

DE FORMA EUCHARISTIÆ.

Nota. Hic quatuor sunt resolvenda : 1° utrum Christus sola benedictione interna consecraverit, vel verbis ad consecrandum usus fuerit; 2° quænam verba essentialem Eucharistiæ formam constituant; 3° quo sensu verba formæ a Sacerdotibus proferantur; 4° quid significent pronomina *hoc* et *hic*. Unde, sit

CONCLUSIO I.

Christus consecravit verbis istis : Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus[3].

Nota. Conclusio, quatenus importat prædicta verba esse formam Sacramenti, est de fide tum contra quosdam schismaticos Græcos, qui verbis Christi alias preces esse adjungendas dicunt; tum contra Anabaptistas, qui referuntur

[1] Bened. XIV, loc. cit. — [2] S. Ligor., P. Gury, etc. — [3] Hæc proposit. est contra Durandum, Catharin., Salmeron, etc.

consecrare in his verbis : *Accipe, ede, memento Domini;* tum contra alios Novatores, qui legunt caput S. Joannis, vel etiam relinquunt ministrorum arbitrio, prout magis ad ædificationem fidelium, *ut pie dicunt,* vel ad fidem excitandam expedire censuerint. — Utrum vero Christus ea verba adhibuerit ad consecrandum, quidam negant, sed immerito, et

Prob. 1. *Ex SS. Patribus,* maxime Tertulliano dicente[1] : *Acceptum panem, et distributum discipulis, Corpus suum fecit dicendo : Hoc est Corpus meum;* et Ambrosio[2], sic disserente : *Quomodo panis potest esse Corpus Christi? consecratione; consecratio autem quibus verbis est, aut cujus sermonibus? Domini Jesu... Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum.*

Prob. 2. *Ex Concil. Florent.,* ubi dicitur : *Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc confecit Sacramentum : Sacerdos enim in persona Christi hoc conficit Sacramentum.*

Prob. 3. *Ratione.* Christus instituens Eucharistiam, Sacramentum ritu sacramentali perficere voluit : ergo usus est materia et forma sensibili, nempe pane tanquam materia, et verbis tanquam forma ; Sacramentum enim fit necessario ex materia et forma.

Dices 1. Div. Marcus institutionem Eucharistiæ referens ait[3] : *Et accepto Calice, gratias agens, dedit eis, et biberunt ex illo omnes. Et ait illis : Hic est Sanguis meus novi Testamenti,* etc.; unde sic arguo :

Prius Apostoli panem Eucharisticum et Calicem sumpserant, quam dixisset Christus : *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus.* Ergo non istis verbis, sed præcedente benedictione consecravit.

Resp. *Nego ant.* Verba enim ista : *Et biberunt ex illo omnes,* ante prolationem istorum verborum : *Hic est San-*

[1] Tertull., lib. v *contra Marcion.,* cap. 40. — [2] Lib. iv *de Sacram.,* cap. 40. — [3] Marc. xiv, 23.

guis meus, dicta sunt a S. Marco per anticipationem, ut nempe præceptum Christi de sumendo Calice cum ejus executione conjungeret; unde non est secutus ordinem narrationis, ut constat ex aliis Evangelistis et Apostolo.

Inst. Concil. Trident.[1] dicit Christum *post panis vinique benedictionem, se suum ipsius Corpus illis* (Apostolis) *præbere, ac suum Sanguinem, disertis ac perspicuis verbis testatum esse:* ergo per illa perspicua verba non effecit Corpus suum, sed per præcedentem benedictionem.

Resp. *Dist. textum.* Christus testatus est *disertis ac perspicuis verbis*, iisque practicis et operativis, *conc.;* verbis speculativis, *nego;* Christus enim testando se suum præbere Corpus illud effecit, et Corpus efficiendo testatus est se illud Apostolis præbere.

CONCLUSIO II[2].

Ista omnia verba: Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus, *vel* hic est Calix Sanguinis mei, *requiruntur et sufficiunt ad constituendam essentialem Eucharistiæ formam.*

Nota. Conclusio pugnat contra S. Antonin., Sylvest., Gonet, et plures insignes Thomistas, qui contendunt saltem verba..... *qui pro vobis et pro multis effundetur*, esse de essentia Sacramenti, citantque pro se Div. Thomam[3], cujus sententia valde dubia est, nam contrarium tenet loc. citat., art. 1.

Prob. 1. Verba quæ operantur præsentiam Corporis et Sanguinis Christi sub speciebus panis et vini, requiruntur et sufficiunt ad constituendam essentialem Eucharistiæ formam; atqui talia sunt verba supradicta: ergo omnia illa et sola requiruntur et sufficiunt, etc.

Prob. min. Verba illa omnia et sola præsentiam Cor-

[1] Sess. 13, cap. 1. — [2] Vid. S. Ligor., lib. VI, num. 222 et seqq. — [3] In 4, dist. 8, quæst. 2, art. 2.

poris et Sanguinis Christi operantur, quæ omnia et sola illam perfecte significant (nam formæ Sacramentorum habent vim efficiendi quod significant); atqui omnia et sola verba supradicta in persona Christi prolata, significant perfecte præsentiam Corporis et Sanguinis Christi sub speciebus panis et vini, ut per se patet. Ergo, etc.

Prob. 2. Ex verbis Div. Pauli[1] : *Hic Calix Novum Testamentum est in meo Sanguine;* porro credibile non est Apostolum aliquid essentiale formæ omisse : ergo, etc.

Colliges : Ista verba : *Qui pridie quam pateretur*, etc., non esse de essentia formæ, quia non sunt verba Christi, sed Evangelistæ narrantis actionem Christi; nec etiam particula *enim*, quæ est solum ex institutione Div. Petri volentis conjungere verba consecrationis cum præcedentibus.

Quantum ad hæc verba : *Accipite, manducate et bibite, novi et æterni Testamenti*, sunt quidem verba Christi, sed non sunt de essentia formæ, quia non significant transsubstantiationem. Cæterum graviter peccaret, qui hæc vel alia verba formæ, verbo *enim* excepto, scienter omitteret.

Quoad verborum alterationem, *nota:* 1° *validam*, sed illicitam esse consecrationem, si consecrans dicat : *Hic* (sumendo masculinum pro neutro) *est Corpus meum;* vel *hic cibus, hæc res*, vel *contentum sub his speciebus est Corpus meum;* vel *hic est Corpus meus*, vel *hoc est Corpus meum quod de Virgine assumpsi*, vel *infiniti valoris:* vel *hoc est colpus* vel *copus meum.* Ratio, quia manet sensus Christi.

2° *Invalidam* esse, si consecrans dicit : *hic* adverbialiter, vel *hoc Corpus est meum*, vel *ecce Corpus meum* et similia, quia diversus est sensus.

3° *Dubiam* esse, si dicat : *Illud est Corpus meum; hæc est caro mea*, quia *caro* non certo significat quod *Corpus;* vel *hoc est Corpus Christi.* Idem dic de alterationibus in forma Sanguinis. Cæterum circa formam, depellendi sunt scrupuli de vitiosa pronuntiatione, nec verba consecra-

[1] I ad Cor. II, 25.

tionis sunt repetenda, nisi valde dubitet sacerdos aliquid omisisse[1].

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Ista verba : *Hoc est Corpus meum,* etc., nno requiruntur necessario ad constituendam essentialem formam Eucharistiæ : ergo, etc.

Prob. ant. Multi Patres asserunt Eucharistiam oratione consecrari. *Per precem Eucharistiam factum cibum sumimus,* ait Justin.[2] : ergo, etc.

RESP. *Dist. ant.* Oratione indistincta a verbis Christi, *conc.;* distincta ab illis, *nego ant. et conseq.*

Patres itaque per *orationem et invocationem* intelligunt verba Christi, quæ sunt implicita oratio, quatenus Deum efficaciter movent ad effectum sacramentalem producendum. Sic Div. August.[3] : *Quomodo,* inquit, *audit homicidam deprecantem, vel supra aquam Baptismi, vel supra oleum, vel supra Eucharistiam,* etc.

INST. 1. Patres Sancti Spiritus invocationem, per quam asserunt Eucharistiam consecrari a verbis evangelicis : *Hoc est Corpus meum,* distinguunt : *Invocationis verba,* ait Div. Basilius[4] *in ostensione panis Eucharistiæ, et poculi benedictionis, quis Sanctorum nobis scripto reliquit? neque enim his contenti sumus, quorum Apostolus aut Evangelium mentionem facit, sed et ante et post, alia dicimus veluti magnum robur ad mysterium habentia, quæ ex doctrina scripto, non prodita nos accepimus.* Ergo, etc.

RESP. *Nego ant.* Nam Div. Basilius loquitur de tota Liturgia, nam ait : *ante et post* (verba evangelica) *alia dicimus;* quis porro dixerit totius Liturgiæ recitationem requiri ad consecrationis validitatem? Loquitur ergo de consecrationis licitate, non de validitate : nimirum, ejus scopus fuit demonstrare Scripturam non esse solam fidei regulam, idque probat ex Liturgiis, in quibus multa sunt quæ, ob

[1] Rubr., tit. v, num. 2. — [2] *Apolog.* 2. — [3] Lib. v *de Bapt.* — [4] Lib. *de Spiritu Sancto,* cap. 27.

reverentiam illius mysterii, observari debent a ministris, quamvis in Scriptura nequaquam legantur.

Inst. 2. Gaudentius Brixiensis[1] ait : *Cum panem consecratum et vinum Discipulis suis porrigeret Dominus, sic ait : Hoc est Corpus meum :* ergo erat ante verba Christi consecratus per orationem.

Resp. *Dist. conseq.* Erat consecratus præparatorie, *conc.;* formaliter, *nego conseq.* Loquitur autem Gaudentius de pane ad consecrationem præparato.

Objicies 2. In multis probatis Græcorum Liturgiis, post prolationem istorum verborum : *Hoc est Corpus meum,* adduntur preces quibus Sacerdos rogat ut panis fiat Corpus Christi : ergo Græci non supponunt consecrationem factam esse per hæc verba Christi : *Hoc est Corpus meum.*

Resp. *Dist. ant.* Adduntur preces, quibus Sacerdos rogat ut panis fiat Corpus Christi simpliciter, *nego; ut fiat communicantibus in purgationem animæ, in remissionem peccatorum, et non fiat in judicium et condemnationem,* conc. ant.; est ipsa responsio Græcorum in Concil. Florent. sess. ult., qua audita, Eugenius S. Pontifex Græcos *tanquam fratres in fide secum conjunctos* compellavit.

Inst. In Liturgia Div. Chrysostomi, Sacerdos, post prolationem verborum Christi, sic orat : *Fac panem istum pretiosum Corpus Christi tui, transmutans Spiritu Sancto tuo :* ergo supponit nondum factam esse consecrationem, seu transmutationem panis in Corpus Christi.

Resp. *cum Arcudio*[2] Latinos S. Chrysostomi verba male omnino reddidisse per ista : *fac panem... transmutans,* etc., sed debuerunt sic reddi juxta textum græcum : *Fac ut panis, quem Spiritu Sancto tuo transmutasti in pretiosum Corpus Christi tui, fiat suscipientibus in salutem ;* verbum enim Græcum μετέβαλον est aoristus secundus præteriti temporis, quod significat *mutasti,* non vero *mutans.*

[1] Tract. II *in Exod.* reperitur in *Biblioth. PP.*, tom. V, p. 947. — [2] Lib. III, cap. 33.

Quod Div. Chrysost. censuerit consecrationem fieri verbis Christi, constat ex ejus hom. *de Proditione Judæ,* ubi dicit : *Hoc est Corpus meum, hoc verbo proposita consecrantur.*

Objicies 3. Eucharistia est instituta non tantum ad significandum Corpus et Sanguinem Christi per modum cibi et potus, verum etiam specialiter in recordationem passionis Christi et peccatorum remissionem ; atqui hæc virtus non exprimitur per verba : *Hic est Calix Sanguinis mei,* sed per sequentia : ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Nam illa verba sine sequentibus bene significant virtutem Sacramenti, nempe remissionem peccatorum per effusionem Sanguinis ; nam ex ipso quo vi verborum ponitur Sanguis separatus a Corpore, sufficienter significatur ut effusus, et hoc Sacramentum esse sacrificium et oblationem mactatæ mysticæ victimæ, factam Deo in recognitionem supremi ejus dominii, et in remissionem peccatorum.

CONCLUSIO III.

Verba consecrationis nec historice tantum, nec assertive tantum, sed historice et assertive simul a Sacerdote proferuntur. Ita communius et probabilius.

Prob. prima pars. Illud dicitur *recitative* et *historice,* quod refertur tanquam ab alio dictum ; atqui verba consecrationis referuntur a Sacerdote tanquam a Christo dicta his verbis : *Qui pridie quam pateretur, accepit panem,* etc. : ergo verba consecrationis dicuntur historice.

Prob. secunda pars. Illud dicitur *assertive,* quod dicitur cum intentione exercendi ipsam propositionis significationem ; atqui verba consecrationis proferuntur a Sacerdote cum intentione exercendi ipsam propositionis significationem ; proferuntur enim a Sacerdote in persona Christi, seu ut gerens personam Christi : ergo proferuntur assertive.

CONCLUSIO IV.

Pronomina **hoc** *et* **hic** *in forma Eucharistiæ, significant Corpus et Sanguinem Christi, sub confusa ratione rei contentæ, sub speciebus panis et vini in fine prolationis formæ consecratoriæ.*

Prob. Quia pronomina demonstrativa substantive posita in propositione practica, significant tantum confuse id quod existit in fine prolationis verborum; atqui pronomina *hoc* et *hic* sunt substantive posita in propositione practica : ergo significant tantum confuse id quod existit in fine prolationis verborum; atqui id quod existit in fine prolationis verborum consecratoriorum, est Corpus et Sanguis Christi. ergo pronomina *hoc* et *hic* significant Corpus et Sanguinem Christi tantum confuse, id est, sub confusa ratione rei contentæ sub speciebus panis et vini, in fine prolationis formæ[1].

OBJECTIONES.

Objicies 1. In hac propositione : *Hoc est Corpus meum,* pronomen *hoc* demonstrat id quod præsens est, dum profertur; atqui id quod præsens est, dum profertur, est panis, et non Corpus Christi : ergo pronomen *hoc* demonstrat panem.

Resp. *Nego maj.* Nam in propositionibus practicis non demonstratur nisi id quod vi illarum fit, et nihil fit vi illarum nisi integre sint prolatæ, sed semel completæ significant distincte terminum *ad quem,* qui solus remanet, et quem ab initio prolationis confuse tantum significabant.

Inst. 1. Pronomen *hoc* in propositione Christi aliquid

[1] Alii dicunt : Verbum *hoc* et *hic* significant : *hoc ens,* quod est cibus, *est Corpus meum; hic Calix,* sive hic potus, *est Sanguis meus;* omnis enim propositio in fine prolationis habet suam veritatem et suum effectum. Ita Suarez, Scotus, Sporer et alii communiter, apud S. Ligor., lib. VI, num. 223, quær. 3, qui utramque sententiam vocat probabilem.

clare et distincte significat; sed non significat distincte Corpus Christi : ergo significat solum panem.

Resp. *Nego maj.* Ratio est, quia pronomina in eo a nominibus differunt, quod hæc per se distincte et determinate aliquid significent; illa vero per se ac sola nihil determinate et distincte significent; debent ergo cum nominibus conjungi ut significatio clara sit et determinata; quare pronomen *hoc*, solitarie spectatum, nihil determinate significat; spectatum vero cum illis terminis propositionis, determinate significat Corpus Christi.

Inst. 2. Si pronomen *hoc* Corpus Christi significat, propositio ista : *Hoc est Corpus meum,* identica est et nugatoria; falsum consequens : ergo et antecedens.

Resp. *Nego maj.* Quia ut propositio sit identica, non sufficit ut idem sit prædicatum et subjectum, sed etiam requiritur ut sit idem significandi modus (alias omnes propositiones in quibus definitio prædicatur de definito, v. gr., ista : *Homo est animal rationale,* essent identicæ); atqui in hac propositione : *Hoc est Corpus meum,* non est idem significandi modus prædicati et subjecti : quod enim per pronomen *hoc* et *hic,* confuse significatur, per voces sequentes clare et distincte exprimitur : ergo propositio non est identica.

Objicies 2. In hac proposit. : *Hic est Sanguis meus,* pronomen *hic* non sumitur substantive, id est, non sumitur tanquam subjectum propositionis, de quo aliud prædicatur : ergo, etc. Resp. *Nego ant.*

Prob. ant. In hac proposit. : *Hic est pater meus,* pronomen *hic* non sumitur substantive, sed adjective : ergo a pari, etc.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quia in hac propositione : *Hic est pater meus,* subintelligitur in sujecto *homo;* sed in altera propositione nullum in subjecto substantivum subintelligitur, sed pronomen *hic* accipitur pro contento sub specie vini confuse sumpto.

ARTICULUS IV.

DE RE IN EUCHARISTIA CONTENTA.

Præsentem quæstionem tribus absolvemus paragraphis, in quorum *primo* expendemus an Corpus et Sanguis Christi vere ac realiter ponantur in Eucharistia; in *secundo*, quomodo Christus ponatur in Eucharistia, an per impanationem, vel per consubstantiationem, vel tandem per transsubstantiationem; in *tertio*, quomodo Christus sit in Eucharistia; quibus addemus *quartum*, de remanentibus in Eucharistia speciebus.

§ I.

Utrum in Sacramento Eucharistiæ vere et realiter contineatur Corpus et Sanguis Christi.

Nota. Qui realem præsentiam negarunt, vocantur *Sacramentarii*, et sunt:

1° *Joann. Herigena*, natione Scotus, qui, IX° labente sæculo, docuit *Sacramentum altaris non esse verum Corpus et verum Sanguinem Domini, sed tantum memoriam veri Corporis et Sanguinis*[1].

2° *Berengarius*, Andegavensis Ecclesiæ archidiaconus, qui hanc hæresim ex lectione libri a Joanne Scoto haustam et latius diffusam, retractavit in Concilio Romano[2].

3° *Petrus de Bruis*, a quo *Petrobusiani*, et Henricus ejus discipulus, a quo *Henriciani*, qui XII° sæculo docuerunt Eucharistiam esse merum signum Corporis et Sanguinis Christi.

4° *Carlostadius*, archidiaconus Wittembergensis; Zuinglius, OEcolampadius et Bucerus scripserunt contra realem Christi præsentiam in Eucharistia, XVI° sæculo.

5° Denique Calvinus, qui eodem sæculo XVI° asseruit non aliam esse præsentiam quam figuratam, objective per

[1] Ita refert Hincmar., ib. I *de Prædest.*, cap. 31. — [2] Sub. Gregor. VII.

fidem vel virtutem a Christo diffusam, ad quam fraudem elidendam Concilium Tridentinum definivit Christum *vere, realiter* ac *substantialiter* in Eucharistia præsentem esse; itaque sit

CONCLUSIO.

In sacramento Eucharistiæ, vere, realiter *ac* substantialiter *continetur Corpus et Sanguis Christi.*

Hæc proposit. a Trident.[1] sancita his verbis : *Si quis negaverit in sanctissimo Eucharistiæ sacramento contineri vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem una cum anima et divinitate D. N. J. C., ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute, anathema sit,* probatur ex triplici capite : nimirum ex verbis promissionis, ex verbis institutionis, ex traditione Patrum et Conciliorum.

PROB. 1. *Ex verbis promissionis*[2], ubi Christus ait :

[1] Sess. 13, can. 1.

[2] Joan VI. Solent plerique interpretes Catholici totum hoc caput sextum S. Joan. in tres dividere partes, quarum *prima*, a ℣. 1 ad ℣. 26, referat miraculum quo quinque panes Christus multiplicavit in deserto; *secunda* vero, a ℣. 27 ad ℣. 50, in qua non est, inquiunt, sermo de Eucharistia, sed de incarnatione Verbi ac fide in Christum, quam metaphorice cibum appellant; *tertia* denique, a ℣. 51 ad finem capitis, quæ contineat promissionem de Eucharistia. Verum omnibus perpensis, longe verisimilior est expositio S. Cyrilli Alex. et Theophylacti, qui etiam secundam partem referunt ad Eucharistiam, ut patet ex contextibus. Post enim multiplicationem panis, Christus Judæos ad excellentiorem cibum provocat, scilicet ad SS. Eucharistiam : *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis*... Ut autem id assequatur, ostendit illis necessitatem fidei in suam divinitatem, cum ipse solus Deus talem cibum et promittere et præbere possit, quo facto, ℣. 53, iterum ad promissionis sermonem redit.

Alias enim nulla rationabilis institui potest series sermonis Christi inter secundam et tertiam partem. Illa vero explanatione semel admissa, corruunt præcipuæ difficultates, quibus Protestantes urgent expositionem Catholicam in secunda parte hujus sermonis, et evanescit discrepantia quæ viget inter Catholicos interpretes in assignando præcise sermonis Christi transitionem a fide ad realem manducationem corporis sui (Ita etiam R. P. Perrone, *de Euchar.*, p. 1, cap. 1, § 1, in nota *a*).

Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita... nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis... caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus, etc.

Ex his sic argumentor :

Promissio Christi in proprio sensu debet accipi, cum nulla sit necessitas eam detorquendi in sensum metaphoricum; atqui promissio Christi in sensu proprio accepta, significat realem præsentiam Corporis et Sanguinis Christi in Eucharistia : ergo Christus est vere et realiter præsens in Eucharistia.

Prob. maj. Quia si hæc promissio in sensu spirituali et metaphorico intelligi debuisset : 1° ex verbis Christi non fuissent offensi et scandalizati tum Judæi, tum Discipuli Christi, intelligentes Christum loqui de reali manducatione corporis sui; 2° Christus, ad tollendum scandalum ex suis verbis ortum, mentem suam de præsentia metaphorica, et spirituali manducatione clare aperuisset; atqui ex verbis Christi fuerunt scandalizati tum Judæi, de quibus dicitur vers. 52 : *Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes : Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum?* tum Discipuli Christi, de quibus refertur vers. 61 : *Multi ergo audientes ex discipulis ejus dixerunt : Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?* et vers. 67 : *Multi discipulorum abierunt retro, et jam cum illo non ambulabant;* nec Christus hanc illorum opinionem correxit, imo juramento confirmavit, dicens Judæis : *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Discipulis vero : *Hoc vos scandalizat? si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius* (subintellige quid dicetis?). Ergo promissio Christi de reali et orali manducatione debet intelligi.

Prob. 2. Ex verbis institutionis : *Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus :* quæ verba in sensu proprio clare

significant realem præsentiam Corporis et Sanguinis Christi sub speciebus panis et vini. In sensu autem proprio sumenda esse constat :

1° Ex hac regula ab August. tradita[1] et ab ipsismet hæreticis recepta, nempe : *Verba Scripturæ sensu proprio et naturali debent intelligi, quando nihil continent quod repugnet aut bonis moribus, aut fidei, aut aliis ejusdem Scripturæ testimoniis clarioribus;* atqui laudata verba : *Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus,* nihil continent quod repugnet aut bonis moribus, aut aliis Scripturæ verbis clarioribus : ergo debent accipi in sensu proprio, naturali et obvio. Fatentur adversarii nihil esse in istis verbis contrarium bonis moribus, cum ex eis sequatur potius divinæ misericordiæ et omnipotentiæ commendatio ; ideo

Prob. secunda pars min. Nempe verba illa : *Hoc est Corpus meum,* nihil continere quod repugnet fidei et aliis Scripturæ verbis clarioribus; nullum enim textum hactenus protulere novatores contrarium præsentiæ reali, nec ullus afferri potest : imo in asseverandam præsentiam realem conspirant omnes Evangelistæ et Div. Paulus, qui, Eucharistiæ institutionem referentes, nullum sensus figurati indicium dederunt, sed semper usi sunt istis verbis : *est, corpus, sanguis.* Ergo, etc.

2° Quia sensus metaphoricus ex triplici capite intelligi potest : 1° *ex usu hominum recepto,* quomodo imago Cæsaris dicitur Cæsar; charta geographica Lotharingiæ, dicitur Lotharingia, quia ex usu recepto et cognito destinantur ad repræsentandum Cæsarem et Lotharingiam; 2° *ex contextu sermonis :* sic Apostoli Christum dicentem se esse vitem, figurate loqui cognoverunt ex contextu sermonis, ubi eosdem vocat palmites[2] : sicut enim sentiebant se non esse proprie palmites, ita facile colligebant Christum non esse proprie vitem; 3° *ex ipsius expositione loquentis,* quando supra laudatis indiciis sensus figuratus non potest depre-

[1] Lib. III *de Doctrina Christiana,* cap. 10. — [2] Joan. XV, 5.

hendi; sic cum Christus dicit[1] : *Attendite a fermento Pharisæorum*, subjungit : *quod est hypocrisis.*

Atqui ex nullo horum capite potest colligi sensus figuratus in hac Christi propositione : *Hoc est Corpus meum.*

1° *Non ex communi usu loquendi;* namque panis ex recepto usu loquendi non est destinatus ad significandum corpus Christi, ut, demonstrato pane, possit dici : *Hoc est Corpus meum.*

2° *Non ex contextu sermonis;* nihil enim est in antecedentibus et consequentibus ex quo possit colligi Christum figurate locutum fuisse; imo Apostolus, postquam retulit institutionem Eucharistiæ, inde concludit ea quæ necessario realem præsentiam Corporis et Sanguinis supponunt, dicens : *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit,* non figuræ corporis et sanguinis, sed *reus erit Corporis et Sanguinis Domini*[2].

3° *Non ex ipsius loquentis expositione,* quia de facto nulla est, ut legenti Evangelium patebit.

Ergo ex nullo capite potest colligi hæc verba : *Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus,* figurate a Christo dicta fuisse.

Prob. 3. *Ex perpetua et constanti Traditione,* cujus testes sunt Patres, Concilia, Liturgiæ, vel etiam ipsæ sectæ christianæ, imo et Ethnicorum calumniæ. Ex innumeris textibus qui proferri possunt et proferuntur a controversistis, hi sufficiant

1° Concil. Nicænum I : *Intelligamus situm in illa sacra mensa, agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruente a Sacerdotibus immolatum, et pretiosum ejus Corpus et Sanguinem vere sumentes credamus, hæc esse nostræ redemptionis symbola.*

Concil. Nicænum II[3] : *Liquido monstratum est quod nusquam Dominus, vel Apostoli aut Patres imaginem*

[1] Luc. XII, 1. — [2] I Cor. XI, 27. — [3] Act. VI.

dixerunt, Sacrificium sine sanguine, sed ipsum Corpus, ipsum Sanguinem. Quid expressius contra Calvinistas?

Brevitatis gratia omittimus Concilia : Romanum, sub Gregorio VII, contra Berengarium ; Viennense, in decreto de festo Corporis Domini ; Constantiense contra Wiclefum, et Florent., in quibus realis præsentia fuit declarata et definita, ut deveniamus ad testimonia Patrum.

2° Div. Cyprian.[1] : *Panis iste non effigie, sed natura mutatus omnipotentia verbi factus est caro.*

S. Cyrillus Jerosolym.[2], postquam retulit institutionem Eucharistiæ, sic prosequitur : *Cum igitur Christus sic affirmet, atque dicat de pane : Hoc est Corpus meum, quis deinceps audeat dubitare?... quare cum omni certitudine Corpus et Sanguinem Christi sumamus : nam sub specie panis datur tibi Corpus, et sub specie vini datur Sanguis, ut sumpto Corpore et Sanguine Christi, efficiaris ei comparticeps Corporis et Sanguinis.*

S. Damascenus[3] ait : *Domino dicente : Hoc est Corpus meum, non figura Corporis, sed Corpus, et non figura Sanguinis, sed Sanguis.*

Theophylactus[4] : *Non enim dixit : Hoc est figura, sed : Hoc est Corpus meum. Panis quidem apparet, sed caro est.*

S. Hilarius[5] : *Ipse enim ait : Caro mea vere est esca... de veritate carnis et sanguinis non relictus est ambigendi locus.*

3° Liturgiæ omnes, quæ ante sæculum XI in lucem prodierunt, in eo conveniunt, ut adstruant realem Christi præsentiam[6]; unde sic : Quod semper, quod ubique, quod ab omnibus Ecclesiis fuit custoditum et in usu quoditiano retentum, ab Apostolis traditum fuisse credendum est; itqui, etc.

[1] *De Cœna Domini.* — [2] *Catech.*, Mystag. 4. — [3] Lib IV *de Fide*, cap. 24. — [4] In cap. 6 *Matth.* — [5] Lib. VIII *de Trinitate*, ante medium. — [6] Conf. Lebrun, *Explication de la Messe.* — Card. Bona, *de Rebus liturgicis*, lib. I, cap. 8 et seqq. — Auct. *Perpetuitatis fidei*, tom. 3, lib. VIII. — Thomassin, tom. 1, p. 1, *de Liturgiis et Psalm. antiq.* — Asseman., *de Liturgiis Eccl. universæ.* — Mabillon., *Muratorium Renaudotium*, etc.

4° Omnes sectæ, sive hæreticæ, sive schismaticæ, eæque antiquissimæ, cujusmodi sunt Marcosiani, Nestoriani, Eutychiani, Armeni, Syri Jacobitæ, schismatici Græci, etc., realem præsentiam hactenus professi sunt; unde sic : Vel illud dogma secum asportarunt sectæ quando ab Ecclesia Catholica exierunt, vel post suam defectionem sibi invenerunt; atqui *posterius* dici nequit : 1° quia inventionis hujus nec auctor, nec tempus, nec locus, nec causæ ullæ assignari possunt; 2° quia repugnat supponere vel omnes sectas et Ecclesiam Catholicam seorsim illud dogma sibi invenisse, vel illud ab una omnes alias mutuasse. Restat ergo quod illæ sectæ veritatem realis præsentiæ tanquam paternam hæreditatem asportaverint : ergo illud dogma semper viguit in Ecclesia Catholica.

5° Pagani, ex confusa idea quam habebant de mysteriis nostris circa præsentiam realem, Christianis intentabant infanticidii et anthropophagiæ accusationem, teste Tertulliano[1] dicente : *Sceleratissimi de Sacramento infanticidii accusamur, et pabulæ inde, et post convivium incesto.* Porro, si Christiani tunc temporis non agnovissent cum Protestantibus nisi *nudum symbolum, vel typum, vel figuram*, quo pacto sub alto silentio, licet cum discrimine vitæ, mysterium occultarunt? Nonne ad repellendam calumniam et furorem populi sedandum, statim reposuissent solum panem ac corporis figuram in eo Sacramento manducari? Imo, nisi hoc fecissent, et accusationem infanticidii, et sævas persecutiones inde natas, et martyrum supplicia cohonestare quodammodo visi fuissent, et in se noxam tantorum scelerum refudissent. Ergo, etc.

Ex his omnibus constat dogma præsentiæ realis semper creditum fuisse in Ecclesia : ergo ab Apostolis traditum, ideoque verum et a Deo revelatum.

[1] In *Apolog.*, cap. 7.

SOLVUNTUR OBJECTIONES CONTRA PRIMAM PROBATIONEM.

Objicies 1. Christus, cap. VI Joannis, non loquitur de orali et sacramentali Eucharistiæ manducatione, sed tantum de spirituali, ac per fidem in Christum incarnatum: ergo inefficax est nostra prima probatio.

Resp. 1 cum 1ª sententia *Nego ant.* Nam in cap. VI Joann. tres sunt partes : in prima, a versu primo ad vigesimum quintum, agitur de cibo materiali, nempe de multiplicatione quinque panum, quibus in deserto saturati sunt quinque millia hominum ; in secunda, a versu vigesimo quinto ad versum quinquagesimum secundum, agitur de cibo mere spirituali, nempe de fide in Christum incarnatum ; in tertia, a versu quinquagesimo secundo usque ad finem capitis, agitur de manducatione orali et sacramentali carnis Christi in Eucharistia.

Resp. 2 cum 2ª sentent. Pariter *nego ant.*, quia caput integrum intelligi debet de Eucharistia, ut patet ex contextu.

Inst. 1 Atqui Christus, in tertia parte citati capitis, aperte significat se loqui de spirituali suæ carnis manducatione : ergo, etc.

Prob. subsumpt. Christus exponens quo sensu dixerit : *Caro mea vere est cibus,* etc., ait : *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam.* Ergo locutus est de spirituali manducatione suæ carnis.

Resp. 1. *Nego conseq.* Christus enim illis verbis non loquitur de carne sua, sed de hominibus carnaliter sentientibus, ut docet Div. Chrysost. dicens[1] : *Quomodo igitur ait : Caro non prodest quidquam? non de sua carne dicit, absit, sed de his qui carnaliter accipiunt quæ dicuntur.* Unde sensus verborum Christi est : spiritus Dei est qui dat fidem et intelligentiam, homo carnaliter sentiens non potest percipere divina mysteria, quem sensum indicant verba Christi sequentia : *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus*

[1] Hom. XLVI *in Joan.*

et vita sunt. Hoc est, sunt de rebus spiritualibus et ad animæ vitam conferentibus, non vero de rebus carnalibus et caducis, ut exponit ibidem S. Chrysostomus.

Resp. 2. Si Christus de sua carne loquatur, *distinguo :* caro non prodest quidquam, si sola fuerit et a spiritu vivificante sejuncta, quomodo Capharnaitæ concipiebant, *conc.;* caro unita cum spiritu vivificante, id est, cum divinitate, *nego.* Solutio est Div. August. dicentis[1] : *Caro non prodest quidquam, sed sola caro; accedat spiritus ad carnem, et plurimum prodest; nam si caro non prodesset, Verbum caro non fieret ut habitaret in nobis.*

Inst. 2. Nonnulli ex sanctis Patribus exponunt caput sextum Joannis de sola manducatione Christi per fidem : ergo.

Resp. *Nego conseq.* Quia si quando Patres exponunt mystice verba Christi, non excludunt sensum litteralem, qui realem et sacramentalem corporis et sanguinis Christi manducationem exhibet.

Inst. 3. Atqui Patres exponunt verba Christi de manducatione per fidem, etiam excludendo oralem et sacramentalem : ergo nulla solutio. Resp. *Nego subsumptum.*

Prob. subsumpt. Div. August.[2] exponens caput sextum Joannis, ait : *Ut quid paras dentes et ventrem? crede et manducasti.* Ergo caput sextum Joannis exponit de manducatione metaphorica.

Resp. *Nego conseq.* Quam proterva fide Albertinus deducit ex textu Div. Augustini, qui ibi non exponit ultimam partem capitis sexti Joannis, quæ sola est de Eucharistia, sed versum 29 illius capitis : *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille,* qui est de fide in Christum, quam Christus dixit : *opus Dei.* Ad Eucharistiam ergo non pertinent verba objecta, quia ibi non loquitur de manducatione Dominici Corporis, nec negat ad illud suscipiendum recte parari os et ventrem, cum[3] dicat, ore suscipi, non

[1] Tract. XXVII *in Joan.*— [2] Tract. XXV *in Joan.*— [3] Lib. III *contra advers. Legis et Prophetarum,* cap. 9.

corde tantum, *mediatorem Dei et hominum Christum Jesum, carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem dantem, fideli corde atque ore suscipimus; quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare, quam perimere, et humanum sanguinem potare, quam fundere.*

Inst. 4. Atqui Div. August. exponens tertiam partem sexti capitis Joannis, illam explicat de manducatione figurata, ait enim [1] : *Hæc locutio : Nisi manducaveritis,* etc., *facinus vel flagitium videtur jubere; figura est ergo præcipiens passioni Domini esse communicandum, et suaviter atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa et vulnerata sit.* Ergo tertiam partem sexti capitis Joannis explicat de manducatione figurata.

Resp. *Nego ant.* Ad probat. *dist.;* hæc locutio : *Nisi manducaveritis*, etc., facinus vel flagitium videtur jubere, si sumatur sensu Capharnaitico, *conc.;* si sumatur sacramentaliter ad sensum Div. August. et omnium Catholicorum, *nego ant.;* est enim vera carnis Christi manducatio, veraque sanguinis ejus sumptio, sed incruento, invisibili et impassibili modo, non cruento Capharnaitarum modo.

Istam pariter *dist.* Div. Doctoris propositionem : *figura est* vacua et inanis excludens rei veritatem, *nego;* figura plena continens rei veritatem, *conc.;* loquitur enim Div. August. de speciebus quæ realiter continent corpus et sanguinem Christi : se enim explicat August. [2] : *Corpus Christi et Sanguis ex panis et vini substantia efficitur, figura vero est illud quod exterius sumitur.*

Inst. 5. Idem Augustinus ibidem inducit Christum dicentem : *Spiritualiter intelligite quod locutus sum, non hoc corpus quod videtis manducaturi estis.*

Resp. *Dist. ant.* Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis quoad modum manducandi in propria specie, *conc.;* quoad substantiam, *nego.* Unde Div. Doctor per ly *spiritualiter* excludit modum Capharnaiticum manducandi

[1] Lib. III *de Doctr. Christiana.* — [2] Tract. XXV *in Joan.*

corpus Christi in propria specie; non vero modum manducandi realiter et sacramentaliter, id est, sub speciebus panis et vini. Sic enim sese explicat[1], dicens : *Caro non prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur.* Ille namque sensus est, qui Judeos et quosdam discipulos turbavit.

SOLVUNTUR OBJECTIONES CONTRA SECUNDAM PROBATIONEM.

Objicies 1. Hæc propositio : *Hoc est Corpus meum,* est figurata : ergo non significat realem præsentiam Christi in Eucharistia.

Prob. ant. Hæc proposit. Christi de Joanne dicentis : *Ipse est Elias*[2], est figurata : ergo et ista : *Hoc est Corpus meum.*

Resp. *Nego conseq.* Ratio disparitatis est, quia Christus interpretationis causa dixit Joannem fuisse Eliam *spiritu et virtute;* nullibi autem exposuit se non fuisse locutum proprie, quando dixit : *Hoc est Corpus meum.* Imo addens : *quod pro vobis tradetur, et qui pro vobis effundetur,* se idem Corpus, eumdem Sanguinem in Eucharistia comedendum ac bibendum dare, quod pro nobis morti tradendum, et qui pro multis effundendus erat; atqui verum et proprium corpus pro nobis ad mortem obtulit, non figuram corporis; verum propriumque sanguinem, non figuram sanguinis. Ergo, etc.

Inst. 1. In hac proposit. : *Hoc est Corpus meum,* prædicatum repugnat subjecto : ergo hæc propositio figurate est accipienda. Resp. *Nego ant.*

Prob. ant. In hac proposit. : *Hoc est Corpus meum,* subjectum est panis; atqui repugnat panem esse corpus Christi : ergo, etc.

Resp. *Nego maj.* Nam pronomen *hoc* non significat panem, sed significat confuse rem contentam sub speciebus panis, in quo nulla est repugnantia.

[1] Tract. XXVII *in Joan.* — [2] Matth. XI, 24.

INST. 2. Pronomen *hoc* significat quod Christus tenebat præ manibus; sed panem tenebat præ manibus : ergo, etc.

RESP. *Dist. maj.* Significat quod Christus tenebat præ manibus, completa propositione, *conc.;* ante completam propositionem, *nego maj.* Christus autem, completa propositione, Corpus suum, non panem habebat præ manibus; propositio enim Christi fuit practica, efficiens quod significabat.

OBJICIES 2. In ista proposit. : *Hoc est Corpus meum,* verbum *est* usurpatur pro *significat :* ergo hæc propositio est figurata.

Prob. ant. Gen. XLI dicitur : *Septem spicæ plenæ, septem ubertatis anni sunt,* ubi *sunt* sumitur pro *significant :* ergo similiter, etc.

RESP. *Nego ant.* Ad prob. *nego cons.* Disparitas est, quod in primo textu sit manifesta repugnantia inter prædicatum et subjectum, neque enim spicæ possunt esse anni; in secundo autem nulla est repugnantia, sed perfecta identitas.

OBJICIES 3. Dogma præsentiæ realis conciliari non potest cum multis aliis Scripturæ testimoniis : ergo, etc.

1° Christus ait[1] : *Omne quod in os intrat, in ventrem vadit, et in secessum mittitur;* atqui impium est id de vero Christi corpore affirmare : ergo, etc.

2° Christus dicit Apostolis[2] : *Semper pauperes habetis vobiscum; me autem non semper habebitis.*

3° Marc. cap. ultimo : *Assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei;* atqui Corpus Christi naturale non potest esse simul in pluribus locis distinctis.

4° Act. XVII : *Deus non in manufactis templis habitat;* atqui Christus est Deus : ergo non est inclusus in templis singulis ubi asservantur hostiæ consecratæ.

5° Matth. XXIV : *Si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere;* ergo non est credendum Christum esse realiter in Eucharistia.

[1] Matth. XV, 17. — [2] Matth. XXVI, 11.

Resp. ad primum. *Dist. textum.* Omnis cibus communis, *conc.;* cibus Eucharisticus, *nego.* Christus itaque loquitur de cibis ordinariis et communibus qui ad corporis nutritionem destinantur; non vero de cibo Eucharistico, qui, licet in os intret et in stomachum transmittatur, non tamen in secessum emittitur, quia desinit esse Eucharisticus cum species corruptæ sunt; corrumpuntur autem in stomacho, et sub illis desinit esse Christus, unde si aliqua sit indecentia, tota est penes accidentia.

Resp. ad secundum. Disting. *Me autem non semper habebitis,* visibiliter et secundum eum statum in quo utilitatis aliquid corporalis percipere ab hominibus possim, *conc.;* invisibiliter per reproductionem sub speciebus panis et vini, *nego;* ait enim Christus : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.*

Resp. ad tertium. Concessa maj., *dist. minorem.* Corpus Christi non potest esse simul in pluribus locis distinctis, eodem modo, *conc.;* diversimode, *nego;* est enim in cœlo modo visibili, extenso et naturali, et in Eucharistia modo invisibili, inextenso et sacramentali, quæ non pugnant inter se.

Resp. ad quartum. *Dist.* Deus purus spiritus non in manufactis templis habitat, *conc.;* licet enim sit ubique, nihilominus vere dicitur non habitare in templis manufactis, id est, illis non coarctari sicut falsa hominum numina; Deus homo factus, *nego.*

Resp. ad quintum. *Nego conseq.* Ibi enim Christus nos præcise monet, ut impostores caveamus, qui se Christum vel Prophetas mentientur.

SOLVUNTUR OBJECTIONES EX PATRIBUS.

Objicies 1. Tertullianus asserit[1] Christum *in pane Corpus repræsentasse :* ergo exhibuit corpus suum tantum in figura.

Resp. *Nego conseq.* Verbum enim *repræsentare,* non

[1] Lib. 1 *contra Marcion.,* cap. 14.

semper significat rei absentis figuram et imaginem, sed quandoque significat rem in substantia præsentem, quo sensu ipse Tertullianus[1] hoc verbum adhibuit, loquens de Christo transfigurato in monte Thabor. *Itaque*, inquit, *jam eum repræsentans, hic est Filius meus dilectus*, id est, jam eum exhibens.

Inst. Idem[2] ait : *Acceptum panem et distributum Discipulis, Corpus suum illum fecit*, hoc est Corpus meum *dicendo, id est, figura corporis mei*. Ergo in Eucharistia est sola figura corporis Christi.

Resp. *Nego conseq.* Ista enim verba : *figura corporis mei*, non cadunt supra *corpus meum*, sed cadunt supra *acceptum panem ;* itaque Tertullianus agebat contra Marcionem, qui contendebat Christum fuisse contrarium Auctori veteris Testamenti, quem refellit ostendens Christum figuras veteris Testamenti adimplevisse, quando scilicet panem, qui apud Jeremiam fuit figura corporis sui, reipsa fecit corpus suum dicendo : *Hoc est Corpus meum ;* unde cum panem vocat figuram, attendit ad vetus Testamentum, non ad novum, nam addit : *Figura enim non fuisset* (in *præterito*), *nisi veritatis esset corpus*. Non dicit : *Figura non esset*, ut demonstret per figuram se non intelligere Eucharistiam, sed dicit : *non fuisset*, olim scilicet in veteri lege, *nisi veritatis esset corpus*, id est, nisi figuræ veritas succederet.

Objicies 2. S. Ambrosius[3] ait *Christum hic offerri in imagine, in cœlo autem in veritate :* ergo Christus non realiter offertur in Eucharistia.

Resp. *Nego conseq.* Cum dicit Christum offerri *in imagine*, id est, sub speciebus panis et vini ; cum dicit Christum *offerri in cœlo in veritate*, id est, revelata facie, quæ nullo modo officiunt præsentiæ reali Christi in Eucharistia.

Objicies 3. Div. August.[4] ait : *Corpus Christi verum non frangitur, igitur verus est panis qui sumitur, cum*

[1] Lib. IV *contra Marcion.* — [2] Lib. IV *contra Marcion.*, cap. 40. — [3] Lib. I *de Divinis Officiis*, cap. 48. — [4] Lib. III *de Trinit.*

Eucharistia sumitur : ergo corpus Christi non est in Eucharistia.

Resp. *Dist. textum.* Verus est panis quoad species, *conc.;* quoad substantiam, *nego;* cum enim Corpus Christi sit incorruptibile, non potest frangi in se, sed tantum in speciebus panis et vini.

Objicies 4. Multi Patres cum Augustino asserunt *impios non manducare corpus Christi in Eucharistia :* ergo, etc.

Resp. *Dist.* Non manducare utiliter, *conc.;* quia rem sacramenti non recipiunt : non manducare realiter, *nego.*

Nota. Ultra metas huic compendioso operi præfixas longius excurrendum esset, si omnia quæ ex Patribus contra dogma catholicum congerunt adversarii, et referre et refellere velleimus. Cum vero fere omnes illorum difficultates, ex nonnullorum verborum ambiguitate, quibus Veteres interdum usi sunt, enascantur, solent auctores quasdam regulas generales proponere, quarum ope, omni æquivocatione sublata, probe intelliguntur.

Regula prima. Quando SS. Patres vocant Eucharistiam aliquo nomine particulari, nihil reali præsentiæ detrahere præsumunt Sic 1° vocant illam, *signum, figuram, similitudinem, imaginem, symbolum,* etc., tum ratione *specierum* panis et vini; tum ratione *corporis* mystici Christi, quod est Ecclesia; tum ratione *corporis* Christi in cœlo, ubi nulla tegitur specie; tum ratione *realitatis* corporis Christi, quod per figuram exteriorem exhibetur. Sic 2° dicunt *typum* eodem sensu ac dicitur figura, etc., rei præsentis. Quatenus vero typus sumitur pro signo rei absentis, SS. Patres semper negarunt Eucharistiam vocari typum vel symbolum. Sic 3° dicunt *antitypon*, vel *antitypum,* id est, figurantem et figuratum, significantem et significatum; propter quod aliquando SS. Patres negant sacramentum esse Corpus et Sanguinem Christi, quia strictiori sensu non corpus est Christi, sed ipsæ species sunt Sacramentum, typus, aut symbolum rei latentis.

Secunda regula. Hoc Sacramentum dicitur *panis*, et, tum in Scriptura, tum a SS. Patribus, in sensu quem in definitione explicavimus.

Tertia regula. Nono sæculo disputabant scriptores utrum in Eucharistia idem esset corpus quod natum est ex B. V., passum, crucifixum et in Cœlos ascensum. Jam vero dissidium non erat de substantia, sed de *statu et affectionibus*, negabant enim quidam idem esse corpus Christi quoad statum et affectiones, licet agnoscerent idem esse quoad substantiam.

Quarta regula. Quum nonnulli Patres ita commendant manducationem spiritualem, ut aliam videantur excludere, intendunt repellere tantum manducationem cruentam et Capharnaicam, vel volunt realem manducationem sine spirituali et invisibili, quæ fit cum fide et charitate, nihil prodesse.

Quinta regula. Interdum nonnulli Patres tria distinguunt in Eucharistia, rem scilicet *externam*, seu species; rem *internam*, seu substantiam, et *mysticas significationes;* porro, hæc tria distinguentes, negant rem externam esse corpus Christi: leviter tangunt rem internam quatenus Christianis bene notam, et ad allegoricas seu mysticas se convertunt significationes.

Sexta regula. Quidam etiam parce et subobscure locuti sunt propter disciplinam arcani, ne mysteria in vituperium verterentur, quod semper ob oculos habendum est, cum illius temporis scripta leguntur.

Septima regula. Quando SS. Patres dicunt corpora nostra nutriri, augeri, consistere corpore Christi, id intelligunt vel in sensu improprio ratione specierum, vel non de nutrimento corporis transitorio sicut de cibo communi, sed de nutrimento et augmento permanente, quatenus corpus Christi in nobis semen incorruptum immortalitatis deponit.

Octava regula. Ad SS. Patrum genuinum sensum assequendum, necesse est attendere ad scopum quem sibi pro-

ponebant. Nam diverso modo de SS. Eucharistia locuti sunt, quia sub diverso respectu illam considerarunt, prout scopus ab illis intentus postulabat. Nimis enim ridiculum foret, aut prætendere Patrem extra quæstionem sub lite positam excurrere debuisse, aut sua verba, ex circumstantiis perpendenda, in alium sensum detorquere.

SOLVUNTUR OBJECTIONES A RATIONE PETITÆ.

Nota. Omnes ex philosophia objectiones via exceptionis exploduntur. Etenim contradictio est repugnantia inter duos terminos : unde illius perceptio notitiam terminorum importat. Ratio ergo nequit contradictionem in Eucharistia signare; terminorum enim illius, nempe naturæ corporalis, corporisque gloriosi et sacramentalis, naturam ignorat.

Objicies 1. Christus Eucharistiam instituit in sui commemorationem, juxta illud : *Hoc facite in meam commemorationem :* ergo non est præsens in Eucharistia. Resp. *Nego conseq.*

Prob. conseq. Commemoratio est rei absentis et præteritæ : ergo si Christus instituit Eucharistiam in sui commemorationem, non est præsens in Eucharistia.

Resp. *Nego utrumque conseq.* Equidem Eucharistia est commemoratio rei præteritæ et absentis, passionis nempe et mortis Christi, juxta illud Apostoli[1] : *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat;* sed hoc non impedit talem præsentiam Christi in Eucharistia.

Inst. Ergo Christus est commemoratio sui ipsius; falsum consequens. Ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Eadem enim res potest sub diverso statu excitare sui ipsius memoriam sub alio; sic Christus realiter præsens sub diversis panis et vini speciebus, est commemoratio sui ipsius ut patientis et morientis in Cruce.

[1] I Cor. xi, 26.

Objicies 2. Præsentia corporis Christi in Eucharistia est contra pietatem Deo debitam : ergo, etc. Resp. *Nego ant.*

Prob. ant. Præsentia talis exponit corpus Christi multis profanationibus, v. gr. putredini, corrosioni, etc. : ergo.

Resp. *Nego ant.* Hæc enim non cadunt in corpus Christi, sed in accidentia panis et vini; nam, ut supra jam diximus, corpus Christi in Eucharistia est impassibile.

Objicies 3. Dogma de reali Christi præsentia in Eucharistia repugnat in se, et contra illud ratio reclamat. Ergo non est admittendum.

Resp. *Nego ant.* Propter rationem in nota superiori allatam.

Prob. ant. Præsentia realis supponit compenetrationem; atqui compenetratio rationi repugnat; repugnat enim cum physicæ notionibus : ergo, etc. *Ita Bayle.*

Resp. *Nego ant.* Duplici enim ratione peccat philosophus: 1° in eo quod asserit præsentiam realem fieri non posse nisi per compenetrationem corporum; 2° in eo quod asserat compenetrationem rationi repugnare, cum non pauci philosophi contrarium doceant.

Inst. 1. Præsentia realis importat multilocationem, ut patet; atqui multilocationem corporis implicat : ergo, etc.

Resp. *Cum distinctione.* Repugnat naturaliter, *transeat,* supernaturaliter, *nego.* Ut enim jure affirmare possint adversarii multilocationem corporis repugnare, clare cognoscere deberent : 1° quid sit status supernaturalis; 2° quid sit essentia corporum, quid spatium, quid locum; atqui hæc omnia prorsus humanæ rationi sunt impervia, ut patet ex oppositis philosophorum placitis, quorum multi [1] vel hanc repugnantiam minime agnoverunt.

Dixi *transeat,* quia non desunt theologi et philosophi qui contendunt extra miraculum corpus duplicem et simultaneam habere posse existentiam, licet quo pacto illud fiat ratio humana assequi nequeat, quomodo melius non asse-

[1] Leibnitius, Voët, etc. Vid. Bergier, art. *Eucharistie.*

quitur cæcus-natus ejusdem corporis in diversis speculis multiplicationem.

Inst. 2. Præsentia realis supponeret Christum esse divisum a seipso, extensum et multiplicem pro multiplicitate locorum; hæc autem repugnant. Ergo *Prob. ant.* Inter ipsum in cœlo et ipsum in altari mediarent multa corpora : ergo.

Resp. *Nego ant.* Ad probationem, *nego ant.* Ut enim vera dici possit mediatio, requiritur quod corpus medium sit contiguum extremis, seu illorum corporum attingat extremitates; atqui corpus Christi non est contiguum aliis corporibus, utpote modo spirituali et invisibili existens in Eucharistia. Contiguitas enim tantum locum habet respectu specierum. Aliunde adversarii prius adiscere debent de quibus affirmant, quid sit locus, quid spatium, quid impenetrabilitas, etc., etc.

Inst. 3. Corpus Christi circumscribitur in cœlo et terminatur a suo loco : ergo non potest extra illum existere.

Resp. *Dist. conseq.* Non potest extra illum existere circumscriptive, *conc.;* sacramentaliter, *nego.* Etenim, si corpus Christi circumscribitur in cœlo, seu ibi existat secundum quantitatem *localiter* extensam, non potest quidem extra locum subsistere; sed secundum substantiam ex conversione panis in illum, non circumscribitur, nec terminatur a loco in altari, et ideo bene potest ex potestate extraordinarie extra illum existere; nam in ordine naturali corpus circumscribitur a loco et in loco, anima vero est in loco et non circumscribitur ab eo; atqui nunquam adversari, probare poterunt Deum non posse facere ut corpus in ordine supernaturali non circumscribatur, sicut in ordine naturali, et sit tamen locale sicut est Spiritus, et extra illum locum existere non valeat[1].

Objicies 4. Idem corpus non potest simul existere in pluribus temporibus : ergo nec in pluribus locis.

[1] Conf. P. Perrone, et abb. de Lignac, in opere cui titulus : *Présence corporelle de l'homme en plusieurs endroits,* etc.

Resp. *Nego conseq.* Ratio est, quia plura loca possunt simul existere, non autem plura tempora, præteritum nempe, præsens et futurum. Est enim de temporis ratione, ut sit successivum, et solum præsens existit.

Dices 5. Si corpus Christi in pluribus locis posset simul existere, sequeretur, 1° quod posset ubique esse, et esse immensum : 2° quod posset dici de eodem in diversis locis, manducatur, et non manducatur, existit, et desinit esse, est majus et minus, etc.; atqui hæc sunt absurda : ergo.

Resp. *Nego conseq.* Et responsio patebit ex articulis sequentibus. Nota tantum has et alias similes nugas esse totidem sophismata quæ vocant Logici : ***transitus de ordine ad ordinem.***

ARTICULUS V.

DE MODO QUO CHRISTUS PONITUR IN EUCHARISTIA.

Nota 1. Triplex excogitari potest modus quo corpus et sanguis Christi vere ac realiter præsentia fiant in Eucharistia, nempe : impanatio, consubstantiatio, et transsubstantiatio.

Impanatio est unio hypostatica Verbi divini cum pane, eo fere modo quo ipsum Verbum per incarnationem humanæ naturæ fuit unitum ; ideoque veri impanatores non Corpus Christi, sed tantummodo Verbum divinum in Eucharistia admittunt[1].

Consubstantiatio est simultanea panis et Corporis Christi præsentia in Eucharistia ; hanc admittit Lutherus, quam videtur etiam admisisse Durandus[2].

Transsubstantiatio, juxta Trident.[3], est *mirabilis et singularis conversio ipsius substantiæ panis in Corpus, et totius substantiæ vini in Sanguinem* (Christi), *manentibus duntaxat speciebus panis et vini.*

[1] Impanationis primus auctor fuit Rupertus, abbas Tuitiensis. — [2] In 4, dist 21, quæst. 3. — [3] Sess. 13, can. 2.

Nota 2. Hic duo sunt resolvenda : *primum,* per quem modum Christus ponatur in Eucharistia; *secundum,* per quam actionem panis et vinum convertantur in Corpus et Sanguinem Christi, an scilicet actio illa sit simplex adductio rei jam productæ; vel an sit nova reproductio Corporis Christi. *Primum* pertinet ad fidem ; *secundum,* ad opinionem scholæ. Itaque

CONCLUSIO I.

Eucharistia non conficitur per impanationem, nec consubstantiationem, sed per transsubstantiationem.

Prob. prima pars. Impanatio est hypostatica unio Verbi divini cum pane ; atqui Christus non ponitur in Eucharistia per unionem hypostaticam Verbi divini cum pane, alias non esset *conversio,* et veræ essent illæ propositiones : *panis est Corpus Christi, Corpus Christi est panis,* quod est falsum. Ergo, etc.

Dices : Div. Joan Damasc.[1] : *Christus conjugavit pani et vino divinitatem, et fecit ea Corpus et Sanguinem suum; et ita panis communicationis non est panis simplex, sed unitus divinitati ;* atqui communicatio est rerum actu existentium : ergo panis et vinum simul sunt cum Corpore et Sanguine Christi.

Resp. Cum Div. Thom.[2] *quod Deus conjugavit divinitatem suam, id est, divinam virtutem, pani et vino, non ut remaneant in illo Sacramento, sed ut faciat inde Corpus et Sanguinem suum.*

Prob. secunda pars. Si in Eucharistia panis remaneret cum Corpore Christi, panis non converteretur in Corpus Christi ; atqui de fide est totam substantiam panis converti in Corpus Christi : ergo et de fide est panem non remanere in Eucharistia.

[1] Lib. iv *de Fide.* — [2] 3 p., quæst. 75, art. 2, ad 1.

PROB. TERTIA PARS. Ex verbis Christi[1] : *Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus.* Quæ verba, fatentibus Lutheranis, demonstrant corpus et sanguinem Christi, non vero solam illorum figuram et imaginem ; unde sic arguo :

Si substantia panis et vini non convertatur in corpus et sanguinem Christi, hæc verba : *Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus,* erunt falsa; falsum consequens : ergo, etc.

Prob. sequela majoris. Si substantia panis et vini non convertatur in corpus et sanguinem Christi, sensus illorum verborum hic erit : *Hic panis est Corpus meum, hoc vinum est Sanguis meus;* atqui falsum est panem esse corpus Christi et vinum ejus sanguinem : ergo, etc.

Prob. maj. Pronomina *hoc* et *hic* non demonstrant nisi substantiam ex natura sua substratam iis accidentibus quæ indicantur, quamdiu illa substantia iis accidentibus subest : ergo si substantia panis et vini remaneat, pronomina *hoc* et *hic* non demonstrabunt nisi panem et vinum, ac proinde sensus istorum verborum erit : *Hic panis est Corpus meum,* etc.

Confirmatur ex Traditione. Uno ore clamant SS. Patres : 1° in Eucharistia non esse panem communem, sed Corpus Christi verum ; panem et vinum verbis Christi in corpus et sanguinem converti[2]; 2° panem mutari, transmutari, immutari, transire, transformari, *translementari* in Corpus Christi[3]; 3° vinum converti in Sanguinem Christi, sicut aquam in vinum in Cana Galilææ[4]; atqui omnes isti, sicut et similes modi loquendi quibus usi sunt SS. Patres, significant veram unius rei transsubstantiationem in aliam. Ergo.

Hinc Concil. Trident.[5] definit : *Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis et vini una cum Corpore et Sanguine Domini nostri Jesu*

[1] Matth. XXVI, 26 et 28. — [2] S. Cyrillus Alex., epist. *ad Calosyrium;* Eusebius Emissenus, S. Greg. Mag. — [3] SS. Cypr., Cyrill. Hierosol., Ambros., Gregor. Nyss., etc., apud Bellarm. — [4] S. Cyril. Hierosol., *Catechesi mystag.* 4, et alii. — [5] Sess. 13, can. 2.

Christi, negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiæ panis in Corpus, et totius substantiæ vini in Sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis et vini..., anathema sit.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Omnis novitas in materia religionis est suspecta et eliminanda; atqui istud nomen, *transsubstantiatio,* est novum : ergo eliminandum.

RESP. *Dist. maj.* Omnis novitas realis, *conc.;* grammaticalis, *nego maj.;* atqui nomen *transsubstantiatio* est novum grammaticaliter et quoad syllabas, *conc.;* quoad rem, *nego min.*

Itaque, licet hæc vox, *transsubstantiatio*, sit nova quoad syllabas, non est nova quoad rem significatam tali voce; et ideo, sicut Ecclesia potuit in Concilio Nicæno I, vocem *consubstantialis* usurpare ad firmandam suam fidem contra Arianos, ita in Concil. Florent., Lateran. et Trident., potuit usurpare hanc vocem, *transsubstantiatio,* ad fidem catholicam expressius exponendam contra Lutheranos.

OBJICIES 2. Hæc propositio de lagena vino plena : *Hoc est vinum,* est vera sine conversione lagenæ in vinum; ergo similiter hæc propositio : *Hoc est Corpus meum,* est vera sine conversione panis in Corpus.

RESP. *Nego conseq.* Disparitas est, quia, secundum communem usum loquendi, continens est institutum ad demonstrandum contentum; at panis et vinum non sunt aliquid institutum ad aliud continendum; jocaret enim qui de pane, in quo nummus occultaretur, diceret : *Hoc est nummus.*

OBJICIES 3. Apostolus et SS. Patres Eucharistiam post consecrationem vocant panem : ergo in Eucharistia remanet panis.

RESP. *Nego conseq.* Itaque Eucharistia vocatur panis : 1° *transitive,* quia prius erat panis; sic aqua post sui con-

versionem in vinum, vocatur aqua, *ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam*[1]; 2° *extrinsece*, quia remanent apparentiæ et species panis; sic Angeli[2] appellantur viri, quia sub specie humana apparuerunt; 3° *analogice*, quia sicut panis nutrit corpus, ita Eucharistia nutrit animam.

OBJICIES 4 CUM DURANDO. In omni mutatione substantiali, materia rei conversæ remanet sub nova forma quam acquirit; atqui in Eucharistia fit mutatio substantialis panis in corpus, et vini in sanguinem Christi : ergo remanet materia.

RESP. *Dist. maj.* In mutatione naturali et formali tantum, remanet materia, *conc.;* miraculosa et totali, *nego maj.;* conversio autem panis eucharistici est miraculosa et totalis; unde vocatur a Trident. : *mirabilis conversio totius substantiæ panis :* ergo et ipsius materiæ, quæ procul dubio pars est substantiæ.

INST. 1. Div. Damascenus[3] asserit *mutari panem in carnem Christi, sicut in nutritione hominis;* sed in nutritione hominis remanet materia sub forma diversa : ergo, etc.

RESP. *Dist. textum.* Asserit panem mutari *omnimode* sicut in nutritione hominis, *nego; analogice* mutari, *conc.;* nam vocatur a Concil. Trident.[4] : *mirabilis et singularis conversio,* cujus exemplum non extat, aut extitit in rerum natura. Quare conversiones quas in exemplum adducunt Patres, valent quidem ad explicandum quomodo virtute divina panis sic convertatur in corpus Christi ut desinat esse panis; sed non sunt aptæ ad exhibendam totaliter transsubstantiationem : in omni enim comparatione est quædam disparitas, alias non esset comparatio, sed identitas.

INST. 2. Sensuum bene dispositorum, et omnibus ad agendum requisitis instructorum testimonio credendum

[1] Joann. II, 9. — [2] Genes. XVIII, et Act. I, 10. — [3] Lib. IV *de Fide.* — [4] Sess. 13, can. 3.

est, cum circa proprium objectum falli non possint; atqui sensus, *visus* nimirum, *tactus, gustus* et *odoratus*, uniformiter, et in omnibus, et perpetuo testantur Eucharistiam post consecrationem esse panem et vinum. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Sensuum testimonio credendum est, in judicio de qualitatibus rei quæ sunt sensuum objectum, *conc.;* in judicio de natura rei quæ est mentis objectum, *nego.* Quamvis ergo sensus non fallantur, cum objectum sensibile percipiunt secundum impressionem ab hujusmodi objecto in illis factam, fallitur tamen intellectus, si recta ratione, vel divina auctoritate repugnante et prohibente, juxta relationem sensuum de objecti natura judicium ferat. Hinc non falluntur sensus, cum in Eucharistia speciem panis et vini, figuram et cæteras qualitates sensibiles percipiunt; falleretur tamen intellectus, si ex perceptione qualitatum panis et vini a sensibus facta, et ad se relata, panis et vini substantiam, post consecrationem, superstitem esse judicaret, quia judicium hujusmodi fides prohibet, Christo dicente : *Hoc est Corpus meum...* Ita hoc argumentum præoccupavit S. Cyrillus Jerosolym., Catechesi 6 Mystag. : *Nam etsi sensus aliud tibi renuntiat, fides te confirmet, ne judices rem ex gustu, sed te citra ullam dubitationem fides certum reddat... qui videtur panis, non panis est, quamvis gustui videatur.*

CONCLUSIO II.

Transsubstantiatio non est simplex Corporis et Sanguinis Christi adductio, sed est vera eorumdem reproductio. Est Thomistarum contra Scotistas.

Probatur prima pars. Quia transsubstantiatio formaliter dicit conversionem; atqui adductio conversionem non importat, cum solum dicat translationem de loco in locum. Ergo, etc.

Probatur secunda pars. Quia ibi est proprie dicta repro-

ductio, ubi res accipit idem numero esse secundum omnes gradus suos, tum physicos, tum metaphysicos; atqui corpus et sanguis Christi in Eucharistia accipiunt idem numero esse secundum omnes gradus suos, tum physicos, tum metaphysicos : ergo in Eucharistia est proprie dicta reproductio corporis et sanguinis Christi.

Dices : Si corpus Christi reproduceretur, non esset in Eucharistia idem illud corpus quod de Virgine natum est, et in cruce suspensum; falsum consequens. Ergo, etc.

Resp. *Nego seq. maj.* Equidem naturaliter non potest reproduci idem corpus in individuo, sed potest supernaturaliter; at in hoc Sacramento omnia sunt supernaturalia et miraculosa, est enim *mirabilis et singularis conversio,* ait Concil. Trident. Et ideo monent SS. Patres transsubstantiationem fide humili esse credendam, sed transsubstantiationis modum non esse curiosius inquirendum, nec dicendum cum animalibus Judæis : *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?*

Inst. 1. Quod est productum, non potest produci; atqui corpus Christi antequam ponatur in Eucharistia, est productum. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Non potest produci simpliciter, *conc.;* non potest produci secundum quid, *nego maj.* Itaque terminus formalis transsubstantiationis, non est corpus Christi simpliciter sumptum, sed est corpus Christi quatenus fit ex pane in cujus locum succedit; unde non fit ex nihilo, sed ex substantia panis tanquam ex termino a quo.

Inst. 2. Nemo potest seipsum producere; atqui in nostra sententia Christus seipsum produceret. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Nemo potest seipsum producere quoad primum esse, *conc.;* quoad esse reproductum, *nego maj.* Nam Christus consecrando in ultima cœna seipsum reproduxit. Hac distinctione possunt solvi cæteræ objectiones, nam multa videntur impossibilia in prima productione, quæ non sunt in secunda.

Quæres : *Utrum substantia panis et vini post consecrationem annihiletur?*

Resp. *negative.* Ratio, quia ad annihilationem requiritur ut res secundum omnes suas partes desinat, et illius desinationi nihil succedat, nam annihilatio creationi opponitur; porro in creatione terminus *a quo* est nihilum, et terminus *ad quem* est *esse:* ergo in annihilatione terminus *a quo* est *esse* et terminus *ad quem* est nihilum; atqui in Eucharistia, licet nihil substantiæ panis remaneat, sed penitus desinat, non tamen desinit in nihilum, sed ex illo sequitur corpus Christi. Ergo, etc.

Hinc ad veram et strictam conversionem tria requiruntur a Theologis : 1° ut termini conversionis, nempe terminus *a quo,* et terminus *ad quem* sint aliquid positivum; 2° ut aliquid desinat esse, et aliquid succedat in locum ejus quod desinit; 3° ut non sit mera concomitantia, sed quædam connexio et dependentia inter desinationem unius, et *incœptionem* alterius, et vi desinationis fiat successio[1].

Plures tamen non infimæ notæ, ut Vasquez, Franciscus Veronius, P. Perrone, etc., docent non *improbabiliter* transsubstantiationem in suo *conceptu formale* consistere in relatione *externa* et *rationis,* ordinis inter substantiam quæ desinit, et eam in quam desinere dicitur vi verborum Christi; ita ut transsubstantiatio nihil aliud addat reali præsentiæ, nisi *cessationem panis in ordine ad realem præsentiam,* quo verba Christi sunt vera. Desinit autem per destructionem.

ARTICULUS VI.

DE MODO QUO CHRISTUS EST IN EUCHARISTIA.

Nota. Cum multa circa modum quo Christus est in Eucharistia, occurrant exponenda, brevitatis gratia distinctis quæstiunculis omnia enucleate discutiemus.

[1] Vid. Billuart, *de Eucharist.;* Bellarm., lib. III, cap. 17; Perrone, *de Eucharist.,* cap. 2, ad 1.

Quæres 1. *Quænam in Eucharistia ponantur vi verborum, et quænam per concomitantiam?*

Nota. Illud dicitur poni in Eucharistia *vi verborum,* quod expresse significatur per verba formæ.

Illud dicitur poni *per concomitantiam,* quod per verba formæ non exprimitur, sed habet necessariam connexionem cum eo quod exprimitur per verba formæ.

Resp. ad primum. Vi verborum solum Corpus Christi ponitur sub specie panis, et solus Sanguis sub specie vini. Ratio est, quia illud solum continetur in Eucharistia vi verborum, quod expresse significatur per verba formæ; atqui per verba consecrationis panis solum Corpus, et per verba consecrationis vini solus Sanguis expresse significatur. Ergo, etc.

Resp. ad secundum. Per concomitantiam sub specie vini, ponitur corpus et anima, et sub specie panis, ponitur sanguis et anima; item sub utraque specie ponitur divinitas.

Ratio primæ partis est, quia Corpus Christi in Eucharistia est vivens; at non potest esse vivens sine sanguine et anima : ergo, etc. Item Sanguis Christi in Eucharistia est sanguis hominis viventis; atqui non potest esse sanguis hominis viventis sine corpore et anima : ergo, etc.

Ratio secundæ partis est, quia quod semel Christi divinitas assumpsit, nunquam dimisit; atqui assumpsit omnes partes hominis : ergo eas nunquam dimisit · ergo est cum ipsis in Eucharistia, et consequenter etiam personalitates Patris et Spiritus Sancti sunt ibi præsentes, propter eorum cum divinitate identificationem.

Confirmatur : Ex Concil. Trident. dicente[1] : *Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem, verum Domini nostri Corpus, verumque ejus Sanguinem sub panis et vini specie, una cum ipsius anima et divinitate existere; sed Corpus quidem sub specie panis, et Sanguinem sub vini specie ex vi verborum; ipsum autem Corpus sub*

[1] Sess. 13, cap. 3.

specie vini, et Sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis et concomitantiæ, qua partes Christi, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur; divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore et anima hypostaticam unionem.

Dices : Totum Corpus est sub specie panis vi verborum; sed anima est forma corporis : ergo anima est sub specie panis vi verborum.

Resp. *Nego min.* Anima enim non est forma corporis, sed hominis, nam corpus est in suo esse completum sine anima.

Inst. Saltem Sanguis est sub specie panis vi verborum, quia ossa, nervi et cæteræ corporis partes sunt in Eucharistia vi verborum; sed sanguis est pars corporis : ergo, etc.

Resp. *Dist. min.* Sanguis est pars corporis vivi et animati, *conc.;* corporis mortui, *nego min. et conseq.*

Itaque Corpus Christi est in hoc Sacramento ut immolatum, non autem ut vivens, nisi ratione concomitantiæ, qua fit ut anima post resurrectionem unita corpori ab eo amplius separari non possit; cæteræ autem partes Corporis sunt in Eucharistia vi verborum, quia non fuerunt a Corpore separatæ sicut Sanguis. Ex hac responsione

Resolves, quod si in triduo mortis Christi consecrassent Apostoli, solum corpus fuisset sub specie panis et solus sanguis sub specie vini; sola divinitas iisdem, id est et corpori et sanguini, fuisset per concomitantiam supernaturalem et hypostaticam unita.

Quæres 2. *Utrum totus Christus sit sub qualibet parte specierum panis et vini?*

Resp. Christum esse sub qualibet vel minima parte specierum non solum post divisionem, sed etiam ante.

Prob. prima pars. Sic eam definivit Concil. Trident.[1] his verbis : *Si quis negaverit in venerabili Sacramento Eu-*

[1] Sess. 13, can. 33.

charistiæ sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus. separatione facta, totum Christum contineri, anathema sit. Preiverat Eugenius IV, in suo decreto, his verbis : *Totus Christus continetur sub specie panis, et totus sub specie vini; sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ et vini consecrati, separatione facta, totus est Christus.*

Prob. secunda pars. Fide constat, *facta separatione* specierum, Christum totum esse sub singulis illarum partibus divisis; unde concluditur quod Christus sub illis partibus ante separationem subsistat; nam per consecrationem non fit nova consecratio, qua de novo sistat corpus Christi præsens : ergo, si præsens est post divisionem, necesse est quod fuerit totus in continuis partibus ante separationem. *Ita communiter.*

Dices : Ergo corpus Christi erit infinities in una eademque hostia, quod est absurdum.

Resp. *Nego illatum.* Numerus enim supponit divisionem. Anima autem rationalis non est pluries in eodem corpore, licet sit tota in toto corpore et tota in singulis partibus corporis.

Quæres 3. *Utrum Corpus Christi in Eucharistia quantitatem suam habeat?*

Nota. Quæstio est de quantitate interna et externa.

Quantitas *interna* est accidens quod distinguit partes a partibus in ordine ad se, easque ordinat cum proxima aptitudine ad extensionem externam et impenetrationem.

Quantitas *externa* est accidens quod extendit substantiam in ordine ad locum, ita ut una pars respondeat uni parti loci, altera alteri, cum actuali impenetratione et resistentia.

Interna quantitas est essentialis corpori, non autem *externa,* quæ est solum effectus primæ. Itaque

Resp. Christus in Eucharistia habet quantitatem internam, non autem externam.

Ratio primæ partis est, quia Corpus Christi in Eucharistia est corpus organizatum; atqui corpus organizatum habet partes extra partes in ordine ad se, cum aptitudine ad extensionem externam et impenetrationem : ergo Corpus Christi in Eucharistia habet suam quantitatem internam.

Ratio secundæ partis est, quia Corpus Christi in Eucharistia nullum locum occupat per partes, nec est actu extensum, divisibile et impenetrabile : ergo non habet quantitatem externam.

Dices : Quantitas non potest esse sine suo effectu formali; atqui effectus formalis quantitatis, est extensio externa in ordine ad locum, et impenetratio. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Quantitas non potest esse sine suo effectu formali primario, *conc.;* sine suo effectu secundario, *nego maj.* Effectus primarius quantitatis est aptitudo proxima ad impenetrabilitatem et extensionem localem; effectus vero secundarius est ipsamet actualis extensio; hoc posteriori effectu privari potest quantitas, non priori.

Inst. 1. Non potest spiritus esse in loco extensive et divisibiliter : ergo nec corpus potest esse in loco inextensive, impenetrative et indivisibiliter.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quia spiritus nullas habet partes quæ possint loco commensurari; at corpus, etsi habeat partes distinctas in ordine ad se, non tamen necessario et essentialiter (Deo ita volente) partes illas habet extensas in ordine ad locum. Extensio enim in loco supponit extensionem rei in se; at extensio rei in se non necessario importat extensionem rei in loco, cum extensio localis sit quid posterius, sine quo prior extensio potest consistere.

Inst. 2. Si Corpus Christi sit inextense et indivisibiliter in Eucharistia, partes ejus confundentur, siquidem omnes in puncto indivisibili continebuntur; absurdum consequens. Ergo, etc.

Resp. *Nego seq. maj.* Partes enim illam dispositionem

naturalem retinent, etsi in ordine ad locum non habeant actualem extensionem : hincque fit ut vel in minima parte hostiæ totum sit et integrum Corpus Christi, sicut tota ratio substantiæ reperitur in singulis partibus corporis.

Quæres 4. *An Christus in Eucharistia possit agere?*

Resp. Christus in Eucharistia potest elicere actiones spirituales, ut sunt volitio, intellectio : non potest autem elicere actiones a sensibus dependentes, quales sunt visio, auditio, etc.

Ratio primæ partis est, quia actiones spirituales non indigent certa extensione in organo : ergo Christus, licet sit in Eucharistia modo inextenso, potest actiones vitales spirituales elicere.

Ratio secundæ partis est, quia sensus externi non agunt nisi per species ab objectis receptas; sed sensus externi Corporis Christi nullas possunt species ab objectis recipere : ergo Christus in Eucharistia nullas actiones sensitivas potest elicere.

Prob. min. Sensus externi non possunt recipere species objectorum, utpote materiales et quantæ, nisi habeant suam extensionem externam; atqui sensus externi Corporis Christi non habent suam extensionem externam : cum nec ipsum corpus eam extensionem habeat. Ergo, etc.

Quæres 5. *An Christus in Eucharistia possit pati alterationem ab agentibus naturalibus*, v. gr. *calefieri, frigefieri*, etc.?

Resp. *negative.* Quia alteratio requirit contactum quantitativum; sed Corpus Christi, utpote quantitate externa privatum, non est capax contactus quantitativi : ergo, etc.

Quæres 6. *An Corpus Christi in Eucharistia possit moveri?*

Resp. Potest moveri per accidens, ad motum scilicet specierum, alias non posset deferri ad infirmos, quod repugnat definitioni Tridentini[1].

[1] Sess. 13, cap. 5.

ARTICULUS VII.

DE REMANENTIBUS IN EUCHARISTIA SPECIEBUS.

QUÆRES 1. *An accidentia post consecrationem remanentia habeant aliquod subjectum?*

Nota. Aliqui, cum P. Magnan, negant accidentium eucharisticorum realitatem a parte rei, et sic quæstionem devitant; sed hoc ineptum, quia tunc 1° Eucharistia apparenter tantum esset signum visibile; 2° Pixide occlusa, totaliter signum istud cessaret, et consequenter Sacramentum non esset permanens.

Posita realitate accidentium a parte rei, duplex est sententia, Thomistarum nempe, et Recentiorum.

Ex Recentioribus, de accidentis essentia est esse in subjecto. Unde, juxta eos, necesse est accidentibus eucharisticis esse aliquod subjectum substantiale. De illius autem subjecti natura, duplex est præcipua opinio. — *Prima* est Anastasii Sinaitæ, et aliorum, juxta quam accidentia in Corpus Christi transeunt, et in eo subsistunt : sed eam esse falsam *manifestum est,* ut ait Div. Thomas[1], *quia substantia humani corporis nullo modo potest his accidentibus affici; neque etiam est possibile quod Corpus Christi gloriosum et impassibile existens alteretur ad suscipiendas hujusmodi qualitates.* — *Secunda* est Abeilardi, juxta quam accidentia in aere Corpus Christi circumdanti remanent : sed hæc inepta, quia 1° moto aere, moverentur accidentia, quod falsum; 2° aer istorum accidentium non est capax; 3° accidentia non transeunt de subjecto in subjectum. — Alias aliquot opiniones, ab omnibus rejectas, omittimus.

Ex Thomistis et pene omnibus antiquis, definitio accidentis, ut sic, *non est ens in subjecto, sed cujus essentiæ competit habere esse in subjecto,* seu id quod est *aptum* esse in subjecto[2]. Si autem in specie sumatur accidens,

[1] 3 p., quæst. 77, art. 1. — [2] S. Thom., 3 p., quæst. 77, art. 1.

duplex est : *absolutum,* de cujus es entia quidem est aptitudo ad subjectum, non vero actualis inhærentia; sic, v. gr. quantitas dimensiva; *modale,* de cujus essentia est et aptitudo et actualis inhærentia; sic, v. gr. gradus intensitatis in calore. Inter utrumque ergo hæc est differentia, quod actualis inhærentia est *modali essentialis,* at *absoluto naturalis* tantum. — *Colliges :* Ergo 1°, ex Thomistis, in composito naturali, duplex est subjectum : *mediatum* nempe, seu substantia, cui naturaliter adhærent accidentia absoluta, et mediate modalia : *immediatum,* seu accidens absolutum, quantitas nimirum, cui modalia essentialiter et immediate adhærent. 2° Subjectum mediatum non est essentiale, sed tantum naturale, unde supernaturaliter auferibile : immediatum vero est essentiale. Quibus positis, cum S. Thoma

Resp. Accidentia eucharistica sunt sine subjecto inhæsionis mediato; cætera tamen a quantitate, sunt in ipsa quantitate panis et vini tanquam in subjecto immediato.

Prob. prima pars. Ex Conciliis : Constantiensi[1], ubi damnatur hæc propositio Wiclefi : *Accidentia panis non manent sine subjecto;* et Trident.[2], definiente in Eucharistia fieri *conversionem totius substantiæ panis in Corpus, et totius substantiæ vini in Sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis et vini.*

Prob. secunda pars. Quia quantitas est proprietas materiæ, qua mediante recipit alia accidentia, puta colorem, frigus : ergo sicut accidentia panis et vini subjectabantur immediate in quantitate ante consecrationem, et mediante quantitate in ipsa panis et vini substantia, ita et post consecrationem, sublata substantia, subjectantur in quantitate.

Objicies *contra primam partem :* Accidens non potest esse sine subjecto; atqui species sunt accidentia : ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Accidens non potest esse sine subjecto,

[1] Sess. 8. — [2] Sess. 24, can. 2.

naturaliter, *conc.;* supernaturaliter, *nego maj.;* omnia enim Deo sunt possibilia.

Inst. 1. Quod implicat, non potest fieri, ne quidem divinitus; atqui accidentia esse sine subjecto implicat : ergo... Resp. *Nego min.*

Prob. min. Implicat essentiam rei separari ab ipsa re; atqui esse in subjecto est de essentia accidentis : ergo, etc.

Resp. *Dist. min.* Esse in subjecto actu est essentia accidentis, *nego;* esse in subjecto aptitudine et radicaliter, *conc. min.*

Inst. 2. Accidens definitur : *Ens alteri inhærens;* ergo inhærentia est ipsi essentialis.

Resp. *Dist. conseq.* Inhærentia radicalis et aptitudinalis, *conc.;* inhærentia actualis, *nego conseq.;* sic substantia definitur : *Ens per se subsistens,* et tamen privari potest sua actuali subsistentia, ut constat in mysterio Incarnationis.

Inst. 3. Accidens individuatur ex subjecto : si ergo accidentia eucharistica sunt sine subjecto, non sunt individua, sed universalia.

Resp. *Dist. ant.* Accidens individuatur semper ex subjecto cui inhæret, *nego;* saltem cui inhæserit, *conc. ant.* Itaque, ait Div. Thomas[1], *accidentia* (eucharistica) *acquisierunt* esse *individuum in substantia panis et vini, quæ conversa in corpus et sanguinem Christi, remanent, virtute divina, accidentia in illo* esse *individuato quod prius habebant.*

Objicies *contra secundam partem :* Damnata est hæc propos. Wiclefi : *Accidentia panis non manent sine subjecto in hac Sacramento;* ergo, etc.

Resp. *Dist. proposit.* Wiclefi : Accidentia non manent sine subjecto substantiali et mediato, *conc. damnationem;* accidentali, *nego damnationem;* ideo enim Wiclefus fuit damnatus, quia volebat esse in Sacramento subjectum substantiale et mediatum.

[1] 3 p., quæst. 77, art. 1.

QUÆRES 2. *Quandonam corpus Christi desinat esse sub speciebus?*

RESP. Desinit quando accidentia necessaria ad conservandam substantiam panis et vini, corrupta sunt.

Corollarium.

Ex dictis sequitur Christum in Eucharistia adorandum esse cultu latriæ; quod definitum est a Concil. Trident.[1] his verbis : *Si quis dixerit in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum Unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ, etiam externo, adorandum, atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus, secundum laudabilem et universalem Ecclesiæ sanctæ ritum et consuetudinem, solemniter circum gestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et ejus adoratores esse idololatras, anathema sit.*

Etenim illum eumdem Deum, inquiunt Tridentini Patres, præsentem in eo Sacramento adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit : *Et adorent eum omnes angeli Dei,* quem Magi prædicantes adoraverunt, quem denique in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur[2]. Huic veritati consonat universa Traditio : unde Theodoretus : *Symbola mystica,* inquit, *et creduntur et adorantur*[3]*;* et S. Ambrosius explanans illa verba *Psalm.* XCVIII : *Adorate scabellum pedum ejus : Per scabellum,* inquit, *terra intelligatur, per terram autem caro Christi, quam hodieque in mysteriis adoramus, et quam Apostoli in Domino Jesu adorarunt*[4]. Et S. Augustinus dicit : *Nemo illam carnem manducat, nisi prius adoraverit.*

Porro, nihil in Ecclesia Dei sic refrigescentem zelum corroborat, pietatem nutrit, amoris ardorem inflammat, quam cultus quo Christus adoratur in Eucharistia, ut ipse Leib-

[1] Sess. 18, can. 6. — [2] Luc. VII, 12. — [3] Dial. II. — [4] Lib. V *de Spiritu,* cap. 11, num. 78 et 79.

nitius fatetur dicens : *Nulla* (causa devotionis) *major præberi christianis potest, quam quæ se offert in divino hoc Sacramento, ubi Deus ipse nobis præsentiam assumpti corporis præbet* [1].

Nec in hoc timendum est idololatriæ formalis peccatum, sive propter species, quæ Christi Corpus non sunt, sive in casu quo hostia falso putaretur consecrata; tum quia adoratio formalis pendet ab intentione adorantis, quæ tota in Christum fertur; tum quia probe noscunt fideles species adorari non posse, quia cultus latriæ exhibetur Sacramento, prout Sacramentum dicit rem signatam, scilicet Christum ipsum, non vero prout tantum dicit signum, ut docent Patres Tridentini.

CAPUT II.

DE MINISTRO EUCHARISTIÆ.

Nota. Alius est minister Eucharistiæ conficiendæ, alius Eucharistiæ administrandæ. De ipsis duplici articulo.

ARTICULUS I.

QUIS SIT MINISTER EUCHARISTIÆ CONFICIENDÆ.

Nota. Lutherus [2] docuit omnes fideles, virtute Baptismi, potestatem habere consecrandi Eucharistiam, neminem tamen ea potestate uti debere, nisi ad hoc officium a communitate deputatus fuerit. Contra ipsum sit

[1] *Systema Theol.*, p. 258. — [2] Lib. *de Captiv. Babylonica.*

CONCLUSIO.

Solus et omnis Sacerdos rite ordinatus valide Eucharistiam conficere potest. Est de fide, ex definitione Concil. Trident. his verbis[1] : *Si quis dixerit, illis verbis :* Hoc facite in meam commemorationem, *Christum non instituisse Apostolos, Sacerdotes ut offerrent Corpus et Sanguinem suum, anathema sit.*

Prob. 1. Illi soli potestatem habent Eucharistiam conficiendi, quibus a Christo hæc potestas concessa est ; atqui solis Sacerdotibus potestas Eucharistiam conficiendi a Christo concessa est. Ergo, etc.

Prob. min. Illis solis potestas conficiendi Eucharistiam est concessa, quibus Christus dixit : *Hoc facite in meam commemorationem ;* atqui solis Sacerdotibus Christus dixit : *Hoc facite,* ut constat ex perpetua traditione Ecclesiæ, cujus testes sunt Tertullianus, Epiphanius, Justinus in *Apol.* 2, Hieronymus *contra Lucif.*, aliique communiter. Propterea, si hæc verba ad simplices Christianos spectarent, dicendum esset omnes laicos, ex præcepto divino teneri consecrare, quod non admittunt hæretici.

Prob. 2. *Ex Concil. Nicæno* I[2] dicente : *Pervenit ad S. Synodum, quod in nonnullis locis Diaconi dent Presbyteris Eucharistiam, quod nec Canon, neque consuetudo tradidit, ut qui offerendi potestatem non habent, iis qui offerunt dent Corpus Christi.* Ergo si Diaconi non habent potestatem Eucharistiam conficiendi, multo minus hanc habet quilibet Christianus.

Dixi *omnis Sacerdos ;* nam sive sit hæreticus, schismaticus, excommunicatus, degradatus, vel suspensus, valide consecrat, quamvis gravissime peccet, si illud faciat aliqua tali censura vel peccato mortali innodatus : quia hæc po-

[1] Sess. 12, can. 2. — [2] Can. 18.

testas non est *jurisdictionis*, sed *Ordinis;* atqui talis sacerdos non amisit characterem sacerdotalem, neque potestatem Ordinis : ergo, etc. Hinc redeuntes ab hæresi non ordinantur iterum, ut habetur in jure[1].

OBJECTIONES.

Objicies 1. Hæc verba : *Hoc facite in meam commemorationem,* dicta sunt omnibus fidelibus in persona Apostolorum : ergo, etc.

Prob. ant. Hæc verba : *Baptizantes eos,* etc., dicta sunt omnibus fidelibus in persona Apostolorum : ergo a pari, etc.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas desumitur ex voluntate Christi nobis per traditionem et praxim Ecclesiæ, cujus est verum sensum Scripturæ exponere, intimata.

Inst. 1. Prælaudata verba dicta sunt omnibus, qui memoriam Passionis Christi tenentur recolere ; atqui omnes fideles tenentur memoriam Passionis Christi recolere, etc.

Resp. *Dist. min.* Laudata verba dicta sunt omnibus, qui tenentur memoriam Passionis Christi recolere, conficiendo Eucharistiam, *conc.;* sumendo, *nego maj.;* alias dicta essent non solum viris, sed etiam feminis, quod est error Collyridianorum, teste Epiphanio, hæresi 49.

Inst. 2. Atqui omnes fideles tenentur memoriam Passionis Christi recolere conficiendo : ergo, etc.

Prob. subsumpt. Omnes fideles sunt sacerdotes : ergo omnes tenentur memoriam Passionis Christi recolere conficiendo.

Prob. ant. Ex Div. Petro, qui alloquens omnes fideles ait[2] : *Vos autem genus electum, regale sacerdotium.* Ergo omnes fideles sunt sacerdotes.

Resp. *Dist. conseq.* Sunt sacerdotes sacerdotio improprie sumpto, nempe pro spirituali potestate offerendi Deo preces ac bona pietatis opera, quæ sunt spirituales hostiæ, *conc.;*

[1] Cap. *Convenientibus,* 1, quæst. 7; cap. *Ordinationes,* 9, quæst. 1. — [2] Epist. I, cap. II.

sunt sacerdotes sacerdotio proprie sumpto, nempe pro potestate consecrandi Eucharistiam, *nego conseq.* Seipsum exponit Div. Petrus eodem capite, dicens : *Ipsi tanquam lapides vivi superædificamini domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias acceptabiles Deo per Jesum Christum.*

Objicies 2. Concil. Arelatense I[1] vetat ne Diaconi, quos cognovit multis locis offerre, amplius hoc faciant. *De Diaconis,* inquit, *quos cognovimus multis locis offerre, placuit minime fieri debere.* Ergo Diaconi habent potestatem consecrandi Eucharistiam.

Resp. *Nego conseq.* Non enim Concilium loquitur de consecratione Eucharistiæ, sed de aliis fidelium oblationibus, quas Diaconi temere præsumebant benedicere et offerre, præsente Sacerdote, quod ipsis vetat Concilium.

Inst. Concil. Ancyranum privat Diaconos, qui idolis immolaverant, potestate *offerendi panem et vinum in altari:* ergo hanc habent potestatem, a qua ob crimen suspenduntur.

Resp. *Dist. ant.* Concilium privat flagitiosos Diaconos potestate offerendi, etc., id est, consecrandi Eucharistiam, *nego;* id est, porrigendi Sacerdoti panem et vinum, ut illa consecret, *conc. ant.;* erat enim illorum officium, a quo ob crimen illos suspendit Concil. Ancyranum.

Quæres : *Utrum plures Sacerdotes eamdem hostiam consecrare possint?*

Resp. *affirm.* Idque probat praxis Ecclesiæ, juxta quam recens ordinati simul cum Episcopo consecrant, modo formam eodem instanti absolvant; qui enim prius absolveret formam, solus consecraret. Circa quod

Nota. Neomystæ, seu novi sacerdotes consecrantes cum Episcopo, curare debent ne consecrent ante illum qui principalius debet consecrare, aut pronuntient formam supra materiam jam consecratam; quod ut devitent, ad duo

[1] Can. 15.

attendere debent : 1° ut habeant intentionem consecrandi panem solum in instanti quo consecrat Episcopus, ita ut si absolvant verba prius aut post Episcopum, solum velint pronuntiare verba materialiter, et cæremoniæ causa ; 2° ut in consecratione Calicis duplicem apponant conditionem : *primo*, ut intendant consecrare tantum Calicem, si revera consecraverint panem, aliter non ; *secundo*, si in eodem instanti absolverint cum Episcopo. Non anxiantur tamen circa talem conditionem, quam sufficit ut apponant virtualiter, id est, cum intentione faciendi hanc actionem meliori modo quo possunt. Ita Suarez, Salmant., S. Ligor., et alii.

ARTICULUS II.

QUIS SIT MINISTER EUCHARISTIE DISPENSANDÆ.

Nota. Duplex est dispensandæ Eucharistiæ minister, scilicet ordinarius, qui eam auctoritative dispensat, et extraordinarius, qui eam dispensat ex commissione Episcopi vel Presbyteri.

CONCLUSIO I.

Soli Sacerdotes sunt ordinarii ministri dispensandæ Eucharistiæ.

Nota. Corporis Christi dispensatio olim non fiebat sicut nunc, scilicet hostiam ori communicantis infundendo, sed tradendo eorum manibus, quam ibidem manducabant, vel in domos secum asportabant tempore opportuno sumendam, præsertim tempore persecutionum, et sic sibi ministrabant minus principaliter et secundario modo. Viri autem hostiam recipiebant concava et nuda manu, dicendo *amen;* mulieres vero in linteo mundo quod ideo vocabatur *Dominicale.* Hic usus paulatim exolevit, et tandem prohibitus fuit, ut patet ex capite *Pervenit* 29, *de Consecratione,* Dist. 2.

Prob. Illi soli sunt ministri ordinarii dispensandæ Eu-

charistiæ, ad quos solos pertinet eam conficere, nam confectio ordinatur ad dispensationem; atqui solis Sacerdotibus competit Eucharistiam conficere. Ergo, etc.

Hinc Concil. Trident. ait[1] : *Semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut Laici a Sacerdotibus communionem acciperent, Sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent : qui mos, tanquam ex traditione Apostolica descendens, jure ac merito retineri debet.*

Quæres 1. *Ad quos Sacerdotes pertinet Eucharistiam distribuere?*

Resp. Pertinet . 1° ad Pastores, qui curam animarum habent, ac tenentur fidelibus sibi commissis panem vitæ frangere, non solum cum urget communionis præceptum, sed etiam quoties subditi rationabiliter petunt.

Dixi *quoties rationabiliter petunt.* Quod non esset : 1° si peterent ante Missam et possent expectare sine magno incommodo; 2° si parochus esset infirmus, vel occupationibus distentus, et communio sit ex mera devotione. *Regulariter* tamen cavere debet ne se ostendat difficilem, imo et quamplurimum subditorum devotionem adjuvare debet, et, quoad fieri potest, illos allicere ut sæpius communicent. 3° Si pestis ingruat, in quo casu probabile est parochum non teneri Eucharistiam ministrare cum periculo vitæ, ut tenent Salmanticenses ex declaratione Gregorii XIII (die 12 octob., an. 1575), approbante decretum S. C. Concilii declarans, parochum suis parochianis peste laborantibus teneri ministrare, vel per se vel, per alium idoneum, duntaxat duo Sacramenta ad salutem necessaria, nempe Baptismum et Pœnitentiam[2]. Ratio est, quia Eucharistia non est sacramentum tantæ necessitatis, ut parochus pro illo dando perdere debeat vitam suam.

2° Pertinet ad eos qui ad Missam celebrandam admittuntur; optat siquidem Concil. Trident.[3], ut in singulis Missis adstantes fideles Eucharistiæ fiant participes.

[1] Sess. 23, can. 8. — [2] Vid. S. Ligor., lib. VI, num. 233. — [3] Sess. 23, can. 8.

3° Ad privilegiatos, in quorum ecclesiis seu oratoriis conservatur Eucharistia, in hunc enim finem asservatur; ubi

Nota : Eosdem privilegiatos, Eucharistiam in viaticum non posse ministrare, nec Eucharistiam distribuere pro munere Paschali; hoc enim eis, sub pœna excommunicationis Summo Pontifici reservatæ, prohibitum est per Clementinam *Religiosis*, de privilegiis.

Quæres 2. *Quid requiritur ex parte Sacerdotis ut licite Eucharistiam administret?*

Nota. Missionarii ad exteros vel apud hæreticos, qui circa hujus Sacramenti administrationem pontificias dispensationes obtinent, iisdem sobrie utantur, et quantum fieri potest ad normam Ecclesiæ se recolligent.

Resp. Requiritur : 1° venia proprii Pastoris, quæ sufficienter præsumitur quando licentia conceditur celebrandi in sua ecclesia. Urgente vero necessitate, in periculo mortis quicumque sacerdos, si alius non adsit, potest ministrare Eucharistiam sine licentia parochi absentis, aut injuste renitentis. Ita Suarez, Salmant. cum communi.

2° Ut sacerdos sit immunis ab excommunicatione, interdicto, suspensione a Sacris; secus, graviter peccat et irregularitatem incurrit.

3° Ut minister sit in statu gratiæ, ut dictum est in tract. *de Sacram. in genere*[1]; alias peccaret graviter, juxta probabiliorem sententiam, quoties communionem distribuit, licet probabiliter non tot peccata gravia committat, quot sunt personæ in eadem distributione communicantes.

4° Ut minister Eucharistiam distribuat juxta ritum Ecclesiæ consuetum, cum ad Ecclesiam spectet quidquid tum ad conficienda, tum administranda Sacramenta convenit sapienter sancteque ordinare. Hinc, generaliter loquendo, inquit P. Gury[2], omittenda est hujus Sacramenti administratio, cum more solito fieri non potest.

[1] Cap. 4, art. 1, sect. 1, punctum 3. — [2] Num. 307 *de Euchar.*

Resolves 1° Sacra Eucharistia non est ministranda nisi cum habitu decenti, id est, cum stola, superpelliceo et lumine. Si ad infirmum deferatur, lumen præcedere debet. Urgente tamen necessitate, licet viaticum ministrare sine veste sacra et lumine[1].

2° Peccat graviter qui extra casum necessitatis distribuit Eucharistiam sine ulla veste sacra; si vero tantum deficiat stola, non excedit veniale, inquit P. Gury.

3° Veniale communiter reputatur ministrare Eucharistiam sine lumine, vel eam transferre de altari in altare, vel de Ciborio in Ciborium[2], etc.

4° Requiritur ut eam neget, per se loquendo, indispositis animo, vel corpore, ut dicemus ubi *de subjecto*.

Quæres 3. *An liceat deferre viaticum æquitando?*

Resp. *affirmat.*, si longe, vel per vias difficiles deferendum sit, vel periculum sit in mora, modo absit probabile periculum lapsus. — Utrum liceat currere in necessitate, plures cum Croix et S. Ligorio affirmant probabilius contra Busemb., Salmanticenses et alios, quia necessitas excusare potest a majori reverentia, alias debita.

Quæres 4. *An qui laborat infirmitate in pollice et indice possit aliis digitis ministrare?*

Resp. Plures affirmant, sed *probabilius* est negandum cum S. Ligorio. Ratio, quia licet tota manus consecretur, attamen index et pollex ex ritu Ecclesiæ ad hoc ministerium deputantur.

Quæres 5. *An liceat tempore pestis porrigere hostiam mediante aliquo instrumento?*

Resp. *affirmat.* cum S. Ligorio et aliis, quia necessitas satis videtur excusare a ritu solito Ecclesiæ.

Quæres 6. *An liceat deferre Eucharistiam capite cooperto in itinere?*

Resp. Generaliter loquendo non licet, reverentiæ causa; si tamen urget aliqua ratio, v. gr. infirma ministri vale-

[1] S. Ligor., lib. VI, num. 241. — [2] Reuter, Mazzota, Gury, etc.

tudo, aeris intemperies, pluvia aut nimius solis ardor, potest cooperire pileolo, seu bireto, vel etiam galero. Censet etiam Pasq. apud Croix[1], quod Episcopus potest dispensare ut deferatur viaticum cum pileolo (calotte) in villis et pagis.

Quæres 7. *Quid faciendum cum hostia fortuito in terram vel in partem aliquam externam communicantis decidat?*

Resp. ad primum. Locus in quem hostia deciderit, statim tegendus est aliqua re munda, et postea abluendus. Si cadat in mappam qua teguntur manus communicantis, locus est speciatim notandus, et postea pariter abluendus : ita rubrica, quæ tamen non obligat sub gravi, juxta communem sententiam. Verum gravis est obligatio abluendi locum in quem dicidissent species vini, cum ipso imbibantur, etsi non sit opus illum comburere[2].

Resp. ad secundum. Cum hostia sacra in vultum, barbam aut vestes communicantis decidit, omittenda est purificatio; satius enim est vitare mirationem et perturbationem populi, quam servare rubricam. Quod si hostia decidat in sinum mulieris, non debet Sacerdos illam auferre, sed ipsa mulier abstrahat, et reponat in Ciborium[3].

Quæres 8. *An liceat Sacerdoti, deficientibus hostiis, detrahere partem majoris hostiæ a se sumendæ ad fideles communicandos?*

Resp. Id prohibetur sub veniali. Excipitur : 1° casus viatici ministrandi; 2° casus quo unus aut alter communicaturus, diu expectare deberet communionem.

Quæres 9. *Quid faciendum sit de fragmentis?*

Resp. Legantur rubricæ Missalis præcipientes partes relictas esse sumendas etiam post ablutionem, quia ad idem sacrificium spectant; imo et in sacristia, si sacerdos adhuc est indutus; alias reponendæ sunt in tabernaculo, vel alteri sacerdoti eodem mane celebraturo relinquendæ. Quoad fragmenta viatici, potest Sacerdos ea sumere, si adhuc est

[1] Num. 614. — [2] S. Ligor., lib. VI, num. 250. — [3] Ibid.

indutus vestibus sacris, vel eas dare infirmo cum ablutione vasis sacri ut de more fit, quia tunc censetur moraliter una communio.

Quæres 10. *Qua hora sacra communio dispensari possit?*

Resp. *Per se loquendo,* qualibet hora dari potest communio, quia nullo præcepto prohibetur. Attamen, ex consuetudine Ecclesiæ, *probabilius* non licet vesperis sub nocte, nisi accedat aliqua specialis causa; ex sola vero necessitate noctu dari debet communio. *Ita passim auctores.*

Sic etiam non licet dare communionem in Missa quæ die Nativitatis Domini media nocte celebratur, ex decreto S. R. C.[1] et pluribus ejusdem Congr. responsis. Hæc enim Missa celebratur in memoriam æternæ generationis Filii in sinu Patris, ut innuit introitus *Tecum principium,* etc., et ideo fidelium devotio alias diverti non debet. Ex usu tamen contrario, inquiunt DD. Gousset et Bouvier, in variis locis, v. gr. in Gallia toleratur, sed, ex prædictis S. R. C., spectat ad Episcopos aut hunc usum tollere, aut ad S. Pontificem recurrere pro dispensatione obtinenda. — Idem dicendum est de die Parasceve, in qua vetita est communio laicorum, nisi sumatur modo viatici[2].

Nota. Quamvis sacra communio danda sit, quantum fieri potest, intra Missam, post communionem Sacerdotis, ex Ritual. Rom.; passim tamen, ex honesta causa, datur ante vel post Missam[3].

CONCLUSIO II.

Extraordinarius minister dispensandæ Eucharistiæ, est Diaconus.

Propositio constat ex praxi veteris Ecclesiæ, quæ olim hoc officium commiserat Diaconis, ut constat ex Concil. Carthaginensi IV, ubi dicitur : *Diaconus, præsente Presby-*

[1] An. 1641. — [2] S. Ligor., lib. VI, num. 252. — [3] S. Ligor., lib. VI, num. 249, et Bened. XIV, *de Sacrif. Miss.*, sect. 2.

tero, Eucharistiam Corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget; et Aquisgranensi[1] dicente : *Sicut in Sacerdote consecratio, ita in ministro dispensatio Sacramenti est : ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat.*

Et quidem, ex vi suæ ordinationis Diaconus habet ut possit ei committi dispensatio Eucharistiæ, quia ex illa propinquus fit Ordini sacerdotali et aliquid participat de ejus officio; consecratur enim in ministrum immediatum sacerdotis, et illi immediate serviendum in rebus majoris momenti et dignioribus, inter quas distributio Eucharistiæ primum obtinet locum.

Quæres 1. *An Subdiaconi et alii inferiores Ministri possint distribuere Eucharistiam?*

Resp. *negative*, ordinarie loquendo. Nam munus illud nunquam nisi Presbyteris vel Diaconis commissum fuit, ut constat ex Concil. Nicæno I, Arelatensi I et Carthaginensi IV.

Nec te moveat quod olim et laicis licitum foret Eucharistiam domi asservare, propriisque manibus sumere : id enim postulabat acerba tunc temporis persecutionum conditio, cum licitum non foret Christianis synaxes suas in publicis conventibus celebrare; at, mutatis circumstantiis temporum, mutata quoque fuit Ecclesiæ disciplina.

Dixi *ordinarie loquendo*, quia plures cum Suarezio, Laym., Cajet., Diana, docent clericos inferiores, imo etiam laicos, in extrema necessitate posse per se sumere Eucharistiam et moribundis viaticum ministrare. Ratio, tum quia ex una parte, nulla fit injuria Sacramento, et in articulo mortis communio est de præcepto, et ex alia parte, nullo præcepto divino vel Ecclesiastico id prohibetur, cum auctoritates supra relatæ loquantur de casibus ordinariis. Præterea, cum olim Christiani propriis manibus communicarent propter necessitatem, cur, eadem necessitate occurrente, aliquando permitti non posset[2]?

[1] Cap. 7. — [2] Vide S. Ligor., lib. VI, num. 237.

QUÆRES 2. *Qualis esse debeat necessitas ut Diaconus licite ministrare possit?*

RESP. Quidam postulant necessitatem extremam, propter scandalum quod alias oriretur ex illa insueta ministratione. Ita Habert, Cont. Tourn., Witasse.

Alii vero probabilius cum S. Ligorio, Suarez, Salmant., dicunt sufficere necessitatem gravem, seu moralem, nempe cum nullus adest sacerdos qui commode Eucharistiam ministrare possit.

Omnes vero conveniunt quod in extrema necessitate Diaconus, absente Sacerdote, non solum potest, sed tenetur viaticum ministrare, etiam sine commissione Presbyteri.

CAPUT III.

DE SUBJECTO EUCHARISTIÆ, AC DISPOSITIONIBUS IN EO PRÆREQUISITIS.

CONCLUSIO.

Omnis et solus homo baptizatus et viator est subjectum Eucharistiæ.

PROB. explicatione.

Dicitur 1° *Omnis homo,* sive sanus, sive moribundus, ut statuit Concil. Carthaginense IV[1], modo tamen, ut habet Concilium, dum sui erant compotes, in his apparuerit hujus Sacramenti desiderium, quod virtualiter perseverare censetur, nec ullum vel vomitus, vel alterius indecentiæ, adsit periculum; sed cum vix ipsum abesse possit, ideo ordinarie conferre non expedit.

Circa communionem dandam vel denegandam reis ultimo supplicio afficiendis, servanda est cujusque Ecclesiæ praxis : verumtamen maxime exoptandum est ut illis ministretur etiam non jejunis, quod ubique ab Episcopo in-

[1] Can. 76.

vehendum esse monet Bened. XIV[1]. Ratio, tum quia non convenit reos in tanto discrimine constitutos illo auxilio privari; tunc quia contrarium usum improbat Pius V, ex Concilio Nicæno[2] præscribente quod Eucharistia danda est omnibus qui ad vitæ exitium veniunt.

Dicitur 2° *solus baptizatus;* quia character baptismatis se habet per modum potentiæ passivæ ad recipienda alia Sacramenta.

Probabilius autem infideles sunt subjecti mediate tantum, scilicet prius convertantur et communicent, quia lex est generalis : *Nisi manducaveritis.*

Dicitur 3° *viator;* quia Sacramenta non sunt instituta nisi pro viatoribus; hinc Concil. Carthag. III damnat quorumdam abusum, qui in os mortuorum infundebant Eucharistiam.

CAPUT IV.

DE USU EUCHARISTIÆ.

Hic quatuor quæruntur : *primum,* utrum Eucharistia omnibus necessaria sit necessitate medii ad salutem; *secundum,* utrum jure divino sit præcepta communio sub utraque specie panis et vini; *tertium,* utrum sit præceptum positivum sacramentaliter communicandi, saltem sub una specie; *quartum,* de dispositionibus ad rite communicandum.

ARTICULUS I.

UTRUM EUCHARISTIA SIT OMNIBUS, TAM INFANTIBUS QUAM ADULTIS, NECESSARIA NECESSITATE MEDII.

Nota. Circa necessitatem medii et præcepti recolenda sunt quæ diximus cap. V *De Baptismo.*

[1] *De Synod. diœc.,* lib. VII, cap. 11. — [2] Can. 13.

CONCLUSIO[1].

Sacramentum Eucharistiæ non est necessarium necessitate medii ad salutem.

Prob. Illud sine quo salus obtineri potest, non est necessarium necessitate medii ad salutem; atqui sine sumptione Eucharistiæ, cum solo Baptismo, salus obtineri potest. Illi enim in quibus nihil damnationis est, qui sunt in Christo Jesu, qui Christum induerunt, qui sanctificati sunt, salutem consequuntur; atqui tales sunt qui cum solo Baptismo moriuntur; ait enim Scriptura : *Nihil damnationis est iis,*

[1] Sumptio realis Eucharistiæ non est necessaria necessitate medii ad salutem, nec pueris, nec adultis. Patet ex conclusione. Quantum ad Eucharistiam in voto, alii negant ejus necessitatem medii, alii vero affirmant, sed opinionum discrepantia oriri videtur ex æquivocatione verborum, quæ, si tollatur, in unum forte incidunt ambæ sententiæ. Observandum itaque sacramentum Eucharistiæ duplici modo considerari posse : 1° ut est Sacramentum particulare et inter alia Sacramenta distinctum, specialem producens effectum per modum causæ efficientis; 2° ut est finis vitæ spiritualis, quatenus Christum ipsum continet, et ideo alia Sacramenta ad Eucharistiam ut ad finem ordinantur. Quo posito, dicendum videtur cum prima sententia, votum Eucharistiæ, ut est Sacramentum particulare, et *gratiæ augmentum causativum*, non esse necessarium necessitate medii ad salutem, siquidem ille effectus est gratia secundaria et non prima. Præterea votum non est propter se, sed propter rem desideratam : ergo implicat quod votum sit necessarium, si res necessaria non est. Ast vero dicendum est cum secunda sententia, Eucharistiam necessariam esse *in voto implicito* necessitate medii, tam adultis quam parvulis, quia Eucharistia, considerata sub ratione unionis cum Christo, et prout est finis vitæ spiritualis, est consummatio et perfectio aliorum Sacramentorum, consequenter eorum finis. Alia igitur Sacramenta sunt media ad istum finem; jam vero intentio finis includitur in volitione mediorum, et ex eorum mediorum quædam, nempe Baptismus et Pœnitentia, sunt necessaria necessitate medii : ergo et finis intentio. Et certe neque Baptismus, neque Pœnitentia conferunt primam gratiam, nisi respiciendo ad Eucharistiam, ut ad finem omnium Sacramentorum. Unde verba Christi : *Nisi manducaveritis...* non minus exponunt necessitatem Eucharistiæ, quam hæc verba : *Nisi quis renatus fuerit...* exponunt necessitatem Baptismi; maxime quia Christus non dicit necessarium esse quia præcipio, sed quia caro mea vere est cibus... et : *Qui manducat me, ipse vivet propter* vel *per me.*

qui sunt in Christo Jesu[1]*;* item, *Qui in Christo baptizati estis, Christum induistis*[2]*;* item, *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*[3]. Ergo, etc.

Hinc Concil. Trident.[4] docet : *Parvulos usu rationis carentes, nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ Communionem; siquidem per Baptismi lavacrum regenerati et Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt; neque ideo damnanda est antiquitas, si eum morem aliquando in quibusdam locis servavit; ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est.* Et can. 4 definit : *Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ Communionem, anathema sit.*

OBJECTIONES.

Objicies 1. Illa verba Joan. VI : *Nisi manducaveritis,* etc., sonant necessitatem medii ; ergo, etc. Resp. *Nego ant.*

Prob. ant. Ista verba Joan. III : *Nisi quis renatus fuerit,* etc., et ista Lucæ XIII : *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis,* important necessitatem medii : ergo similiter ista verba : *Nisi manducaveritis,* etc.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas desumitur ex diversa materia supra quam cadit sermo : nam si sermo sit de re ad primam gratiam necessaria, præter necessitatem præcepti, continet necessitatem medii ; si vero de aliqua re, quæ supponit primam gratiam, solum continet necessitatem præcepti ; unde cum ista verba : *Nisi quis renatus fuerit,* etc. agant de regeneratione spirituali, quæ in omnibus tum infantibus, tum adultis est ad primam gratiam necessaria, important necessitatem medii erga omnes ; et cum ista : *Nisi pœnitentiam habueritis,* etc., agant de resurrectione

[1] Rom. VIII, 1. — [2] Ad Gal. IX, 26. — [3] Ad Tit. III, 5. — [4] Sess. 21, cap. 4.

spirituali, quæ lapsis ad primam gratiam est necessaria, important necessitatem medii erga omnes peccati capaces; cum vero ista : *Nisi manducaveritis,* etc., agant de nutritione spiritualis vitæ per Baptismum acceptæ, vel per pœnitentiam reparatæ, quæ vita per varia media nutriri, conservari et augeri potest, Eucharistia non est necessaria ad salutem, nisi necessitate præcepti.

INST. 1. Quidquid est necessarium respectu infantium, est necessarium necessitate medii, cum sint præcepti incapaces; atqui Eucharistia est necessaria respectu infantium. Ergo, etc.

Prob. min. Ex Div. August. dicente[1] : *S. Innocentio I*[2] *vide quid respondeas... qui parvulos definivit, nisi manducaverint carnem Filii hominis, vitam prorsus habere non posse.* Ergo Eucharistia est necessaria infantibus.

RESP. *Dist. conseq.* Eucharistia est necessaria infantibus, percepta spiritualiter et quoad effectum, *conc.;* percepta realiter et oraliter, *nego.*

Itaque Div. August. agebat contra Pelagianos, qui negabant peccatum originale, et qui, distinguentes inter regnum cœlorum et vitam æternam, asserebant infantes sine baptismo decedentes privari quidem regno cœlorum propter hæc Christi verba : *Nisi quis renatus fuerit,* etc., sed vita æterna donari propter eorum innocentiam : quos ut refelleret Div. Doctor, cum Innocentio I urget eos ex hoc textu Joan. : *Nisi manducaveritis,* etc., sic argumentando : Qui non est particeps Corporis et Sanguinis Domini spiritualiter, id est, quoad incorporationem cum Christo, et unionem cum Ecclesia, non potest habere vitam æternam; atqui parvuli non possunt esse participes Corporis Christi spiritualiter sine Baptismo quo *Christum* induunt[3] : ergo parvuli sine Baptismo defuncti privantur et regno Dei, et vita æterna.

[1] Lib. I *contra Julian.*, cap. 4. — [2] Epist. *ad Patres Conc. Milev.* — [3] Ad Galat. IV, 27.

Ita seipsum exponit Div. Augustinus explanans textum Joan. : *Nisi manducaveritis;* ait enim[1] : *Hoc est ergo manducare illam escam, illum bibere potum, in Christo manere, et illum manentem in se habere.*

Ita pariter interpretatur Div. August. S. Fulgentius, ejus discipulus, in epist. *ad Fernandum Diaconum. Arbitror, sancte frater,* inquit, *disputationem nostram præclari Doctoris Augustini sermone firmatam, nec quidquam aliquatenus esse ambigendum, tunc unumquemque fidelium participem Corporis et Sanguinis fieri, quando in Baptismate membrum Corporis Christi efficitur; nec alienari ab illo panis consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, de hoc sæculo in unitate Corporis Christi constitutus discedat.*

Inst. 2. Div. Thom.[2] docet Eucharistiæ manducationem esse necessariam necessitate medii : ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Docet manducationem spiritualem esse necessariam necessitate medii, *conc.;* manducationem realem, *nego ant.;* ait enim : *Respondeo dicendum quod duplex est modus percipiendi hoc Sacramentum, scilicet spiritualis et sacramentalis; manifestum est autem quod omnes tenentur saltem spiritualiter manducare, quia hoc est Christo incorporari.*

Inst. 3. Quod est necessarium in voto, est necessarium necessitate medii; atqui Eucharistia est necessaria in voto : ergo, etc.

Prob. min. Ex Div. Thoma, dicente ibidem : *Sine voto percipiendi hoc Sacramentum, non potest homini esse salus :* ergo Eucharistia est necessaria in voto.

Resp. *Dist. textum.* Sine voto improprie dicto, quod respectu adultorum includitur in proposito servandi omnia mandata, et respectu infantium in intentione Ecclesiæ, *conc.;* sine voto proprie dicto, quod solum arguit necessitatem medii, *nego. Ex hoc ipso quod pueri baptizantur,* ait

[1] Tract. XXVI *in Joan.* — [2] 3 p., quæst. 80, art. 11 *in corp.*

Div. Thom.[1], *ordinantur per Ecclesiam ad Eucharistiam, et sic sicut ex fide Ecclesiæ credunt, sic ex intentione Ecclesiæ desiderant Eucharistiam, et per consequens recipiunt rem ipsius.*

Objicies 2. Alimentum necessarium est necessitate medii ad vitam conservandam; sed Eucharistia est alimentum animæ : ergo, etc.

Resp. *Dist. min.* Est alimentum animæ non unicum, *conc.;* unicum, *nego min.;* nam oratio et actus virtutum sunt etiam alimentum spirituale quo anima conservatur.

Inst. Potest dari casus in quo Eucharistia erit necessaria necessitate medii, v. gr. si peccator attritus incideret in amentiam, tunc non posset salvari nisi per sumptionem Eucharistiæ, per quam ex attrito fieret contritus; ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Potest esse casus in quo Eucharistia erit necessaria necessitate medii, per accidens, *conc.;* per se et ex sui institutione, *nego ant.* Tantum hic negamus Eucharistiam *per se* esse necessariam in se; unde nihil contra nos.

ARTICULUS II.

UTRUM JURE DIVINO SIT PRÆCEPTA COMMUNIO SUB UTRAQUE SPECIE PANIS ET VINI.

Certum est 1° Communionem sub utraque specie a Christo præceptam esse Sacerdoti sacrificanti.

Certum est 2° Communionem sub utraque specie non fuisse Laicis a Christo prohibitam, cum in Ecclesia viguerit usque ad XII^um^ sæculum, a quo tempore usus solius speciei panis sensim invaluit.

Certum est 3° Ecclesiam justis de causis abstulisse Laicis usum Calicis, et sunt sequentes :

[1] 3 part., quæst. 73, art. 3 *in corp.*

Prima est proximum effusionis periculum, quæ vix caveri potest, ubi magna est populi multitudo.

Secunda est difficultas diu asservandi speciem vini pro infirmorum communione, cum species vini asservatæ brevi possent acescere.

Tertia est multorum a bibendo vino, et quidem in eodem cum multis aliis calice, repugnantia et horror.

Quarta est penuria vini in multis regionibus.

Quinta est hæreticorum pertinacia obstinate contendentium utramque speciem jure divino necessariam esse ad salutem et substantiam Sacramenti.

Verum, an jure divino sit præcepta communio sub utraque specie, controversia est inter Catholicos et Novatores Hussitas, Lutheranos et Calvinistas, quæ ut dirimatur,

CONCLUSIO.

Communio sub utraque specie non est jure divino præcepta fidelibus non sacrificantibus.

Hæc proposit. est de fide definita a Concil. Trident.[1] his verbis : *Si quis dixerit, ex Dei præcepto vel necessitate salutis, omnes et singulos Christi fideles utramque speciem SS. Eucharistiæ Sacramenti sumere debere, anathema sit.*

Prob. Tota Sacramenti substantia et integer ejus effectus in una specie salvatur, cum totus et integer Christus sub una specie præsens sit : ergo jure divino non est præcepta communio sub utraque specie.

Prob. ant. Ex Script. ubi Christus fructum Eucharistiæ tribuit sumentibus unam speciem panis, Joan. VI : *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum... panis quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vita :* ergo, etc.

Confirmatur priorum sæculorum traditione, qua convincitur primos fideles non semper sub utraque specie communicasse.

[1] Sess. 21, can. 1.

1° Ex facto primorum fidelium, qui *erant perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis, et orationibus*[1].

2° Ex praxi asservandi Eucharistiam, eamque infirmis deferendi sub sola panis specie, ut testatur Eusebius[2] et S. Cyrillus[3].

3° Ex consuetudine fidelium tempore persecutionis sub una specie panis Eucharistiam domum deferentium, ut testatur Tertullianus[4].

4° Ex Missa quæ *Præsanctificatorum dicitur*, in qua Sacerdotes die Parasceves panem non consecrant, sed eo qui jam consecratus fuerit et asservatus, utuntur in Missa, in qua Sanguis non offertur; totam ergo Sacramenti substantiam in una panis specie servari hoc ritu declarat et significat Ecclesia.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Christus præcepit communionem sub utraque specie, dicens Joan. VI : *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis et biberitis ejus Sanguinem*, etc. : ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Christus enim non loquitur ibi de modo sumendi Eucharistiam sub una vel duplici specie, sed de sumptione rei ipsius, hoc est Corporis et Sanguinis sui; cum autem sub qualibet specie totus Christus contineatur, qui unam speciem sumit, Corpus et Sanguinem sumit. In spiritualibus enim idem est manducare et bibere, juxta illud Matth. V : *Beati qui esuriunt, et sitiunt justitiam.* Atqui hoc sensu sumenda esse verba Christi, probant hæc verba, quæ addit : *Et qui manducat me, vivet propter me;* ubi soli manducationi promittitur vita æterna. Ex quo etiam liquet particulam *et*, non conjunctive, sed disjunctive locum tenere, ita ut sensus sit : *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, vel biberitis Sanguinem*, etc., quod familiare est Scripturæ, ut cum dicitur[5] : *Qui per-*

[1] Act. II. — [2] Lib. VI *Hist.*, cap. 44. — [3] *Catechesi* 5. — [4] Lib. II *ad Uxor.* — [5] Exod. XXI, 5.

cusserit patrem et matrem, morte moriatur, id est, patrem vel matrem.

Inst. 1. Christus[1] præcepit ut omnes biberent, dicens : *Bibite ex eo omnes;* ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Præcepit ut omnes Apostoli præsentes biberent, *conc.;* ut omnes omnino tam præsentes quam absentes, *nego ant.* Christus illis solis dixit : *Bibite ex eo omnes,* quibus dedit Calicem; atqui solis Apostolis dedit Calicem, qui, ut ait S. Marcus[2], *biberunt ex eo omnes.* Ergo, etc.

Inst. 2. Christus dixit omnibus Apostolis : *Bibite,* etc.; ergo dixit omnibus fidelibus.

Prob. conseq. Ex Marc. xiii : *Quod autem vobis dico, omnibus dico;* ergo dixit omnibus fidelibus : *Bibite.*

Resp. *Nego cons.* Id enim quod Christus voluit esse dictum omnibus, istud est : *Vigilate;* ait enim, *Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate.*

Inst. 3. Omnibus dictum est : *Accipite et manducate;* alias sumendi Eucharistiam nullum esset omnibus fidelibus datum mandatum; ergo et omnibus dictum est : *Accipite et bibite.*

Resp. *Nego ant.* Solis enim Apostolis adstantibus dictum est : *Accipite et manducate;* neque inde concludi potest nullum extare recipiendi Eucharistiam mandatum; non enim his verbis : *Accipite, manducate,* exprimitur, cum sint potius invitantis quam præcipientis, sed istis : *Nisi manducaveritis.*

Inst. 4. Omnes communicantes debent recolere et annuntiare passionem Christi, juxta illud Apostoli[3] : *Quotiescumque manducabitis panem hunc et Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Atqui non nisi per duplicem speciem possunt annuntiare mortem Christi, ejusque memoriam excitare. Ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Nam per unam speciem ab altera sepa-

[1] Matth. xxvi, 17. — [2] Marc.. xiv, 23. — [3] I Cor. xi, 16.

ratam recte exprimitur separatio Sanguinis a Corpore, renovaturque memoria passionis Christi. Deinde particula *et*, in laudato textu debet sumi disjunctive, ut dictum est in objectione.

Inst. 5. Ergo Christus frustra instituit utramque speciem; falsum consequens : ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Utraque enim species est necessaria ad sacrificium, conducitque ad expressiorem repræsentationem tum passionis, tum refectionis spiritualis, licet sit integra sub una specie, in qua cibus et potus, nempe totus Christus, continetur.

Urgebis : Ex dictis, communicantes sub utraque specie expressius repræsentant mortem Christi : ergo debent communicare sub utraque specie.

Resp. *Nego conseq.* Nam Laici non tenentur mortem Christi tam perfecte et expresse repræsentare, quam Sacerdotes conficientes hoc Sacramentum; Calix enim est de essentia Sacramenti conficiendi, non vero Sacramenti distribuendi.

Objicies 2. Christus facultatem reliquit fidelibus sumendi Eucharistiam sub utraque specie : ergo Ecclesia Romana non potuit, nec debuit illos hac facultate privare.

Resp. *Nego conseq.* Nam Concil. Trident.[1] *declarat hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire judicaret.* Porro, Ecclesia per suam legem consuluit venerationi Sacramenti et christianæ veritati, nec ullo effectu spirituali fideles privavit, cum totus Christus contineatur sub una specie.

Dixi 1° *Ecclesia consulere venerationi Sacramenti,* ut constat ex rationibus supra allatis, nempe propter periculum effusionis, penuriam vini, etc.

[1] Sess. 21, can. 2.

Dixi 2° *et veritati Christianæ,* ad duplicem scilicet perimendum errorem, nempe cujusdam *Jacobelli* qui damnabat sacrilegii eos qui unam tantum speciem sumebant, et aliorum hæreticorum qui negabant totum Christum contineri sub utraque specie, sed asserebant esse partim sub specie panis, et partim sub specie vini [1].

Inst. 1. Per binam speciem sacramentalis gratia confertur : ergo Ecclesia fideles effectu spirituali privavit auferendo eis usum Calicis.

Resp. *Dist. ant.* Privavit fideles fructu uberiori, gravissimis de causis, *trans.;* effectu necessario, *nego.* Dicit enim Trident. : *Ac propterea quod ad fructum attinet nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solum accipiunt.*

Dixi *transeat,* quia plures non improbabile docent plus gratiæ dari sub utraque quam sub una specie.

Prob. ant. Corpus non vivit sine potu : ergo nec anima sine calice; nam species vini significat refectionem diversam quam significat species panis.

Resp. *Dist. ant.* Species vini significat speciem diversam, etc., ex parte signi, *conc.;* ex parte rei significatæ per quam habetur ista refectio, *nego ant.* Nam sub alterutra specie habetur eadem res, videlicet Christus reficiens animam. Ergo nihil retrahitur necessarium ad salutem.

Subsumo. Atqui species panis significat refectionem diversam ex parte rei : ergo nulla solutio.

Prob. subsumpt. Sedare famem, sitim exstinguere, sunt duæ refectiones diversæ ex parte rei; atqui species panis famem sedat, species vini sitim exstinguit : ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Sedare famen et sitim extinguere, sunt duæ refectiones diversæ ex parte rei, si illi effectus sint duarum rerum diversarum, *conc.;* si sint effectus unius ejusdemque rei, *nego maj.* Itaque Eucharistia sub unica specie continet totum Christum, qui cum sit simul cibus et

[1] *Catech. Concil. Trident.,* part. 2 *de Euchar.,* num. 5.

potus animæ, simul explet famem et sitim animæ per gratiam sacramentalem.

Inst. 2. Sacramentum bis sumitur, quando sumitur utraque species, et semel duntaxat cum sumitur unica : ergo gratia necessaria nonnisi per duas species recipitur.

Resp. *Dist. ant.* Sacramentum bis sumitur physice, *conc.;* bis moraliter, *nego ant.;* nam sumitur per modum unius convivii : ergo tunc sumitur unum moraliter Sacramentum; nam, ut ait Div. Thom.[1] : *Sicut sumit Sacerdos Sanguinem Christi sacramentaliter de Calice, sic populus sumit eum intellectualiter sub specie panis de ipso Corpore Christi, et est eis tam utilis et dulcis, ut Sacerdotibus, qui sumunt eum sub specie vini de Calice.* Ergo *nego conseq.*

ARTICULUS III.

UTRUM DETUR PRÆCEPTUM POSITIVUM SACRAMENTALITER COMMUNICANDI, SALTEM SUB UNA SPECIE.

Nota. Duplex extat præceptum positivum : 1° divinum; 2° Ecclesiasticum. Unde duplex paragraphus.

§ I.

De præcepto divino sacramentaliter communicandi.

CONCLUSIO.

Extat præceptum divinum aliquando sumendi Eucharistiam, omnes omnino homines adultos, etiam infideles, obligans.

Prob. 1. Ex Joan. VI : *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis... non habebitis vitam in vobis;* quæ verba exprimunt præceptum divinum obligans omnes adultos, etiam infideles, quales erant Capharnaitæ : ergo, etc.

Prob. 2. Ex aliis verbis Christi : *Hoc facite in meam commemorationem;* id est, quod fecimus, me consecrantæ, sumente, distribuente, et vobis recipientibus, facite cum

[1] Opusc. 58.

subditis vestris, vos consecrando, sumendo, distribuendo, et illis recipiendo.

Hinc S. Thom.[1] : *Manifestum est,* inquit, *quod homo teneatur hoc Sacramentum sumere, non solum ex præcepto Ecclesiæ, sed ex mandato Domini dicentis :* Hoc facite in meam commemorationem.

Prob. 3. *Ratione innuente.* Christus hoc Sacramentum instituit per modum cibi, ad conservandam vitam spiritualem : ergo sicut cibus materialis est in præcepto, ut vita corporis habeatur et conservetur, sic a fortiori necessarius est cibus spiritualis ad vitam spiritualem habendam et conservandam : ergo, etc.

Dices : Infideles non sunt capaces Eucharistiæ : ergo præceptum Eucharistiæ recipiendæ eos non obligat.

Resp. *Dist. ant.* Infideles non sunt capaces Eucharistiæ per se et immediate, *conc.;* mediate per Baptismum, quem omnes suscipere possunt et debent, *nego ant.*

Quæres 1. *An pueri baptizati rationis impotes, surdimuti, inculti et perpetuo amentes, etc., teneantur ex præcepto divino sacramentaliter communicare?*

Resp. *negat.* Nam, licet pueri rationis impotes et perpetuo amentes Eucharistiam sumendo vere gratiæ augmentum percipiant, eo quod sufficiat hoc Sacramentum in statu gratiæ suscipere ad ejus effectum percipiendum, ut communissime tenent Theologi contra paucos; tamen Concilium Trident.[2] definivit ipsam eis non esse necessariam, ut supra dictum est, quia in illis nihil damnationis est.

Hinc Ecclesia Latina, ob majorem reverentiam hujus Sacramenti, merito decrevit sacramentalem communionem denegandam esse : 1° parvulis ante usum rationis; 2° perpetuo amentibus ac energumenis, qui nulla lucida patiuntur intervalla ; secus, si quædam habeant lucida intervalla, ait Div. Thom.[3], his verbis : *Si prius, quando erant compotes*

[1] 3 part., quæst. 80, art. 1. — [2] Sess. 21, cap. 4 et can. 4. — [3] In 3 part., quæst. 80, art. 9, ad 2.

suæ mentis, apparuit in eis devotio hujus Sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc Sacramentum exhiberi, nisi forte timeatur periculum vomitus vel exspuitionis. Et quidem jure optimo, nam præsumitur in illis voluntas recipiendi, et forsan aderit necessitas, si nempe non sint nisi atriti.

Dices : Olim in Ecclesia Latina, et etiamnum in Ecclesia Græca, præceptum viget communionem præbendi parvulis : ergo, etc.

Resp. *Nego conseq.* Nam falso existimant Græci sacramentalem communionem esse parvulis necessariam. Contra illos contrarium decrevit Tridentinum ; quoad Ecclesiam Latinam, SS. Patres potuerunt habere rationes tolerando ut passim daretur communio parvulis, ut nempe parvuli per communionem vegetiores ac fortiores evaderent contra futuras tentationes, maxime tempore persecutionum ; at nunquam existimarunt communionem illis esse necessariam.

Quæres 2. *Quo tempore obliget illud divinum mandatum?*

Resp. Nullum quidem in Scripturis est ad hoc determinatum tempus ; attamen ex praxi ac sensu Ecclesiæ recte colligi potest præceptum illud obligare :

1° *In mortis articulo,* tunc enim maxime necessaria est Eucharistia ad superandas dæmonis tentationes ; atqui quisque jure divino, de omnibus mediis ad pugnandum contra dæmonis tentationes necessariis, sibi providere tenetur. Ergo, etc.

Porro per periculum mortis intelligitur quodcumque imminens periculum quod prævidetur, vel merito timetur, v. gr. gravis morbus ; si instet cum hostibus conflictus, periculosa navigatio, incisio ex qua plures mortui sunt ; partus difficiles qui, attentis circumstantiis, secum habent periculum mortis. Secus prægnantes non tenentur, licet ut faciant laudabiliter exhortentur. In his et similibus casibus urget præceptum sub mortali, ut aiunt Suarez, Vasquez, S. Ligor.[1] cum communi.

[1] Lib. VI, num. 291.

2° *Pluries in vita*, quia non tantum pro moribundis, verum etiam pro sanis ad spirituale alimentum, incrementum et conservationem, est instituta Eucharistia.

At per *se loquendo* quisquis satisfacit communicando semel in anno, ut Ecclesia præcipit, divinum præceptum interpretando.

Dixi *per se loquendo;* nam aliquando *per accidens* homo tenetur ad sæpius communicandum; si nempe communionem existimat sibi necessariam ad graves tentationes superandas, quod raro evenire potest, inquit S. Alphonsus de Ligorio, cum ad hoc sufficere possint alia media.

Quæres 3. *An pueri rationis compotes et apti ad confessionem, sed nondum admissi ad communionem, si in periculo mortis constituantur, teneantur ex præcepto divino communicare?*

Resp. *affirmat.*, ut communiter docent DD.; nam ex præcepto divino omnes adulti rationis compotes tenentur in articulo mortis communicare; atqui pueri cum pervenerint ad ætatem discretionis sunt adulti, quamvis nondum admissi ad communionem : ergo, etc.

Nec obstat dicere ex statuto Ecclesiæ determinata fuisse tempora exequendi Christi præceptum; nam respondetur Ecclesiam determinasse quod ex præcepto divino indeterminatum erat; quod autem erat divino præcepto determinatum, intactum reliquit; alias sequeretur nec teneri adultum moribundum communicare[1].

Addunt etiam plures quod si de capacitate pueri sit dubium, possit nihilominus dari communio, licet non sit necesse, quia ex una parte nullum obstat præceptum, et ex altera Sacramentum producit augmentum gratiæ et gloriæ.

[1] Suarez, Salmant., Laym., S. Ligor., lib. VI, num. 301.

§ II.

De præcepto Ecclesiastico sacramentaliter communicandi.

CONCLUSIO.

Extat præceptum Ecclesiasticum pro adultis saltem semel in anno sacramentaliter communicare.

Prob. Mandatum illud extat in Concil. Lateran. IV[1] : *Omnis utriusque sexus fidelis,* inquit Innocent. III, *postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata, saltem semel in anno confiteatur proprio Sacerdoti, et injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistiæ Sacramentum; nisi forte de consilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum; alioqui et vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et moriens christiana careat sepultura.*

Quod Concil. Trident.[2] approbat et renovat dicens : *Si quis negaverit omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum matris Ecclesiæ, anathema sit.*

Explicatur præceptum.

Dicitur 1° *omnis fidelis cum ad annos discretionis pervenerit,* quibus verbis excipiuntur pueri, perpetuo amentes, et alii de quibus supra dictum, qui, etsi capaces sint augmenti gratiæ, non sunt tamen capaces præcepti, et ob reverentiam et periculum, ipsis deneganda est communio. *Item,* pueri statim post adeptum usum rationis, qui, licet capaces sint doli et possint mortaliter peccare et pœnitentia indegere, non habent aliquando sufficientem hujus Sacra-

[1] Refertur cap. *Omnis utriusque sexus,* de Pœnit. et remis. — [2] Sess. 13, can. 9.

menti intelligentiam; cum enim majoris sit excellentiæ et non tantæ necessitatis quam Pœnitentia, pia Mater Ecclesia ex Christo majorem requirit discretionem ad communionem, quam ad confessionem, ut cum majori fructu percipiatur. Regulariter autem non tenentur ad communionem ante nonum, vel decimum annum, nec differenda est ultra duodecimum annum.

Dixi *regulariter*, quia plures hanc ætatem malitia præveniunt; unde reprehendendi sunt, inquit S. Alph. de Ligorio, pastores qui indiscriminatim non admittunt nisi pueros in certa ætate constitutos[1].

Nota tamen quod, esto hujusmodi pueris non sit præceptum communicare statim post adeptum usum rationis, non tamen prohibentur. Unde *probabilius, quia possunt aliquam devotionem concipere, non est eis hoc Sacramentum denegandum*, ait Div. Thomas[2], quod declarari videtur in jure[3] his verbis: *Cui Pœnitentiæ sacramentum conceditur, neque sacramentum Eucharistiæ negari debet, si desideret*[4].

Dicitur 2° *ad minus in Paschate*. Nec te moveat quod in primis sæculis Ecclesiæ fideles quotidie communicarent, et forsan ex præcepto, vel de instituto apostolico (ut annuit cap. *Episcopi, de Consecratione*); postmodum vero Fabianus Papa[5] indulserit, ut saltem ter in anno omnes communicarent, scilicet in Paschate, in Pentecoste, et in Nativitate Domini; et tandem quod ex præfatis Conciliis obligatio ad semel tantum in anno tempore paschali arctata fuerit; nam Ecclesia, pro rerum adjunctis, vel præcepta divina obligare sapienter declaravit, ut est probabilius, vel per præceptum mere Ecclesiasticum, ut quidam volunt, suam disciplinam congrue sancivit.

Dicitur 3° *in Paschate*, id est, juxta praxim Ecclesiæ et ex declaratione Eugeni IV[6], a Dominica Palmarum ad Do-

[1] S. Ligor., loc. cit. — [2] 3 p., quæst. 80, art. 9, ad 3. — [3] Ex cap. penult. caus. 26, quæst. 6. — [4] S. Ligor., lib. VI, num. 301. — [5] In can. 16 *de Consecrat.*, dist. 2. — [6] In Bulla *Fide digna*, ann. 1440.

minicam *in albis*. Quod tempus, ex consuetudine, vel privilegio, vel necessitate aut rationabili de causa, vel ante vel post quindenam extendi potest, tum ab Episco popro Diœcesi, tum a parocho vel alio confessario in gratiam pœnitentis.

Nota. Annus obligationis annuæ communionis computandus est a Paschate ad Pascha, quia talis est annus Ecclesiasticus; ita communiter contra Palaum et Vasquez, qui sentiunt annum incipere mense januario et desinere die 31 decembris.

Dicitur 4° *alioquin vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur;* illæ autem pœnæ non sunt *latæ*, sed *ferendæ* sententiæ, cujus inflictio ad solum spectat Episcopum.

Quæres 1. *An qui in Paschate non communicavit, teneatur quam primum implere præceptum?*

Resp. Tres sunt sententiæ.

Prima sententia distinguit. Si inculpate omiserit, tenetur, quia Ecclesia, gratia illius, censetur tempus Paschale prorogasse; si ex culpa, non tenetur propter rationes secundæ sententiæ.

Secunda sententia negat teneri neque Ecclesiastico, neque divino præcepto.

1° Non ex præcepto Ecclesiastico, si præceptum communionis sit affixum tempori Paschali; atqui præceptum Ecclesiasticum annua communionis est affixum tempori Paschali, quia hoc tempus determinatur specialiter ad honorandam institutionem hujus Sacramenti, passionem Christi et ejus resurrectionem : ergo, etc.

2° Non ex præcepto divino; nam, licet ex illo præcepto teneantur fideles pluries communicare in vita, tamen præceptum communicandi semel in anno est mere Ecclesiasticum, sicut præceptum audiendi Missam die Dominica. Ergo, etc. Ita S. Antonin., Sotus, Sylvius et alii plures.

Tertia sententia communior et amplectenda *affirmat.:* 1° tum *ex præcepto divino,* cujus impletionis tempus revera

Christus determinandum reliquit Ecclesiæ; atqui Ecclesia illud esse servandum determinavit saltem semel in anno ergo, etc.

2° Tum *ex præcepto Ecclesiastico;* etenim præceptum Ecclesiæ duo importat : *unum* scilicet, ne communio differatur ultra annum, *alterum* vero ut impleatur tempore Paschali; atqui tempus non est præfixum ad finiendam, sed ad sollicitandum obligationem. Hoc patet ex verbis Tridentini : *singulis annis, saltem in Paschate :* ergo qui non potest in Paschate, tenetur antequam terminetur annus.

Sed quia secunda sententia non est improbabilis, inquit S. Ligorius, si quis omiserit communicare tempore Paschali, ne promptus sis ad damnandum illum de peccato mortali, si postea non communicaverit intra annum.

Quæres 2. *An qui prævidet se non posse communicare tempore Paschali, prævenire teneatur?*

Resp. *negative.* Siquidem illa communio non esset præcepti impletiva, cum præceptum nondum urgeret. Ubi vero tempus Paschale inchoactum est, qui prævidet in ultimis diebus quindenæ non posse communicare, debet primis diebus implere præceptum.

Quæres 3. *An teneantur fideles tollere impedimenta ut præceptum annuæ communionis adimpleant?*

Resp. *affirmative.* Nam hoc præceptum est de jure divino; atqui omnes tenentur tollere impedimenta ut talibus præceptis satisfaciant, sicut probatum est in tractat. *de Legibus :* ergo, etc.

Quæres 4. *Ubi et a quo sumenda est communio Paschalis?*

Resp. Communio Paschalis sumenda est in propria parochia, et a proprio parocho, vel ab alio de ejus licentia, tum quia id innuitur ex canone *Utriusque sexus,* licet id clare non exprimatur; tum quia nomine pastoris; in jure communi parochus intelligitur, id est, Summus Pontifex, Episcopus et Curatus.

Excipiuntur : 1° Sacerdotes celebrantes, tum quia ubivis celebrando, satisfaciunt, tum quia caput *Omnis* loquitur de recipientibus ab alio, et non de celebrantibus.

2° Religiosi et viventes in communitatibus privilegium parochiale habentibus.

3° Religiosorum privilegiatorum commensales[1].

4° Peregrini et vagi qui parochiam non habentes, ubivis communicare possunt. Ita *communissime* contra Billuart, Contin. Tournely, qui cogunt eos communicare in ecclesia matrice loci in quo transeuntes commorantur.

5° Qui a proprio pastore licentiam obtinent extra parochiam communicandi.

Dixi *communio paschalis,* quia communiones ex devotione ubivis possunt fieri, etiam intra tempus Paschale.

Quæres 5. *An per communionem sacrilegam adimpleatur præceptum tum divinum, tum Ecclesiasticum communionis?*

Resp. *negative.* Nam 1° non impletur præceptum divinum. Christus enim hoc Sacramentum instituit tanquam spiritualem animæ cibum : *Qui manducat me, et ipse vivet propter me;* sed qui sacrilege communicat, non sumit cibum vitæ, sed *judicium sibi manducat et bibit*[2]. Ergo, etc.

2° Neque præceptum Ecclesiasticum, quia Ecclesia non instituit novum præceptum, sed divinum determinavit, ut dictum est : ergo, etc.

Aliunde, etsi præceptum esset mere Ecclesiasticum, Ecclesia præciperet adhuc indirecte statum gratiæ, ut modum adimplendi præceptum divinum. Ergo, etc.

Hinc Innocent. XI hanc 55 proposit. damnavit : *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.*

Quæres 6. *Quid censendum est de frequenti et quotidiana communione?*

Resp. Hæc certum habeas : 1° ex Innocent. XI[3], *Episcopi*

[1] Ex Clement. IV, Bulla *Virtute conspicuus,* et Innoc. VI, Leonis X, Pauli III, apud S. Ligor. — [2] I ad Cor. II. — [3] Decret. *Cum ad aures.*

et parochi seu confessarii redarguant asserentes communionem quotidianam esse de jure divino.

2° Prohibitum est jure Ecclesiastico bis communicare in die[1]. Ita S. Thom. cum communi, nisi iterum sumatur per modum viatici propter morbum repentinum[2].

3° Pariter damnata est ab eodem Innocent. XI hæc proposit. : *Frequens confessio et communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.*

4° Eodem jure idem Pontifex profligavit proposit. quæ dicebat : *Arcendi sunt a sacra communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus et omnis mixtionis expers.*

Ratio, quia communio est præmium simul et auxilium perfectionis. *Deux sortes de personnes,* inquit S. F. Salesius, *doivent communier souvent : les parfaits, parce qu'ils en sont dignes, et les imparfaits pour pouvoir arriver à la perfection.* Nec est status etiam conjugalis qui illam impedire possit.

6° Hinc concludendum frequentem communionem esse maxime exoptandam, *sollicite* simulque *discrete* promovendam. Unde Innocent. XI in præfato decreto dicebat : *Episcopi in quorum Diœcesibus viget hujusmodi devotio erga sanctissimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant.*

7° Ut tandem fructuosa sit frequens communio, hanc regulam tradit S. F. Salesius[3] : *Pour communier tous les huit jours, il est requis de n'avoir ni péché mortel, ni aucune affection au péché véniel; mais pour communier tous les jours, il faut, outre cela, avoir surmonté la plupart des mauvaises inclinations, et que ce soit par l'avis du Père spirituel.* Ratio *primi* est, quia qui frequenter communicat tendere debet ad perfectionem ; sed qui retinet affectum ad veniale, formaliter obstat suæ perfectioni : ergo, etc.

Ratio *secundi* est, quia communio quotidiana est pro per-

[1] Const. ex cap. *Sufficit de consecrat.*, dist. 1, et ex cap. *Consuluisti, de celebrat. Missæ,* quod, licet de solis sacerdotibus celebrantibus loquatur, tamen omnes DD. ad laicalem communionem extendunt. — [2] S. Ligor. — [3] *Introd. ad vitam devot.*, part. 2, cap. 20.

fectis animabus, vel quæ in perfectionem multos fecerunt progressus; sed id esse non potest, nisi ex majore parte reformatæ sint pravæ inclinationes.

ARTICULUS IV.

DE DISPOSITIONIBUS AD RITE COMMUNICANDUM.

Nota. Quædam se tenent ex parte animæ; quædam ex parte corporis. Unde duplex paragraphus.

§ I.

De dispositionibus animæ.

QUÆRES. 1. *Quot sunt dispositiones remotæ ad rite communicandum?*

RESP. Duplex est: 1° *Immunitas a censura,* quæ spiritualibus bonis privat; (urgente tamen necessitate ad scandalum vitandum, si non adsit qui ab ea absolvat, licet communicare, cum hæc prohibitio sit tantum juris Ecclesiastici.)

2° *Status gratiæ,* qui prudenter existimatur, si certus moraliter sis te nullo gravari peccato mortali non confesso.

Quod si quis sibi conscius est peccati mortalis, hæc de illo statuit Tridentinum[1]: *Nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.... modo non desit illis copia confessarii.... Quod si necessitate urgente, Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur;* circa quod observa:

I. Præceptum hoc esse divinum, ex Apostolo: *Probet autem seipsum homo;* nam hæc probatio requisita est ipsa confessio, ut patet ex Tridentino.

Resolves 1. Qui post confessionem, sed ante communionem, recordatur alicujus peccati mortalis inculpabiliter

[1] Sess. 13, cap. 7.

omissi, *probabiliter* non tenetur iterum confiteri, quia vere est justificatus per prævium confessionem, ultra quod Concilium aliquid aliud postulare non videtur. Hæc sententia, quæ est contra communissimam, videtur S. Alphonso de Ligorio[1] magis rationi consentanea.

Resolves 2. Sacerdos dubitans tantum an habeat mortale, sine prævia confessione celebrare potest, modo aliter sibi provideat, quia non est sibi conscius peccati mortalis.

II. Sibi conscius peccati mortalis, præmissa contritione potest communicare absque prævia sacramentali confessione, quando hæc duo concurrunt, nempe defectus confessarii, et necessitas communicandi.

Censetur autem abesse *copia confessarii* : 1° si nullus Sacerdos approbatus sit præsens, et absentem adire non possit sine magna difficultate, spectatis circumstantiis locorum, ætatis, ægritudinis, aeris intemperiei, brevitatis temporis, etc.; 2° si Sacerdos, etsi præsens, ignarus sit idiomatis, vel cui non possis confiteri sine gravi tuo vel alterius damno.

Censeretur vero adesse *necessitas communicandi* : 1° in periculo mortis, vel ut consecretur hostia pro morituro; 2° si celebratio vel communio omitti non potest sine scandalo vel gravi nota infamiæ, ut si quis jam ad sacram mensam accesserit, vel celebraturus ad altare, et hic recordatur peccati gravis non confessi; 3° si parochus debet ex officio celebrare, ut populus Sacrum audiat, nec sit alius qui celebret; 4° si præceptum urgeat annuæ communionis, vel Sacerdos non possit Missam audire nisi celebret, ut plures docent probabiliter contra plures[2].

III. *Quamprimum confiteatur*, quod non afficit laicos, sed sacerdotes tantum celebrantes, ut docet *communissima* et *probabilior* sententia, quia Tridentinum loquitur tantum de sacerdotibus, ut patet; atqui in casu non currit ratio correlativorum vel connexorum : ergo, etc. Unde

[1] Lib. VI, num. 257. — [2] S. Ligor., lib. VI, num. 261.

Quæres 2. *Quomodo sit Vi jendum illud Sacerdotibus impositum confitendi* quamprimum?

Resp. 1. Illud esse vere præceptum, non tantum consilium, ex proposit. 35 damnat. ab Alexand. VII, quæ dicebat : *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.*

2. Non intelligendum est de tempore confessionis consuetæ, ex altera 39 proposit. ab eodem Alexand. VII profligata : *Illa particula* quamprimum *intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.*

3. Non est intelligendum cum primum talis Sacerdos erit celebraturus, nec statim ac cessat necessitas et occasio se præbet, sed *probabilius* intra triduum, quia præceptum Ecclesiasticum non obligat cum tanto rigore, nisi citius velit celebrare.

Quæres 3. *An Sacerdos sacrilege celebrans teneatur quamprimum confiteri?*

Resp. *cum distinctione :* vel celebravit extra necessitatem, vel necessitate compulsus. *Si primum* non tenetur, quia Concilium hoc præceptum non ordinavit pro sacrilegis quibus vix unquam esset profuturum, sed ad deterrendum eos qui prætextu necessitatis differrent confiteri. *Si secundum, subdist. :* vel habuit copiam confessarii, vel non : si *prius* non tenetur, propter rationem allatam ; si *posterius,* tenetur *quamprimum* confiteri, quia Tridentinum non distinguit inter contritum et non contritum.

Quæres 4. *An teneatur* quamprimum *confiteri Sacerdos qui post consecrationem advertit se esse in peccato mortali?*

Resp. *negative.* Ratio, quia cum tunc sacrificium adsit, quamvis nondum perfectum, celebrans non potest dici celebrasse *conscius peccati.* Patet insuper ex rubrica Missalis[1] ; ita communiter contra Suarez et alios plures.

[1] Tit. VIII, num. 4.

Nota. Quidam tractant de dispositionibus *proximis*, quæ sistunt in fide viva, spe firma, et humilitate profunda: sed de his confer Mysticos.

§ II.

De dispositionibus corporis.

Nota. Duplex dispositio requiritur ex parte corporis : 1° jejunium ; 2° decentia. Unde

PUNCTUM I.

DE JEJUNIO AD COMMUNIONEM REQUISITO.

Nota. Duplex est jejunium : unum *Ecclesiasticum*, quod consistit in abstinentia a certis cibis, et in unica refectione statuto tempore sumenda ; et alterum *naturale*, quod consistit in abstinentia a quantumvis minimo quod sumitur per modum cibi et potus, a media ad mediam noctis. Et

Certum est 1° Jejunium naturale, certis tamen exceptis casibus, esse requisitum ad communionem ; id patet, tum ex capite *Ex parte*[1], tum ex variis Conciliis[2], tum traditione et usu universali Ecclesiæ, cujus rationem tradit S. Thom.[3] his verbis : 1° *in honorem hujus Sacramenti, ut scilicet in os hominis intret nondum aliquo cibo vel potu infectum*, 2° *propter sanctificationem, ut scilicet detur intelligi quod Christus et charitas ejus debet primum fundari in cordibus nostris ;* 3° *propter periculum vomitus vel ebrietatis, quæ quandoque contingeret, ex hoc quod homines inordinate cibis utantur.*

Dixi *certis casibus exceptis*, nempe

1° In periculo et in probabilitate periculi mortis, ex quacumque causa proveniat. — *Item*, in gravi morbo diuturno per modum communionis ex devotione jam recepto viatico, ad solatium et vires augendas ægroti. Aliis infirmis non

[1] *De sacrificio Missæ.* — [2] Præsertim Concil. Constans, sess. 13. — [3] 3 p. quæst. 80, art. 8.

licet, ex Rituali, sed communio post mediam noctem deferri potest, ut jejuni communicent.

2° In periculo ne Eucharistia pereat vel male tractetur ab impiis vel hæreticis, quia quod in honorem Sacramenti conditur, ei cedere non debet in irreverentiam.

3° In periculo proximo gravis scandali ex omissione sacrificii vel communionis, quod vix accidere potest in laico, semper vero in celebrante, jam incœpta Missa, nisi sit notæ vel saltem præsumptæ probitatis.

4° In necessitate perficiendi sacrificium vel communionem, consecratione peracta[1].

5° Ad communicandum moribundum qui non potest sacramentum Pœnitentiæ vel Extremæ-Unctionis recipere; nam in eo casu Eucharistia poterit esse Sacramentum extremæ necessitatis, ut ille ex attrito fiat contritus.

At vero, hoc casu præciso, non potest non jejunus celebrare ad communicandum infirmum alioquin sine viatico moriturum. Ratio est: 1° quia hoc Sacramentum non est tantæ necessitatis, et tanta reverentia ei debetur, ut ab hac lege non excusetur ob utilitatem moribundi; 2° quia hanc esse voluntatem Christi, patet ex eo quod Concilium Constantiense eximat a jejunio infirmos communicaturos, et non eximit sacerdotes celebraturos, quod alius facere non omisisset; 3° propter sedulitatem quam adhibet Ecclesia ad servandum hostias præconsecratas pro infirmis; 4° ex constanti et universali usu Ecclesiæ, cum nullum afferatur exemplum in contrarium; 5° tandem ex communi Theologorum sententia.

Certum est 2° Ad illud jejunium naturale frangendum, tres requiri conditiones, juxta communem sententiam; unde triplex regula.

Regula prima. Ad frangendum jejunium, requiritur ut aliquid sumatur *ab extrinseco,* quia quod provenit ab intrinseco, etsi voluntarie deglutiatur, non dicitur manducatio[2].

[1] Vide Rubricas Missalis et Rubricistas. — [2] S. Ligor., lib. VI, num. 279; S. Thom., in 4, dist. 8, quæst. 1, art. 4, quær. 2.

Hinc : 1° sanguis profluens ex ore, ex gingivis etc., non frangit jejunium.

2° Nec reliquiarum cibi *involuntaria* trajectio, quia transglutitur per modum salivæ. Secus *probabilius* dicendum, si trajectio sit voluntaria ; quia tunc videtur esse nova comestio, expuenda sunt ergo hujusmodi. Verumtamen in hoc non esse scrupulose agendum, monent auctores.

Regula secunda. Requiritur ut aliquid sumatur per modum *comestionis* et *potationis.*

Hinc : 1° quidquid per modum salivæ vel respirationis aut attractionis trajicitur, non frangit jejunium, ut tabacum per nares pulverem, muscam et odores, fumum tabaci aspirare, etc.

2° Guttulæ aquæ cum saliva mixtæ, casu et præter intentionem, v. gr. quæ sorbentur os abluendo, vel tempore pluvioso, modo non sint in magna quantitate, non frangunt jejunium.

Item, si quis sacchari vespere impositi in ore, ut paulatim delibatur, post mediam noctem aliquid deglutit, quia non censetur reliquum comestionis diei præcedentis, sed eadem comestio continuata.

Secus, si *ex proposito* trajiciantur, quia tunc nihil deest quin habeant rationem cibi et potus.

Regula tertia. Requiritur ut quod sumitur, habeat *rationem cibi aut potus,* id est, sit a stomacho alterabile et digestibile, etiamsi forte non nutriat. Secus, non esset juxta communem modum loquendi comestio seu potatio.

Hinc capilli, ungues, metallum, vitrum, fila ex serico, et similia, non frangunt jejunium.

Quæres : *An qui positive dubitat utrum sit necne jejunus possit communicare?*

Resp. *affirm.* juxta probabiliorem sententiam. Ratio, quia præceptum de non communicando post comestionem, est negativum : ergo non teneris a communione abstinere quamdiu non constat de comestione ; factum enim violati

jejunii esset probandum prius, quam invocetur lex prohibens; atqui factum fracti jejunii probari non potest in dubio positivo : ergo[1], etc.

PUNCTUM II.

DE CORPORIS DECENTIA.

Circa corporis decentiam hæc sunt tenenda .

1. De jure naturali requiritur exterior habitus et talis corporis compositio, quæ animi reverentiam et devotionem exhibeat, ut patet.

2. Etsi nulla prorsus corporis macula per se impediat accessum ad communionem, cum nihil faciat ad bonitatem vel malitiam animæ, expedit tamen ut ad illam corpore mundo et sine sorde spectabili accedatur.

3. Maculæ corporis occultæ, vel etiam visibiles, sed indelebiles, accessum non prohibent. Differenda tamen esset communio, si mox deleri possent.

Hinc 1° mulieres accedere debent in ornatu sancto et non in vano ornatu, et pectore cooperto. Si quæ nimis inverecunde vellent accedere, deneganda eis esset communio, si sine scandalo fieri potest.

Hinc 2° viri accedere debent in habitu humili et decenti. Pauperes autem nec repelli debent, nec ipsi erubescere, si cum vestibus attritis cogantur accedere ad illum qui amore nostri egenus est factus.

Hinc 3° exoptat decentia et humilitas christiana, ut milites, depositis armis, non insigniis ad sacram synaxim accedant, nisi sint militares Religiosi qui gladium deferunt pro tuenda fide catholica.

Hinc 4° lepra, fluxus sanguinis, et similia, quæ citra culpam patiuntur, per se non impediunt communionem.

Sacerdos tamen lepra aut alio morbo horrorem excitante infectus, seorsim celebrare debet[2]; quod si modo laicali communicet Sacerdos, sub levi tenetur uti stola.

[1] Ex cap. *Tua nos, de Clerico ægrot.* — [2] S. Ligor., lib. VI, num. 282, P. Gury et alii.

Quæres 1. *An pollutio impediat communionem?*

Resp. *cum distinctione.* Si pollutio fuerit voluntaria, sub veniali impedit eodem die communicare, quamvis confessa, nisi propter scandalum vitandum vel ob aliam justam causam, judicio prudentis confessarii exigatur communio.

Si pollutio fuerit involuntaria, aut etiam venialiter culpabilis, sive rara sit, sive frequens, et ex quacumque causa proveniat, non impedit communionem, nisi relinquatur ex ea magna mentis perturbatio quæ sedari non potest. Tunc enim sub veniali abstinendum est, nisi causa necessitatis vel devotionis aliud expostulet.

Quæres 2. *An copula conjugalis impediat a communione?*

Resp. *Dist.* Copula habita voluptatis causa, sub veniali communionem impedit, ob aliquam indecentiam quam excusat quævis honesta causa.

Copula propter bonum finem habita nullo modo prohibet, quamvis perfectius sit abstinere; ratio, quia finis honestus, a Deo volitus, sufficienter reparat quamdam illam indecentiam quæ adest in communicando post copulam[1].

CAPUT V.

DE EFFECTIBUS EUCHARISTIÆ.

Nota. Cum novatores, Lutherus et Calvinus, doceant omnia Sacramenta solum instituta esse ad fidem excitandam, qua homo justificetur, consequenter docent unicum esse effectum Eucharistiæ, nimirum remissionem peccatorum. Hinc duo discutienda occurrunt : *primum*, an effectus Eucharistiæ sit remissio peccatorum; *secundum*, quinam sint veri effectus Eucharistiæ, duplici conclusione.

[1] S. Ligor., lib. VI, num. 272, *cum communi.*

CONCLUSIO I.

De fide est Eucharistiam non conferre per se remissionem peccatorum.

Prob. 1. Ad Eucharistiam recipiendam requiritur status gratiæ, ex Apostol. dicente[1] : *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat;* ergo Eucharistia non confert per se remissionem peccatorum : unde concludit Apostolus *ibidem,* eum damnationis æternæ esse reum, *qui manducat et bibit indigne,* id est, in statu peccati mortalis.

Prob. 2. *Ex tradit. Patrum,* ad quam attendens Concil. Trident.[2] definivit : *Si quis dixerit vel præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, anathema sit.*

Dices : Matth. xxvi dicitur : *Hic est sanguis meus... qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum :* ergo Eucharistia confert per se remissionem peccatorum.

Resp. *Nego conseq.* Christus enim ibi non loquitur de sanguine bibendo, sed de sanguine effundendo in ara crucis ; unde in futuro loquitur *effundetur.* Unde sacrificium Missæ non remittit peccata per se et immediate, sed tantum mediate, ut dicetur infra cap. 1, quæst. 4 *de Missæ Sacrificio.*

Inst. 1. Atqui remissio peccatorum est effectus sanguinis bibendi : ergo, etc.

Prob. subsumpt. Ecclesia in Post-Communionibus sic precatur : *Hæc nos communio purget a crimine... sit ablutio scelerum, sit vivorum atque mortuorum remissio omnium delictorum :* ergo remissio peccatorum est effectus Eucharistiæ.

Resp. *Dist. cons.* Effectus Eucharistiæ, ut est Sacrificium, est remissio peccatorum, *conc. conseq.;* ut est Sacramentum, *subdist. :* peccatorum venialium, *trans.;* mortalium, *nego.*

[1] I Cor. II, 23. — [2] Sess. 5, can. 5.

Itaque Eucharistia, ut est Sacrificium, habet vim impetrandi remissionem peccatorum mortalium. sed ut est Sacramentum, habet duntaxat vim immediatam remittendi venialia et præservandi a mortalibus.

Inst. 2. Eucharistia, ut est Sacramentum, continet virtutem passionis Christi : ergo habet vim remittendi mortalia.

Resp. *Dist. ant.* Continet virtutem passionis Christi, sub ratione cibi et potus spiritualis qui vitam supponit in eo cui datur, *conc.;* sub quacumque ratione, *nego ant.;* alias unicum Sacramentum esset sufficiens, alia essent inutilia.

CONCLUSIO II.

Novem sunt effectus Eucharistiæ præcipui quoad animam et circa corpus.

Prob. enumeratione singulorum.

Primus effectus est spiritualis nutritio animæ; Eucharistia enim efficit quod significat; atqui significat nutritionem spiritualem animæ[1] : *Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus.* Ergo illam efficit in anima.

Hæc autem nutritio spiritualis consistit tum in augmento gratiæ sanctificantis, tum in jure ad gratias actuales necessarias ad conservandam charitatem et unionem cum Christo.

Secundus effectus est liberatio a peccatis venialibus et præservatio a mortalibus, et consequenter perseverantia in bono; hoc patet ex Concil. Trident. dicente[2] Eucharistiam esse *antidotum quo liberamur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus præservamur;* nimirum per gratias actuales, quæ illius intuitu dantur ad reparandum et excitandum ardorem charitatis a venialibus remissum, et præservandum a morte spirituali, conservando vitam animæ.

[1] Joan. III. — [2] Sess. 13, cap. 5.

Porro venialia quorum non habetur complacentia, remittuntur non quidem *immediate* vi Sacramenti, et ex opere operato, ut plures volunt, sed tantum *mediate* per actum charitatis quem hoc Sacramentum excitat[1].

Tertius effectus est ineffabilis unio cum Christo, ex Concil. Florent. dicente : *Hujus Sacramenti effectus quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum.* Qui igitur devote hoc Sacramentum suscipit, Filium Dei ita in se admittit, ut ejus Corpori tanquam membrum vivum inseratur, inquit Catechismus Concilii Tridentini.

Quartus effectus est imminutio fomitis peccati, augendo scilicet charitatem actualem, ut docet Div. Thom. dicens[2] : *Diminuit tamen* (Eucharistia) *fomitem ex quadam consequentia in quantum auget charitatem, quia, sicut August. dicit*[3], *augmentum charitatis est diminutio cupiditatis.*

Quintus effectus est quod sit pignus futuræ gloriæ, juxta illud[4] : *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum;* et semen gloriosæ resurrectionis : *Qui manducat meam carnem..... resuscitabo eum in novissimo die,* ut ibidem ait Div. Joan.

Sextus effectus est quod remittat, per accidens, peccatum mortale, si nimirum, ut ait Div. Thom.[5], *percipiatur ab eo qui est in peccato mortali, cujus conscientiam et affectum non habet : forte enim primo non fuit sufficienter contritus; sed devote et reverenter accedens consequitur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet et remissionem peccati.*

Septimus effectus est excitare phantasiam, imaginationes et ac repræsentationes ad bonum, et avertere a malis cogitationibus.

Octavus effectus est corpus sanctificare contactu Corporis Christi.

Nonus effectus est tribuere corpori sementem resurrec-

[1] S. Ligor., lib. VI, num. 269. — [2] In 3 p., quæst. 79, art. 6, ad 3. — [3] Lib. LXXXIII *Quæstionum,* — [4] Joan. VI. — [5] In 3 p., quæst. 79, art. 3.

tionis et gloriæ, quia symbolum est hoc Sacramentum immortalitatis tam corporis quam animæ.

Quæres 1. *Quandonam Eucharistia in suscipiente effectum suum producat?*

Resp. Tunc producere quando species manducantur, manducantur autem cum trajiciuntur in stomachum : ratio est quia, juxta Concil. Florent., *omnem effectum quem materialis cibus et potus quoad vitam agunt corporalem*, Eucharistia *quoad vitam operatur spiritualem ;* atqui materialis cibus non nutrit nisi dum ad stomachum pervenit : ergo nec Eucharistia.

Hinc sequitur eum qui sacras species in ore detineret usque ad earum corruptionem, nullum ex hoc Sacramento fructum fore percepturum. Sed

Quæres 2. *An Eucharistia causet gratiam* ex opere operato *toto tempore quo species manent in stomacho?*

Resp. Alii *probabiliter* negant, tum quia effectus producitur in sumptione, ut diximus : ergo post sumptionem nihil percipitur; tum quia gratia promissa est soli manducanti et bibenti; sed toto tempore quo species post sumptionem manent in stomacho, non manducatur : ergo, etc.; tum quia exinde sequeretur : 1° illum plus gratiæ recipere, qui debiliori esset stomacho, vel grandiorem sumeret hostiam; 2° illum, qui peccaret mortaliter, adhuc remanentibus in stomacho speciebus, reum esse Corporis et Sanguinis Domini, quod videtur inconveniens : ergo, etc[1].

Alii non minus *probabiliter* affirmant, dummodo homo magis ac magis se disponet. Ratio est, quia Sacramentum illud sumitur per modum cibi : ergo sicut cibus toto tempore quo manet in stomacho corpus nutrit, ita semper ac Eucharistia manet, nutrit animam augendo gratiam. Nec sequitur secundum inconveniens supra allatum, quia aliud est receptio Sacramenti, aliud ejus præsentia in nobis.

Quoad primum non videtur esse inconveniens, ut quis

[1] Salmant., Billuart., Cajet., Soto, Vasq., etc.

per accidens plus recipiat. Verumtamen Innocent. XI, post decretum S. Congreg., damnavit usum plures hostias vel solito grandiores communicantibus præbere[1].

Quæres 3. *Quanto tempore species maneant incorruptæ?*

Resp. Generaliter loquendo, species parvæ formulæ laicorum intra 5 minutarum spatium, vel 5 *Pater* et *Ave*, corrumpuntur, magnæ vero formulæ sacerdotum, saltem post quadrantem corrumpuntur.

Quæres 4. *An per peccata venialia interdum impediatur Eucharistiæ effectus?*

Resp. Duo in peccato veniali distinguenda esse, reatum scilicet et affectum. 1° Reatus peccati venialis præteriti tollitur per Eucharistiam, nedum ejus effectum impediat. 2° Affectus ad peccatum veniale impedit fervorem charitatis et dulcedinem refectionis actualis, non vero impedit augmentum gratiæ; ita Div. Thom. dicente[2]: *Actualis refectio spiritualis dulcedinis impeditur, si aliquis accedat ad hoc Sacramentum per peccata venialia mente distractus, non autem tollit augmentum habitualis gratiæ vel charitatis...* Proinde qui cum affectu peccati venialis ad communionem accedit, non manducat indigne Corpus Domini, nec judicium sibi manducat, *nam mundus est, et non indiget nisi ut pedes lavet*, id est, labeculas illas, quæ ex terrena conversatione adhærent, et nimium ad res creatas affectum exuat; quibus tamen creatorem præponit, ita comparatus, ut illas penitus abjiceret, si animam a Deo separarent.

Quæres 5. *An Eucharistia, quatenus est Sacramentum, aliis quam sumentibus prodesse possit?*

Resp. Non prodesse *directe et ex opere operato*. Ratio est, quia Eucharistia per modum cibi fuit instituta; at cibus non prodest nisi sumenti: ergo, etc.

Dixi *directe et ex opere operato;* nam indirecte et ex opere operantis aliis prodesse potest, si nimirum communicans in aliorum gratiam communionem suam offert; unde

[1] Ita Suarez, Collet, S. Ligor. et alii. —[2] 3 p., quæst. 10, art. 8.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, proscripsit opinionem eorum qui morem communicandi pro mortuis damnant.

PARS SECUNDA.

DE EUCHARISTIA PROUT EST SACRIFICIUM.

Nota. Totam hanc partem decem capitibus solvemus.

Primum erit proœmiale de sacrificio in genere; *secundum* erit de existentia sacrificii Missæ; *tertium* erit de essentia ejusdem; *quartum*, de ejus efficacia; *quintum*, de ejus valore; *sextum*, de ejus causa efficiente; *septimum*, de iis pro quibus potest Sacrificium applicari; *octavum*, de obligatione celebrandi Missam; *nonum*, de celebratione Missæ; *decimum*, de Missis privatis et de lingua liturgica.

CAPUT I.

DE SACRIFICIO IN GENERE.

Nota. Duplici modo sumitur Sacrificium, late scilicet, et stricte.

Sacrificium *late* sumptum est quælibet actio sive interna, sive externa, quæ ad Dei gloriam refertur : tales sunt eleemosyna, psalmodia, etc. De Sacrificio late sumpto Div. August. sic scribit : *Verum Sacrificium est omne opus quod agitur ut sancta societate inhæreamus Deo.*

Sacrificium proprie dictum definitur : *Oblatio externa rei sensibilis legitime instituta, soli Deo a legitimo ministro facta, per realem hostiæ immutationem ad testandum Dei supremum dominium in omnes creaturas, et nostram subjectionem.*

Dicitur 1° *oblatio:* pro genere, per quod Sacrificium convenit cum oblationibus primitiarum et bonorum operum, quæ ad Deum referuntur.

Dicitur 2° *externa rei sensibilis,* ut excludatur a ratione sacrificii proprie dicti oblatio interna, qua quis se suaque Deo offert.

Dicitur 3° *legitime instituta,* a Deo, qui hanc sibi potestatem in utroque Testamento reservavit.

Dicitur 4° *soli Deo facta;* quia Sacrificium proprie est cultus latriæ, qui soli Deo exhiberi potest[1].

Dicitur 5° *a legitimo ministro;* id est, a personis ad id specialiter deputatis, *nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron*[2]; tales erant in lege naturæ primogeniti; in lege Evangelica, soli Sacerdotes.

Dicitur 6° *per realem hostiæ immutationem;* quia ad testandum supremum Dei in res omnes dominium, non solum usus rei Deo debetur, sed et ipsa substantia, quæ vel debet destrui, quomodo animalia occidebantur; vel saltem immutari, quomodo liquores in libationibus fundebantur, et caper emissarius, tanquam exsul, ejiciebatur in desertum.

Dicitur 7° *ad testandum Dei supremum dominium,* etc.; est quippe hic Sacrificii finis essentialis, differtque a Sacramentis, quæ, ut talia sunt, ad hominis sanctificationem diriguntur.

Quæres : *Quomodo dividitur Sacrificium?*

Resp. 1° Dividitur, ratione materiæ, in *victimas,* quæ erant ex animantibus, ovibus nempe, bobus, etc.; *immolationes,* ex rebus inanimis, sed solidis, ut farina, pane, etc.; et *libamina,* ex rebus liquidis, ut vino, oleo, etc.

2° Dividitur, ratione formæ, in *holocaustum,* in quo res oblata tota cremabatur; in *hostiam pro peccato,* cujus pars cremabatur, altera cedebat in usum sacerdotum, qui in atrio templi ex eo vescebantur; et in *hostiam pacificam,*

[1] Exod. xxii, 20. — [2] Hebr. v, 40.

cujus una pars cremabatur, altera cedebat in usum tum sacerdotum, tum offerentium.

3° Dividitur, ratione finis, in *latreuticum, eucharisticum, impetriatorum* et *propitiatorum.*

Sacrificium *latreuticum*, est Sacrificium oblatum ad Deum latreutice colendum.

Eucharisticum, est Sacrificium oblatum Deo in actionem gratiarum pro beneficiis ab eo acceptis.

Impetratorium, est Sacrificium oblatum Deo pro beneficiis ab eo impetrandis.

Propitiatorium, est Sacrificium Deo oblatum pro remissione peccatorum.

Porro in lege Mosaica oblata fuerunt Deo sacrificia prope innumerabilia, cujus rei rationes esse possunt : 1° ne populus, exemplis Ethnicorum, *dæmoni victimas mactarent,* Deus *sibi mactari permisit*, inquit Chrysostomus (in psalm. XLIX); 2° ut ex illorum multitudine, ipsorum insufficientia demonstraretur; 3° ut excellentiam Sacrificii novæ legis, quod præfigurabant, ostenderent. Adveniente autem nova lege, omnia illa antiqua cessarunt, quia illorum proprietates et varios fines in se complectitur unicum novæ legis Sacrificium; de quo

CAPUT II.

DE EXISTENTIA SACRIFICII EUCHARISTIÆ.

Nota 1. Eucharistiam, prout est Sacrificium, aptissime nuncupari Missam; quæ vox probabiliter derivatur a voce hebraica *missach,* quæ significat oblationem spontaneam; vel probabilius a verbo *mitto*, quia, liturgia Sacrificii peracta, dimittebatur populus a Diacono dicente : *Ite, missa est.*

Nota 2. Calvinistæ et Lutherani negant Eucharistiæ celebrationem esse verum Sacrificium; affirmant vero omnes Catholici, cum quibus sit

CONCLUSIO.

Eucharistia est verum ac proprie dictum Sacrificium quod in Missa offertur.

Hæc proposit. est de fide definita a Concil. Trident.[1] his verbis : *Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum et proprium Sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.*

Prob. *proposit.* 1° *Ex necessitate Sacrificii.* Non potest esse vera religio sine vero Sacrificio. Sacrificium enim est præcipuus religionis actus; atqui nihil potest assignari in religione Christiana cui conveniat ratio Sacrificii proprie dicti, præter Missam, et in Missa reperiuntur omnes conditiones ad Sacrificium proprie dictum requisitæ : ergo in Missa offertur Sacrificium proprie dictum.

Prima pars minoris est evidens, cum in nova lege omnia Sacrificia desierint, præter Missam. Ideo

Prob. secunda pars minoris : Nempe, in Missa reperiri omnes conditiones Sacrificii; Sacrificium enim est oblatio externa rei sensibilis, legitime instituta, soli Deo a legitimo ministro facta, per realem hostiæ immutationem, ad testandum Dei supremum dominium in omnes creaturas, et nostram subjectionem; atqui talis est Missa; nam

1° Est *oblatio,* nimirum Corporis et Sanguinis Christi tanquam hostiæ; unde Apostol.[2] ait : *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt.*

2° Est *oblatio externa rei sensibilis,* corpus enim et sanguis Christi sunt sensibilia per species panis et vini.

3° Est *legitime instituta* a Christo, qui jussit ut idipsum Apostoli et eorum successores facerent quod ipse fecerat in ultima cœna : *Hoc facite in meam commemorationem;* atqui in ultima cœna Corpus et Sanguinem suum Deo Patri ob-

[1] Sess. 22, can. 1. — [2] Hebr. XIII, 10.

tulit : *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur,* id est offertur : ergo, etc.

4° Est oblatio *soli Deo facta,* cum sacrificium Missæ sit cultus latriæ ad honorem Dei relatus.

5° Est facta *a legitimo ministro,* nempe a Sacerdotibus quos instituit, cum dixit : *Hoc facite in meam commemorationem,* prout definivit Trident.[1]

6° Fit *per realem hostiæ immutationem,* quia Christus victima in Missa mystice immolatur, quatenus, vi verborum, tanquam gladio spirituali, Sanguis ejus a Corpore separatur ad recognoscendum supremum Dei dominium. Quare Div. August.[2] ait : *Christus semel immolatus est in seipso, in Sacramento omni die populis immolatur.*

Prob. 2. *Ex Scripturis.* 1° Ex ipsa *institutione* Eucharistiæ : Christus instituens Eucharistiam, verum ac proprium Deo obtulit Sacrificium ; atqui Missa est idipsum quod fecit et quod facere præcepit Apostolis et eorum successoribus, dicens : *Hoc facite in meam commemorationem.* Ergo Missa est verum ac proprie Sacrificium. Minor patet, nec negatur.

Prob. maj. Sacrificium Missæ est commemorativum seu relativum ad sacrificium Crucis. Atqui ad rationem formalem Sacrificii commemorativi seu relativi, duo requiruntur et sufficiunt : 1° realis præsentia Christi in Eucharistia, 2° repræsentatio mortis Christi in agnitionem supremi dominii Dei in omnes creaturas. *Subsumo;* atqui : 1° Christus præsens est realiter in Eucharistia, ex supra dictis; 2° in Missa est repræsentatio mortis Christi in recognitionem dominii quod Deus habet mortis et vitæ; nam consecratio utriusque speciei panis et vini seorsim facta, significat, fatentibus adversariis, separationem Sanguinis a Corpore, quæ facta fuit in ara Crucis : ergo vera est repræsentatio mortis Christi; jam vero hæc repræsentatio seu relatio, est intrinseca consecrationi : ergo intrinseca pariter ipsi est formalis ratio Sacrificii veri et proprie dicti.

[1] Sess. 22, can. 2. — [2] Epist. XXIII.

2° Ex *adjunctis* in institutione Eucharistiæ : 1° Christus primum vetus Pascha celebravit in mactato corpore Agni paschalis, deinde novum ejus loco suffecit oblationem Corporis sui; atqui celebratio Agni paschalis verum et proprium erat Sacrificium : ergo verum Sacrificium quoque dici debet celebratio novi. Hæc enim sola discrepantia est inter novum et antiquum, quod illud fuerit absolutum in pecude, istud vero relativum ad sacrificium Christi in cruce peragendum. — 2° Christus in institutione Eucharistiæ, alludens ad id quod fecerat Moyses, dixit : *Hic est sanguis novi Testamenti,* sicut Moyses dixerat : *Hic est sanguis fœderis,* etc.; atqui verba Moysis dicta sunt de sanguine oblati Sacrificii : ergo et verba Christi de oblato Sacrificio intelligi quoque debent.

3° Ex *comparatione :* 1° Apostolus[1] confert mensam et altare Christianorum cum mensa et altare Ethnicorum : *Non potestis Calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum; non potestis mensæ Domini participes esse et mensæ dæmoniorum;* atqui mensa et altare Ethnicorum referuntur ad sacrificia, quæ, licet falsis diis offerrentur, vera tamen erant sacrificia : ergo mensa et altare Christianorum ad verum et proprium Sacrificium referuntur, alias nulla esset comparatio. — 2° Idem Apostolus[2] altare Christianorum confert cum altari Judæorum, dicens : *Habemus altare de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo* (id est altari tabernaculi) *deserviunt :* ergo sicut Judæi, ita Christiani habent altare de quo edunt. *Subsumo :* atqui altare relationem dicit ad sacrificium; ubi enim est altare, ibi necessario intervenit sacrificium; sed apud Christianos nullum aliud datur sacrificium quam Eucharistiæ, nec aliud edunt quam Eucharistiam. Ergo, etc.

4° Ex *celebri prophetia Malachiæ,* cap. 1 : *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra : ab ortu enim solis ad occasum*

[1] I Cor. x, 20 et 21. — [2] Hebr. xiii, 10.

magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda. Tria importat hæc prophetia : 1° veterum sacrificiorum abrogationem; 2° illis novi Sacrificii excellentioris subrogationem; 3° ejusdem ubique terrarum oblationem et celebrationem per novos Sacerdotes ex gentibus assumptos; atqui tria hæc in solo sacrificio Eucharistiæ reperiuntur : 1° quidem est oblatio munda, ut patet; 2° in omni loco Deo offertur, nec prophetia potest intelligi de sacrificio Crucis, cum non sit nec fuit oblatum in omni loco, sed semel tantum in Judæa, nec de sacrificio spirituali bonorum operum, quia tale sacrificium non est novum, nec substituendum loco antiquorum sacrificiorum, est enim ab initio mundi : aliunde tale sacrificium semper est Deo gratum; 3° offertur per novos Sacerdotes ex gentilitate assumptos. Ergo, etc.

5° Tandem Christus in *psalmo* CIX, et *ad Hebr.* VII, dicitur Sacerdos secundum ordinem Melchisedech; atqui sic non dicitur nisi ex similitudine rei oblatæ in sacrificium, scilicet panis et vini : ergo, etc. Ita communiter intelligunt SS. Patres[1].

Veritas sacrificii Eucharistici probatur insuper sicut præsentia realis, tum ex constanti Traditione, tum ex usu universalis Ecclesiæ, id est, argumento præscriptionis.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Apostol. inculcat unicum Christi in cruce Sacrificium, dicens[2] : *Sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel... una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Ergo nullum est aliud religionis Christianæ Sacrificium; ideoque Missa injuriosa est cruci Christi.

Resp. *Dist. ant.* Apostol. inculcat unicum Christi in cruce Sacrificium, per exclusionem alterius Sacrificii cruenti, *conc.*; per exclusionem vero Sacrificii incruenti, *nego ant.*

[1] Conf. Bellarm., lib. V *de Eucharistia,* cap. 7. — [2] Hebr. X.

Itaque Apostol. loquitur de Sacrificio in cruce peracto, quod est unicum, ex quo vim habent nostra Sacrificia, cum illud unicum, sit quasi fons et pretium nostrorum, nostraque Sacrificia illius sint quasi rivulus, applicatio et repræsentatio continua; unde patet Missam non esse injuriosam cruci, cum sit crucis continua commemoratio et commendatio; sacrificium enim Crucis nobis pretium comparavit, Missa vero confert nobis hujus pretii applicationem.

Inst. 1. Apostol. docet ibidem vetera Sacrificia cessasse, quia quotidie quasi infirma et inefficacia repetebantur: *Et omnis quidem Sacerdos præsto est quotidie ministrans, et easdem sæpe offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata;* atqui talis quoque est Missa. Ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Aaronica enim sacrificia repetebantur, eo quod nullam haberent vim expiandi culpam theologicam, sed tantum legalem et umbraticam, hæc enim est eorum infirmitas; nostra vero Missæ sacrificia repetuntur, quia nova committimus peccata, quæ nova expiatione Sacrificii, quo nobis applicetur meritum et satisfactio sacrificii Crucis, indigent.

Inst. 2. Apostolus, eadem Epistola[1], solum Christum statuit Pontificem et Sacerdotem: ergo non sunt ponendi in Ecclesia alii Sacerdotes.

Resp. *Nego conseq.* Excludit quidem Apostolus multitudinem Sacerdotum in eadem auctoritate et dignitate cum Christo, sed non excludit multitudinem Sacerdotum inferiorum, qui sunt vicarii et ministri Christi in sacerdotio, qui Crucis sacrificium nobis per Missæ sacrificium repræsentant et applicant; ait enim: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Pars autem præcipua sacri ministerii in liturgiæ celebratione posita est.

Inst. 3. Christus nullos habet Sacerdotes successores;

[1] Hebr. VII, 23.

est enim *Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech :* ergo jam nulli sunt in Ecclesia Sacerdotes.

Resp. *Nego conseq.* Ideo enim Christus est Sacerdos in æternum, quia per ministerium Sacerdotum offert Sacrificium simile illi quod obtulit Melchisedech, hoc est, in pane et vino; nec inde sequitur quod Christus habeat successores in Sacerdotio, sed ministros duntaxat et vicarios, per quorum ministerium ipse consecrationem perficit, dicens : *Hoc est Corpus meum; Hic est Sanguis meus,* etc.; ista enim verba profert Sacerdos in persona Christi, non in sua, cum non suum, sed Christi Corpus et Sanguinem demonstret.

Objicies 2. Eucharistia est Sacramentum : ergo non potest esse Sacrificium; hæc enim duo pugnant inter se.

Resp. *Dist. conseq.* Non potest esse Sacrificium, sub eodem formali respectu quo est Sacramentum, *conc.;* sub alio respectu, *nego conseq.* Eucharistia enim sub duplici respectu consideranda est : 1° quatenus tendit ad sanctificationem hominis efficiendam, et sic est Sacramentum; 2° quatenus directe et primario tendit ad recognoscendum supremum Dei in omnes creaturas dominium, licet secundario tendat ad impetranda uberiora gratiæ auxilia, et sic est Sacrificium.

Inst. Ubi non est immutatio realis hostiæ, ibi non est Sacrificium; atqui in Missa non fit realis immutatio Christi, qui ibi non occiditur : ergo in Missa non est verum Sacrificium.

Resp. *Dist. maj.* Ubi non est realis immutatio hostiæ neque cruenta, neque mystica, ibi non est Sacrificium, *conc.;* ubi non est immutatio cruenta, sed est mystica, *nego maj.,* et sic distincta min., *nego conseq.*

Itaque in sacrificio Missæ Christus moraliter et mystice occiditur, quatenus vi verborum Corpus ejus separatur a Sanguine, quo fit ut agnus in hoc Sacrificio immolatus, ibi sit tanquam occisus : hinc S. Chrysost., homil. xv *ad Po-*

putum, ait : *Quid agis, o homo? juras super sacram mensam, ubi et Christus occisus jacet*, non cruento modo, quod semel in cruce actum est, sed incruento et mystico.

CAPUT III.

DE ESSENTIA SACRIFICII MISSÆ.

Hic duæ dirimendæ sunt controversiæ : *prima*, in qua parte Missæ essentialiter consistat Eucharistiæ Sacrificium ; *secunda*, an salvetur ratio Sacrificii in consecratione unius speciei ; quæ quæstiones scholasticæ diversas inter Theologos pariunt sententias, quæ ut elucidentur, sit

CONCLUSIO I.

Tota Sacrificii Eucharistiæ essentia in sola consecratione consistit.

Prob. 1. Sex sunt actiones, de quibus inter Catholicos controvertitur an in ipsis consistat essentia Sacrificii : *prima*, est oblatio panis et vini ante consecrationem ; *secunda*, est consecratio ipsa ; *tertia*, est oblatio Corporis et Sanguinis post consecrationem ; *quarta*, est fractio et commixtio cum sanguine ; *quinta*, est communio Sacerdotis ; *sexta*, est distributio fidelibus ; atqui in nulla harum consistit essentia Sacrificii, nisi in consecratione : ergo tota essentia sacrificii consistit in sola consecratione.

Prob. min. 1° *Non consistit in oblatione panis et vini ante consecrationem*, tum quia non a Christo, sed ab Ecclesia est instituta ; tum quia essentia sacrificii Missæ consistere debet in oblatione et immutatione solius victimæ Sacrificii ; atqui panis et vinum non sunt victima sacrificii Missæ, sed solus Christus, ut testatur Concil. Trident., dicens[1] : *Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens*

[1] Sess. 12, cap. 2.

Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Ergo, etc.

2° *Non consistit in oblatione Corporis et Sanguinis post consecrationem;* tum quia non est instituta a Christo, tum quia in hac oblatione nulla fit victimæ immutatio; atqui immutatio, eaque realis, est essentialis Sacrificio. Ergo, etc.

3° *Non consistit in fractione et commixtione specierum,* quia per illas Corpus et Sanguis, quæ solum habent rationem victimæ, nec offeruntur, nec mutantur realiter per aliquam destructionem. Ergo, etc.

Dices : Species sacramentales sunt pars Sacrificii : ergo ad ejus essentiam pertinent.

Resp. *Nego ant.* Sunt tantum conditiones quibus Sacrificium sensibile redditur.

Prob. ant. Illud est pars Sacrificii, sine quo Sacrificium nec esse, nec concipi potest; atqui sine speciebus sensibilibus Sacrificium nec esse, nec concipi potest. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Sine quo tanquam parte essentiali, *conc.;* tanquam conditione sine qua non, *nego maj.* Patet ex dictis.

Inst. Species panis et vini sunt pars essentialis Sacramenti : ergo et Sacrificii.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod Sacramentum sit essentialiter signum sensibile ad sanctificationem hominis efficiendam, ac proinde species sacramentales, quæ sunt signum sensibile, pertinent ab substantiam Sacramenti. At Sacrificium non consistit nisi in oblatione et immolatione victimæ sensibilis ad testandum supremum Dei dominium; cum ergo species nec offerantur, nec immolentur, non sunt de substantia sacrificii, sed meræ conditiones sine quibus victima non esset sensibilis, nec posset offeri.

4° *Non consistit in distributione fidelibus,* cum Concil. Trident.[2] definierit Missam esse licitam, licet nulli distribuatur Corpus Christi.

[1] Sess. 22, can. 8.

5° *Non consistit in communione Sacerdotis;* nam actio sacrificativa est propria Sacerdotis; atqui communio talis non est, nam et Laici communicant, et Diaconi tanquam ministri extraordinarii Eucharistiam distribuunt. Ergo, etc.

Dices : Per communionem Sacerdotis immutatur hostia : ergo pertinet ad essentiam Sacrificii.

Resp. *Dist. ant.* Immutatur hostia ad suscipientis utilitatem, *conc.;* primario ad recognoscendum Dei supremum dominium, *nego ant.;* alias communio populi pertineret ad essentiam Sacrificii, quod est falsum.

Inst. Ecclesia præcipit ut, si forte Sacerdos, repentino morbo correptus post consecrationem, non possit species consumere, alius substituatur Sacerdos, etiam non jejunus, si alter desit, qui utramque speciem sumat, ut perficiatur Sacrificium : ergo consumptio specierum est de essentia Sacrificii.

Resp. *Nego conseq.* Ecclesiæ præceptum probat quidem communionem Sacerdotis pertinere ad integritatem Sacrificii, non ad essentiam ejusdem. Cujus integritatis defectu dicitur cap. *Relatum,* de Consecr., dist. 2 : *Quale erit Sacrificium cujus neque ipse sacrificans particeps esse dignoscitur?* Unde directe

Prob. *proposit.* 2. In ea sola actione consistit tota essentia sacrificii Missæ, quam Sacerdos exercet in persona Christi, qui est principalis offerens, ex Trident.[1]; atqui sola consecratio est actio quam Sacerdos exercet in persona Christi, dicens : *Hoc est Corpus meum :* ergo tota essentia Sacrificii consistit in sola consecratione. Hinc Div. Thom.[2] ait : *Consecratione hujus Sacramenti Sacrificium Deo offertur.* Et in resp. ad primum : *Alia Sacramenta perficiuntur in usu fidelium; sed hoc Sacramentum perficitur in consecratione Eucharistiæ in qua Sacrificium Deo offertur.*

Objicies : In consecratione Corpus et Sanguis Christi non

[1] Sess. 22, cap. 2. — [2] 3 p., quæst. 82. art. 10.

destruuntur; ergo essentia Sacrificii non consistit in consecratione.

Resp. *Nego ant.* Nam in consecratione destruitur hostia, si non cruente, saltem mystice, realiter tamen, tum quia Christus per consecrationem sub speciebus ponitur ut immolatus per separationem Sanguinis a Corpore; tum quia per consecrationem ponitur in statu proximo ad realem destructionem, nam producitur sub speciebus, ut iis corruptis, Christus non solum mystice, sed raliter destruatur quoad esse reproductum.

Inst. 1. Quod producitur non destruitur; atqui per consecrationem Christus producitur : ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Quod producitur per actionem non sacrificativam, non destruitur, *conc.;* quod producitur per actionem sacrificativam, non destruitur, *nego maj.* Christus autem producitur per actionem sacrificativam, unde producitur et offertur una eademque actione.

Inst. 2. Atqui consecratio non est actio sacrificativa: ergo, etc.

Prob. subsumpt. Actio sacrificativa supponit victimam; atqui consecratio non supponit victimam, nempe Christum sub speciebus : ergo non est actio sacrificativa.

Resp. *Dist. maj.* Actio sacrificativa non productiva victimæ supponit victimam *conc.;* productiva victimæ, *nego maj.;* hic autem una eademque est actio qua Christus producitur et destruitur mystice.

Inst. 3. In die Parasceves non fit consecratio, et tamen fit Sacrificium : ergo consecratio non est actio sacrificativa.

Prob. ant. In die Parasceves Sacerdoti dicenti . *Orate, fratres,* respondet minister : *Suscipiat Dominus Sacrificium de manibus tuis :* ergo, etc.

Resp. *Nego conseq.* Ratio est, quia ibi Sacrificium sumitur pro re sacrificata, nempe Corpore Christi, non vero pro actione sacrificandi, quæ non fit eo die; unde vocatur *Missa præsanctificatorum.*

Extat vero *septima* sententia, quæ S. Ligorio[1] videtur probabilior, quæque dicit essentiam Sacrificii consistere partialiter in consecratione, et partialiter in sumptione : *In consecratione enim*, inquit Sanctus, *ponitur victima, et in sumptione consumitur*.

Ratio *prima*, quia verum et reale Sacrificium, veram requirit et realem destructionem rei absolutæ, quæ non habetur nisi per sumptionem Sacerdotis, qua destruitur sacramentalis essentia Christi. Nec obstat dicere quod in consecratione jam habetur mors mystica, et in tantum non habetur mors realis, in quantum propter naturalem concomitantiam, nequeunt Christi Sanguis et anima a Corpore separari. Nam respondetur quod si concomitantia illa naturalis impedit mortem, impedit etiam sacrificium, quod sine vera et reali destructione non consumitur.

Ratio *secunda*, quia si destructio non fieret per sumptionem, sequeretur quod Sacrificium fieret in cœlo, non in altari ; nam ut in altari fiat sacrificium, opus est ut prius ibi victima ponatur integra, et deinde destruatur. Cum autem in consecratione panis, vi verborum veniat tantum Corpus a Sanguine separatum, sequitur præsupponi destructio jam facta in cœlo, ubi Christus integer manet. Licet enim ratione concomitantiæ Christus integer veniat, hoc fit per accidens. Cum tamen Sacrificium fiat per se vi verborum, ratione separationis Sanguinis a Corpore, necesse est, ut etiam *per se* vi verborum ponatur integer Christus, prius quam destruatur.

Cæterum omnes conveniunt communionem Sacerdotis spectare saltem ad integritatem Sacrificii, et hæc est ratio cur tanta sit Ecclesiæ sollicitudo, ut utraque species sumatur a celebrante, vel si casu non potest, ab alio Sacerdote etiam non jejuno[2].

[1] Lib. VI, num. 305. — [2] Rubr. Miss., tit. X *de Defectu*, num. 3.

CONCLUSIO II.

Probabilius et communius est ad essentiam Sacrificii necessariam esse utriusque speciei consecrationem.

Prob. Consecratio utriusque speciei est necessaria jure et præcepto divino, juxta illud : *Hoc facite in meam commemorationem;* ergo consecratio utriusque speciei ad essentiam Sacrificii pertinet.

Prob. conseq. Circa ea quæ sunt institutionis divinæ, quidquid est necessarium jure divino, ad essentiam rei institutæ pertinet; sic expressa invocatio trium personarum est de essentia Baptismi, quia ipsam Christus præcepit; atqui sacrificium Eucharistiæ est institutionis divinæ : ergo quidquid in Sacrificio est necessarium præcepto divino, pertinet ad essentiam Sacrificii.

Dices 1. Consecratio utriusque speciei est tantum necessaria jure Ecclesiastico : ergo, etc.

Prob. ant. Innocent. IV cum Norvegis dispensavit ut in una duntaxat specie propter vini penuriam, consecrarent, ut refert Volateranus[1]. Ergo est tantum necessaria jure ecclesiastico.

Resp. *Nego utrumque ant.* Illæ enim dispensationes sunt fictitiæ, deceptusque est geographus Volaterranus.

Dices 2. Per consecrationem unius speciei Christus offertur, nam ponitur in altari tanquam victima : ergo nihil deest ad Sacrificium.

Resp. *Nego conseq.* Deest enim expressa significatio mortis Christi, quæ in separatione utriusque speciei repræsentari debet, juxta institutionem Christi.

Inst. Per unius speciei consecrationem sufficienter repræsentatur sacrificium Crucis : ergo nulla responsio.

Prob. ant. Per separationem animæ a corpore sufficienter repræsentatur sacrificium Crucis; atqui per unius spe-

[1] Lib. VII *Geograph.*, cap. 4.

ciei consecrationem, separatur anima a Corpore, quod vi verborum est Corpus exsangue : ergo per unius speciei consecrationem sufficienter repræsentatur.

Resp. *Nego maj.* Quia sacrificium Crucis non tantum repræsentatur per mortem, sed præcipue per causam mortis, effusionem nempe sanguinis, quam utriusque speciei consecratio distincta proxime et immediate, mortem vero mediate tantum et consequenter significat.

CAPUT IV.

DE EFFICACIA SACRIFICII MISSÆ.

CONCLUSIO.

Sacrificium Missæ sua efficacia comprehendit omnia antiquæ Legis sacrificia.

Prob. In antiqua lege erant quatuor Sacrificiorum genera, nempe Latreuticum, Eucharisticum, Propitiatorium et Impetratorium; atqui sacrificium Missæ comprehendit illa quatuor Sacrificiorum genera : ergo, etc.

Prob. min. per partes.

1° Sacrificium Missæ est *latreuticum,* quia offertur Deo ad testandum supremum ejus in omnes creaturas dominium.

2° Est *Eucharisticum,* in quantum offertur in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis, ut patet ex praxi Ecclesiæ.

3° Est *propitiatorium,* et quidem ex opere operato.

Prob. 1. Quod est institutum in remissionem peccatorum, est propitiatorium; atqui sacrificium Missæ est institutum in remissionem peccatorum[1] : *Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur* (juxta græcum, *effunditur*) *in remissionem peccatorum.* Ergo est propitiatorium.

[1] Matth. XXVI, 28.

Prob. 2. Ex Apostolo[1] : *Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur, in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis ;* atqui nullum aliud quam sacrificium Missæ datur quod sacerdotes et pontifices offerre possint Deo pro peccatis : ergo, etc.

Prob. 3. Sacrificii Missæ eadem est hostia, idem sacerdos ac sacrificii Crucis, ut probatum est; atqui sacrificium Crucis varia antiquæ legis sacrificia eorumque differentias continebat; *subsumo :* atqui inter sacrificia antiquæ legis erant propitiatoria ad remissionem peccatorum pro vivis et defunctis; pro defunctis enim exorabant ut solverentur a peccatis[2] : ergo, etc.

Prob. 4. *Ex Traditione :* tum ex omnibus et antiquissimis liturgiis S. Chrysostomi, S. Basilii, S. Jacobi, vel quæ ejus nomini inscribitur, quæque dicit : *Offerimus tibi incruentum Sacrificium pro peccatis nostris, et ignorantiis populi;* Tum ex usu antiquissimo et universali Ecclesiæ, cujus testes sunt Cyprianus[3], Augustinus[4], Tertullianus dicens : *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus*[5]. Atqui Sacrificium non offertur pro defunctis nisi ut solvantur a peccatis : ergo, etc.

Hinc Concil. Trident. definit[6] : *Si quis dixerit Missæ sacrificium tantum esse laudis, et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.*

Hosque effectus producit ex opere operato, cum dicat idem Concil. Trident. : *Illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest.*

Dices : Si sacrificium Missæ peccata dimittat, inutile erit sacramentum Pœnitentiæ; falsum conseq. Ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Si peccata dimittat eodem modo, *conc.;*

[1] Ad Hebr., cap. IV, 1. — [2] II Machab. — [3] Lib. I, epist. 9. — [4] *Confess.* — [5] Vide Bellarm. lib. IV, *de Euchar.*, cap. 2 et 7. — [6] Sess. 22, can. 2.

si diverso modo, *nego maj.;* et *concessa min.*, similiter *dist. conseq.*

Itaque Sacramenta remittunt peccata immediate; Sacrificium vero peccata non dimittit *quoad culpam*, nisi mediate, quatenus nempe, intuitu hujus Sacrificii, Deus peccatori, pro quo oblatum est, largitur gratias actuales quibus movetur ad pœnitentiam, disponiturque ad sacramentum Pœnitentiæ, in quo immediate fit peccatorum remissio; ita Trident.[1]. Secus enim, cum Sacrificium offeratur etiam pro peccatoribus et impœnitentibus, sequeretur impœnitentes necessario pœnitere.

Dixi *quoad culpam;* quia hoc Sacrificium remittit immediate pœnam temporalem peccatis quoad culpam remissis debitam, ut patet in Missis quas Ecclesia offert pro defunctis, in quibus sola pœna temporalis relaxanda est, ad quem effectum nihil conferunt, cum non sint in statu merendi.

Dices 2. Hebr. x dicit Apostolus : *Voluntarie peccantibus.., jam non relinquitur pro peccatis hostia.* Ergo sacrificium Missæ non producit remissionem peccatorum.

Resp. *Dist. textum.* Non relinquitur hostia, sumpta pro pretio redemptionis nostræ, *conc.;* sumpta pro applicatione pretii nostræ redemptionis, *nego.* Itaque sacrificio Crucis omne redemptionis et satisfactionis Deo debitæ pretium abunde et superabunde solutum est; sed applicatio hujus pretii fit quotidie per celebrationem sacrificii Missæ, quod hoc uno sensu dicitur propitiatorium, quod maxime notandum contra Novatores.

4° Denique sacrificium Missæ est *impetratorium :* nam habet vim impetrandi omnia beneficiorum genera, etiam temporalium, in hypothesi quod ex Dei ordinatione conferant ad salutem; *pro infirmis, et terræ, et maris, et universi orbis fructibus sacrificamus,* ait Div. Chrysostom.[2]. Et Div. Cyrillus Jerosolymit. *Catechesi* v *Mystag. : Deinde*

[1] Sess. 22, can. 2. — [2] Homil. LXXI *in Joan.*

vero, inquit, *postquam confectum est illud spirituale Sacrificium, et ille cultus incruentus supra ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum pro omni Ecclesiarum pace, pro ægrotis, pro regibus*, etc.

CAPUT V.

DE VALORE SACRIFICII MISSÆ.

Nota. Valor sacrificii Missæ ab ejus effectu distinguitur: nam valor significat moralem dignitatem quam habet, tum ex parte offerentis, tum ex parte rei oblatæ; effectus vero significat id quod de facto datur intuitu illius dignitatis.

CONCLUSIO.

Valor sacrificii Missæ ex parte rei oblatæ et quoad sufficientiam est infinitus.

Prob. Sacrificium Missæ idem est, quoad hostiam et offerentem, cum sacrificio Crucis, *sola offerendi ratione diversa*[1]; atqui sacrificium Crucis valore et pretio est infinitum. Ergo, etc.

Utrum valor sit infinitus extensive seu quoad efficaciam et applicationem nobis factam, controvertitur inter Theologos.

Alii quidem *negant* et

Prob. Quia Christus in hoc Sacrificio contentus, non operatur ut agens naturale, quod secundum totam virtutis suæ latitudinem operatur, sed ut agens liberum, quod non operatur nisi quantum vult; atqui Christus non vult meritum passionis suæ applicare secundum totam latitudinem virtutis suæ, tum ut magis excitetur pietas fidelium, tum ut procuretur frequentior hujus Sacrificii celebratio, sine quo stare religio non potest. Ergo, etc.

Confirmatur tum ex praxi Ecclesiæ, quæ plures Missas

[1] Trident., sess. 22, cap. 2.

ad eamdem rem impetrandam celebrari permittit; tum ex damnatione hujus proposit. ab Alexand. VII: *Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, et unicum Sacrificium offerre;* quæ propositio fundata est in hoc falso principio, quod nempe unicum Sacrificium æque prosit ac plura.

Sententia autem hodie communissime recepta docet valorem Missæ esse extensive et intensive infinitum quoad sufficientiam; unde determinatio fructus, seu ejus limitatio, non est neque ex natura rei, ut patet, neque ex voluntate Christi, sed pendet ex devotione offerentium, vel eorum pro quibus offertur.

Dicitur *intensive* infinitus, quatenus est inexhaustus, et causare potest qualescumque fructus, juxta mensuram dispositionis hominis.

Dicitur *extensive* infinitus, quatenus potest infinitos effectus producere, et juvare uni soli sicut pluribus in infinitum, si darentur.

Prob. 1. Effectus Sacrificii causantur secundum dignitatem victimæ et sacrificantis; atqui dignitas Christi qui simul est victima et principalis offerens est infinita : ergo Sacrificii effectus sunt infiniti nec limitari possunt, nisi dispositione subjecti.

Prob. 2. Causa universalis in ordine supernaturali agit ex se secundum totam nativam efficaciam, et secundum dispositionem subjecti; atqui Sacrificium Missæ est causa universalis in ordine supernaturali : ergo, etc.

Prob. 3. Sacrificium Missæ idem est ac sacrificium Crucis : ergo sicut sacrificium Crucis est infiniti valoris ad merendum et satisfaciendum, oportet quoque Sacrificium altaris esse infiniti valoris ad applicandum ista merita et istas satisfactiones[1].

Nec obstant rationes contrariæ sententiæ, tum quia : 1° non constat Christum nolle applicare meritum passionis

[1] Ita Sylv., Suarez, Concin., Bonac., Lugo, S. Ligor. et alii plurimi.

suæ secundum totam latitudinem virtutis suæ, nihil cogit ad hanc suppositionem; 2° tum quia Sacrificium, sicut Sacramenta, etsi habeat efficaciam infinitam, cum non agat nisi secundum dispositionem subjecti : et ideo quo pluries pro uno repetitur, eo pluries fructus percipitur; 3° tum quia Missa, ut suffragium ab Ecclesia institutum, finitum habet effectum, ut orationes Ecclesiæ, et ideo si pluribus applicatur, minor est in singulis fructus; propterea Alexand. VI declaravit esse contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, et Sacrificium unum offerre[1].

Resolves : Missam mali Sacerdotis ex opere operato tantum valere quantum Missa boni, siquidem eadem est res oblata, et idem principalis offerens; ergo et idem valor; tamen minus valet quoad orationes quæ virtutem habent ex opere operantis, quia *qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis*[2].

CAPUT VI.

DE CAUSA EFFICIENTE SACRIFICII MISSÆ.

Nota. Duplex est causa efficiens sacrificii Missæ : nimirum *principalis,* quæ suo nomine agit; et *ministerialis,* quæ nomine principalis agentis offert. Ideo

CONCLUSIO.

Christus in sacrificio Missæ est principalis offerens, et solus Sacerdos rite ordinatus, est minister qui solus potest immediate hoc Sacrificium offerre.

PROB. PRIMA PARS. Quia *Christus est Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech;* atqui non est Sacerdos in æternum nisi quatenus usque ad consummationem sæculi Sacrificium corporis et sanguinis sui sub speciebus panis

[1] Alexand. VI in damnat., proposit. 10. — [2] Prov. XXVIII 9.

et vini offert, *ministerio Sacerdotum,* ait Concil. Trident.[1]. Ergo Christus est principalis offerens.

SECUNDA PARS probata manet ex dictis de sacramento Eucharistiæ. Tamen

Dixi quod solus Sacerdos *immediate* hoc Sacrificium possit offerre; quia omnes fideles per Sacerdotem offerre possunt et debent hoc Sacrificium : 1° generali quadam ratione, quatenus sunt membra Ecclesiæ; 2° speciali, quatenus procurant Sacrificium, inserviunt sacrificanti, et intersunt Sacrificio, ut constat ex canone Missæ, in quo Sacerdos sic orat : *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum... pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium,* etc.

QUÆRES 1. *An Sacerdos potestatem specialem habeat Missæ fructum applicandi?*

Nota triplicem esse fructus Sacrificii portionem, generalem scilicet, mediam et specialem.

Generalis est ea portio quæ toti Ecclesiæ advenit, et principaliter omnibus in canone Missæ expressis. Et illa portio tribuitur per modum impetrationis tantum, non vero per modum satisfactionis; alioquin sequeretur quod ex tot Sacrificiis quæ quotidie offeruntur, quivis justus, etiam inscius, immensæ pœnæ remissionem consequeretur, quod vix credibile est, inquit P. Gury. Alia est portio minus generalis ad quam assistentes et maxime cooperantes participant, et quam pro sua dispositione percipiunt.

Media est ea quæ iis advenit, pro quibus Sacerdos celebrare intendit, tribuiturque tum per modum impetrationis, tum per modum satisfactionis, modo non sint obices.

Specialis est ea quæ ipsi celebranti advenit, etiamsi, accepto stipendio, celebret pro aliis.

Certum est 1° Sacerdotem de fructu generali pro libitu suo non posse disponere, quia a Christo ipso, qui est principalis offerens, applicatur.

[1] Sess. 22, cap. 2.

Certum est 2° Fructum medium ita a Sacerdotis beneplacito pendere, ut possit illum cuilibet voluerit applicare; ratio est, quia minister in victimam habet potestatem. His tanquam certis positis,

Resp. Probabilius videtur Sacerdotem non posse alteri applicare fructum specialem; ratio est, quia talis fructus ex natura sua pertinet ad Sacerdotem, sicut fructus generalis ex natura sua pertinet ad Ecclesiam : ergo, sicut fructus generalis alteri applicari non potest, ita neque fructus specialis.

Dices : Liberum est cuilibet propriis suis bonis in favorem alterius sese abdicare : ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Si lex non obstet, *conc.;* si obstet, *nego ant.;* at hic obstat institutio Christi qui voluit ut fructus specialis Sacrificii sit personalis sacrificanti, alterique incommunicabilis.

Quæres 2. *Qualis requiratur intentio ad Missæ applicationem?*

Resp. Requiritur et sufficit habitualis non retractata; ratio est, quia Missæ applicatio se habet per modum donationis, quæ valida est donec retractetur.

Hinc valet Missæ hodie celebratæ applicatio facta a duobus vel tribus abhinc diebus, modo nec explicite, nec implicite fuerit retractata.

Dixi *requiritur,* quia non valet intentio interpretativa, qua quis ita est dispositus ut Missam pro tali applicasset, si attendisset; non enim quia intentio adfuisset, sequitur quod ipsa adfuerit.

Resolves : Si applicetur nulli vel incapaci, fructus ministerialis Missæ manet in thesauro Ecclesiæ, vel cedit ipsi Sacerdoti, si Missa sit gratuita, vel propinquis offerentis ex ejus implicita voluntate, si Missa debita est ex stipendio.

Quæres 3. *Quomodo Sacerdos applicare debeat Missas cum plurima stipendia accepit a pluribus personis?*

Resp. Quidam dicunt illum satisfacere applicando primas

Missas quas legit pro ipsis in confuso, v. gr. decem primas, si pro decem stipendium recepit.— Alii, applicando in confuso primas pro iis qui prius eleemosynam erogarunt. — Alii, applicando indeterminate pro majorem necessitatem patientibus.

Sed si singula sacrificia, inquit S. Ligorius, applicentur pro singulis indeterminate, non videtur satisfieri, quia requiritur intentio applicandi fructum determinatæ personæ, ut illi prosit[1].

Tutius ergo proceditur, si Sacerdos unamquamque Missam intendat applicare omnibus illis qui stipendium dederunt, ita ut, quoque partem congruentem fructus uniuscujusque Missæ recipiente, tribuitur unicuique quod ipsi debetur.

CAPUT VII.

DE IIS PRO QUIBUS SACRIFICIUM MISSÆ APPLICARI POTEST.

Nota. Hæc quæstio, quæ spectat tum viventes, tum defunctos, variis solvetur propositionibus. Ideo

CONCLUSIO I.

Licitum est offerre Missæ sacrificium pro omnibus Christianis fidelibus, sive justis, sive peccatoribus, ut istis prosit ad pœnitentiam, illis ad augmentum justitiæ : at non licet directe illud offerre pro infidelibus, hæreticis et publice excommunicatis non toleratis.

PROB. PRIMA PARS. Ex canone Missæ, ubi sic loquitur Sacerdos : *Hæc sancta sacrificia illibata, quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica... et omnibus orthodoxis, atque Catholicæ et Apostolicæ fidei cultoribus.* Ergo nullum membrum Ecclesiæ excluditur a fructu Sacrificii.

[1] Lib. VI, num. 335, quæst. 11.

PROB. SECUNDA PARS. Pro illis non est licitum offerre Missæ sacrificium, quos Ecclesia a suis orationibus et suffragiis excludit, prohibetque ne ad altare nominentur; atqui tales sunt infideles et excommunicati, ut declarat Innocent. III[1]. Ergo, etc.

Dixi 1° *directe*, quia non licet ipsos appellare, nisi in die Parasceves, sed indirecte offertur pro ipsis Sacrificium; nam offertur pro extirpatione hæresum, dilatatione Ecclesiæ : ergo indirecte offertur pro conversione infidelium, hæreticorum, excommunicatorum, etc., et revera Ecclesia ordinavit Missam pro propagatione fidei.

Dixi 2° *non toleratis;* secus enim *toleratis*, nam licet per Bullam Martini V *Ad vitanda scandala,* nihil ipsis concedatur, conceditur tamen fidelibus communicare cum illis etiam in divinis. Ita probabilior sententia[2].

DICES : Apostolus præcipit fieri orationes pro regibus[3] infidelibus; ergo licitum est pro ipsis offerre Sacrificium.

RESP. *Nego conseq.* Equidem ex ipsa rei natura licitum est offerre Sacrificium pro infidelibus, sed nunc obstat Ecclesiæ prohibitio, quæ tempore Apostoli non obstabat.

CONCLUSIO II.

Sacrificium Missæ non potest offerri pro defunctis damnatis.

PROB. Pro illis Sacrificium non potest offerri, qui non sunt capaces fructus Sacrificii; atqui tales sunt damnati, quia *in inferno nulla est redemptio.* Ergo, etc.

DICES : Ecclesia Deum orat, ut defunctos liberet *de pœnis inferni et de profundo lacu :* ergo Sacrificium prodesse potest damnatis defunctis.

RESP. *Nego conseq.* Ecclesia enim non refert suas preces ad tempus mortem subsequens, sed ad ipsum tempus mor-

[1] Cap. *A nobis, de Sent. excomm.* — [2] S. Ligor., lib. VI, num. 309. — [3] I ad Thim. II, 2.

tis, pro suo more, *quæ rem jam diu præteritam spectat ut præsentem*, ait Div. August., epist. LXXVIII; sic in nativitate exhibet Christum nascentem, in resurrectione resurgentem, etc.

Resolves. Neque offerri potest pro pueris ante baptismum decessis, quia exclusi sunt a regno Dei et addicti loco determinato.

CONCLUSIO III.

Sacrificium Missæ rite offertur pro defunctis in Christo, nondum plene purgatis.

Hæc propositio est de fide definita in Concil. Trident.[1] his verbis : *Si quis dixerit Missæ sacrificium... neque pro vivis et defunctis offerri debere, anathema sit.*

PROB. 1. Ex Scriptura[2] : *Fortissimus Judas... facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum Sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans... sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Ad quem locum attendens Div. August.[3] : *In Machabæorum libro legimus oblatum pro mortuis Sacrificium; sed, et si nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum etiam habet commendatio mortuorum.*

PROB. 2. *Ex perpetua traditione Ecclesiæ*, quam testantur omnes Patres, dicentes cum Div. Chrysostomo[4] : *Non temere ab Apostolis hæc sancita fuere, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio.*

QUÆRES 1. *An Missæ sacrificium possit offerri pro Catechumenis defunctis?*

[1] Sess. 22, can. 3. — [2] II Machab. XII. — [3] Lib. *de Cura pro mortuis.* — [4] Homil. LXIX.

Resp. Probabilius licet et utiliter offertur, modo inculpabiliter sine baptismo fuerint morte præoccupati. Ita *Salmanticenses.*

Quæres 2. *An Missa* de requiem *prosit magis defunctis, quam Missa* de sancto?

Resp. S. Thomas[1]: *Ex parte Sacrificii oblati æqualiter prodest defuncto, de quocumque dicatur; sed ex parte actionum, magis prodest illa, in qua sunt orationes ad hoc determinatæ; sed tamen iste defectus recompensari potest per majorem devotionem, vel ejus qui dicit Missam, vel ejus qui jubet dici, vel iterum per intercessionem Sancti cujus suffragium in Missa imploratur.*

CONCLUSIO IV.

Sacrificium Sanctis non offertur, sed Deo in honorem Sanctorum.

Hæc proposit. est definita in Concil. Trident.[2]: *Si quis dixerit imposturam esse Missas celebrare in honorem Sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit, anathema sit.*

Prob. Ex continua Ecclesiæ praxi et traditione; certum quippe est ex veteribus liturgiis Græcis et Latinis, Martyrum ac aliorum Sanctorum memoriam semper ad altare factam fuisse, *ut assiduas preces pro nobis offerant,* ait liturgia S. Basilii.

Dices cum Kemnitio: Oblatio Sacrificii est honor supremus et latreuticus: ergo est superstitio offerre Sacrificium in honorem Sanctorum.

Resp. *Nego conseq.* Non enim Sanctis in honorem Dei offertur Sacrificium, quod esset superstitiosum; sed Deo in honorem Sanctorum, quæ duo sunt valde diversa: *Quamvis* enim, ait Concil. Trident.[3], *in honorem Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit, non*

[1] 3 p., quæst. 71, art. 9, ad 5. — [2] Sess. 22, can. 5. — [3] Sess. 22, cap. 3.

tamen illis Sacrificium offerri docet, sed Deo soli qui illos coronavit; unde nec Sacerdos dicere solet : Offero tibi Sacrificium, Petre, vel Paule, sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris.

CAPUT VIII.

DE CELEBRATIONE SACRIFICII MISSÆ.

Nota. Celebratio Missæ duo importat : *primum,* obligationem celebrandi; *secundum,* ordinem in celebrando. Unde duplex articulus.

ARTICULUS I.

DE OBLIGATIONE CELEBRANDI.

Nota. Obligatio celebrandi ex triplici capite oriri potest : 1° ratione sacerdotii; 2° ratione officii; 3° ratione stipendii. Unde triplex paragraphus.

§ I.

De obligatione celebrandi ratione sacerdotii.

Quæres 1. *An Sacerdos ratione sui sacerdotii teneatur aliquando celebrare?*

Resp. *affirmative,* et contrarium in praxi vix probabile videtur S. Ligorio.

Prob. Ex Apostol. [1] : *Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut afferat sacrificia,* et ad hoc recipit gratiam; atqui unusquisque tenetur exercere munus et officium sibi injunctum, et uti gratia sibi data, cum fuerit opportunum: ergo Sacerdos tenetur aliquando celebrare, et cum res sit gravis, graviter peccat non faciendo.

[1] Ad Hebr. v, 1.

Quæres 2. *Quoties in vita vel in anno Sacerdos celebrare teneatur?*

Resp. In hoc discrepant Doctores; verum probabilius requiritur et sufficit, ut celebrent ter aut quater in anno, vel in festis solemnioribus, vel aliis diebus, servata debita distantia, puta duorum vel trium mensium, ad vitandum scandalum. Sin minus, peccarent mortaliter, ex declaratione S. C. Concilii[1] dicente : *Qui sine justa causa ter vel quater in anno non celebrat, peccat mortaliter, et potest ab Episcopo puniri.*

Verum non videtur a culpa veniali immunis Sacerdos qui non curat, juxta mentem Concilii Trident.[2], saltem diebus dominicis et festis solemnioribus, Missam celebrare; imo qui quotidie (semel in hebdoma excepto, ob reverentiam) celebrare potest, et, ob desidium, a celebrando abstinet, non excusatur a levi, quia Sacerdos non tantum pro se celebrat, sed etiam pro bono totius Ecclesiæ populique Christiani, cujus minister et intercessor est constitutus[3].

§ II.

De obligatione celebrandi ratione officii.

Certum est 1° Omnes animarum pastores teneri aliquando celebrare ex officio, *cum præcepto divino*, ait Tridentinum[4], *mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre*, etc.

Certum est 2° Tum ex communi sententia, tum ex Notificatione Benedict. XIV[5], fieri satis, *dum ii qui animarum curam exercent, sacrificium Missæ pro populo celebrent, atque applicent in dominicis aliisque per annum diebus festis de præcepto*, id est, quoties parochiani Missam audire tenentur; circa quod

Nota 1. Pastores teneri per se, quantum fieri potest,

[1] Nov. ann. 1606. — [2] Sess. 23, cap. 14 *de Reform.* — [3] S. Ligor., lib. VI, num. 359. — [4] Sess. 13, cap. 1. — [5] *Cum semper*, die 19 april. 1744.

Missam celebrare et applicare diebus festis, etiam suppressis, aut in Dominicam translatis, *quia per Apostolicum Indultum super diminutione festorum* (sunt verba S. Pœnitentiariæ) *dierum quibus sublatum est præceptum audiendi Missam, nihil derogatum fuisse obligationi applicandi Missam pro populo*[1].

2. Hoc præcepto pastores teneri, licet congruis reditibus destituantur.

3. Ex præfata Encyclica, Pontificem potestatem facere Episcopis dispensandi cum parochis valde pauperibus, ut possint diebus festivis Missam applicare pro eleemosynam offerentibus, modo tamen aliam infra hebdomadam pro populo celebrare et applicare non prætermittant.

Certum est 3° Pastores, cum a celebratione diebus festis impediuntur, teneri celebrare per alium, quia onus illud non solum est personale, sed etiam reale, sicut onus Sacramenta ministrandi, verbum Dei prædicandi, etc.

Nota. Quod diximus de obligatione parochorum, fortius dicendum est de Episcoporum, qui principaliores sunt animarum pastores. Unde omnino decet ut quotidie celebrent vel saltem Missam audiant; ideo enim indultum fuit eis, *ut altare possint habere viaticum, et in eo celebrare, ac facere celebrari ubicumque, absque interdicti transgressione, illis permittitur celebrare vel audire divina*[2].

§ III.

De obligatione celebrandi ratione stipendii.

Quæres 1. *An licitum sit accipere stipendium pro Missa?*

Resp. *affirmat.*, et hanc consuetudinem approbavit Ecclesia contra Wiclefistas, duplicique ratione :

1ª *Est sacrificantis sustentatio,* dicente Apostolo[3] : *Nes-*

[1] S. Pœnit. 22 febr. 1848, patet etiam ex resp. S. C. Concilii a Greg. XVI approbata 14 junii 1841, et 18 sept. 1841, et 12 april. 1842: item 10 maii 1842. — [2] Ex cap. *Quoniam, de privilegiis,* in 6. — [3] I Cor. IX, 13.

citis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt, et qui altari deserviunt cum altari participant, et alibi[1] : *Quis suis stipendiis militat unquam?* quod Salvator sanxerat his verbis : *Dignus est operarius mercede sua.*

2ª *Est labor extrinsecus* sacrificio, v. gr. quod Missa tali hora, tali loco sit celebranda, quæ utique sunt pretio æstimanda; atqui nemo tenetur pro alio gratis laborare : ergo, etc..

Dixi *labor extrinsecus:* nihil enim licitum est recipere pro labore intrinseco, et ab ipso sacrificio inseperabili, prout est pœna se vestiendi, genuflectendi, quia hæc non sunt pretio æstimabilia.

Hinc 1° stipendium obligat *ex justitia* celebrare et determinate applicare secundum intentionem dantis : intervenit enim cum illo pactum onerosum : *Do ut facias.*

Hinc 2° licet exigere stipendium taxatum ab Ordinario vel consuetudine; sicut tamen potest ex charitate vel amicitia minus exigere, sic potest majus ex liberalitate dantis, vel pro labore extrinseco, v. gr. celebrandi tali hora, vel tali loco recipere.

Hinc 3° licet pascisci de Missarum stipendio justo, cum illud debeatur ex justitia ad sustentationem Sacerdotis.

Hinc 4° divites sicut pauperes Sacerdotes stipendium exigere possunt, cum nemo suis stipendiis militet unquam.

Hinc 5° *probabilius* licet, (et ab omni simoniaca labe vacat) celebrare *principaliter* ob stipendium, tum quia temporale non accipitur pro spirituale, nec unum cum alio æquiparatur; tum quia licet ordinare *principaliter* rem spiritualem ad finem temporalem honestum; alias qui dat stipendium principaliter ut sibi fructus Missæ vel orationis cedat, esset simoniacus, quod nemo unquam ausus est dicere.

Hinc 6° peccat contra justitiam qui tradit alteri Missam

[1] I Cor. IX, 7.

celebrandam, retenta sibi parte stipendii ad quam nullum jus habet. *Non gratuitum,* quia illi non fit talis partis donatio; *non onerosum,* quia ipse non subit onus Missam celebrandi. Constat ex Urbano VIII, Joann. VIII id prohibentibus, quam prohibitionem renovavit Bened. XIV[1], sub pœna excommunicationis a laicis, et suspensionis a Clericis *ipso facto* incurrendæ.

Excipitur 1° si excessus stipendii datus est solo intuitu recipientis, v. gr. gratitudinis vel amicitiæ, quod saltem moraliter constare debet.

2° Si ille cui datur Missa celebranda, excessum *sponte, libere* et non *rogatus* vel *sciscitatus de consensu* committenti concedat[2].

2° Si stipendium proveniat ex Beneficio, quia fructus Beneficii unius diei correspondentes, non solum sunt pro celebratione Missæ, sed pro aliis variis officiis et congrua beneficiati sustentatione[3]. Æditus tamen, ex eodem Urbano, potest aliquid retinere pro expensis cereorum, panis, et vini, et ornamentorum.

Quæres 2. *An et quale peccatum sit dilatio celebrationis Missæ stipendiatæ?*

Resp. Est peccatum et quidem grave contra justitiam in re gravi, quantulumcumque sit stipendium, si dilatio sit excessiva. Constat ex variis decretis S. C. Concilii[4], nisi differatur de consensu saltem præsumpto offerentium.

Dixi 1° *quantulumcumque sit stipendium,* juxta probabiliorem sententiam; nam gravitas peccati non debet æstimari per bonum temporale præstitum, sed ex damno spirituali illato; atqui damnum spirituale est grave, siquidem multis gratiis privatur eleemosynam elargiens : ergo, etc.

Dixi 2° *si dilatio sit excessiva;* nam, ex declaratione ejusdem S. C., Sacerdotes possunt *nova onera suscipere,*

[1] Decreto 30 junii 1741. — [2] Vide Bened. XIV, loco citato. — [3] Ita S. C. Cardinalium sub Urbano VIII. — [4] Die 21 julii 1625 ex auctoritate Urbani VIII editis, et Innocent. XII, Bulla *Nuper confirmatis.*

dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere. Circa quod

Nota 1. Si Missa petitur pro aliqua urgenti gratia impetranda vel malo vitando, vel ut in festivitate hodierna fiat, omnis dilatio reputatur excessiva, ideoque Sacerdos graviter peccat si tempore statuto non celebret, quia non datur stipendium, nisi sub hac conditione, quod sacrificium, stante causa, offeratur. Unde, transacto tempore, tenetur stipendium restituere, licet postea celebraverit, et de omissione celebrationis opportunæ eum qui dedit stipendium monere.

His exceptis, probabilius est sacerdotem non peccare, saltem graviter, qui Missam promissam intra duos menses celebrat. In Missis autem pro recenter defuncto celebrandis, dilatio unius mensis censetur excessiva[1]. Ad varia etiam edicta Episcoporum est attendendum.

Nota 2. Qui gratis promittit celebrare Missam, non peccat eam omittendo, quoties promissio non est verus contractus; probabilius vero venialiter tantum peccat, quando promissio est stricta, quia gratis promittens non censetur sibi gravem obligationem imponere.

Quæres 3. *An colligens eleemosynas pro Missis celebrandis ab altero, possit aliquid sibi retinere pro rata parte sui laboris?*

Resp. *affirmat.* Quia nemo tenetur pro alio gratis laborare. Nec obstat Bulla Bened. XIV *Quanta cura;* ibi enim Pontifex censetur tantum eos damnare, qui colligunt Missas ubi majus datur stipendium, ut celebrari faciant ubi minus datur, differentia eleemosynæ sibi retenta.

Quæres 4. *An possit Sacerdos duplicatum pro eadem Missa percipere?*

Resp. *Non potest,* ut declaravit Alexand. VII in damnatione hujus proposit. : *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite percipere, applicando petenti*

[1] S. Ligor., lib. VI, num. 317, quæst. 11.

partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.

Quæres 5. *Cum datur pecunia pro Missis indeterminate celebrandis, quomodo debeat determinari numerus Missarum?*

Resp. Debet determinari juxta pretium taxatum in tali loco (ubi datur pecunia) pro qualibet Missa; ita Cardinalium definitio, probante Urbano VIII.

Quæres 6. *An qui ratione Beneficii tenetur quotidie celebrare, teneatur, vel per se vel per alium, quotidie offerre et Missas applicare pro fundatore?*

Resp. *affirmat.* Porro, ex ipsius præsumpto consensu, Potest : 1° quater vel sexies in anno pro se vel suis celebrare, modo stipendium non accipiatur; 2° semel quavis hebdomada Missam omittere reverentiæ causa; 3° tempore infirmitatis non excedentis 15 dies, ex S. Congreg. Conc. [1], Missam omittere, quin teneatur per alium celebrare, aut compensare. Ob eamdem rationem plures ad unum vel duos menses id probabiliter extendunt.

Quæres 7. *An sacerdos teneatur die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, applicare Missam pro omnibus defunctis?*

Resp. *negat.* Ut constat ex decret. S. C. [2], ubi dicitur : *In die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, sacrificia possunt a Sacerdotibus celebrantibus applicari ad libitum, scilicet vel pro omnibus, vel pro pluribus tantum.* Hoc decreto posito, nihil obstat quin pro talibus Missis accipi possit stipendium [3].

Quæres 8. *An liceat stipendium Missarum in alios transferre pro mercibus, puta pro libris?*

Resp. *affirmat.* Per se loquendo, quia nemini infertur damnum aut injuria.

[1] Die 17 nov. 1695. — [2] Apud Merati, num. 411, edito die 4 august. 1663. — [3] Cont. Tournely, S. Ligor., lib. VI, num. 338.

Dixi *per se loquendo*, quia jure timendum est ne expectando emptores, et congregando multa stipendia, Missæ diutius differantur.

Quæres 9. *Ad quem pertinet Missas reducere ad numerum minorem?*

Resp. Ex hodierna Ecclesiæ disciplina, pertinet tantum ad Sedem Apostolicam, non vero ad Episcopum. Constat ex decreto S. C. Concilii edito jussu Urbani VIII, et ab Innocent. XII confirmato, quod *districte prohibet ne Episcopi in Diœcesana synodo, aut generales in capitulis generalibus vel alibi quoquo modo reducant illa onera Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium (Tridentinum) imposita, aut in limine fundationis; sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apostol. Sedem recurratur... alioquin... reductiones... omnino nullas et inanes decernit.*

Hoc tamen intelligendum videtur, quando scilicet talis Missarum numerus fuit impositus in ipso fundationis limine, et licet tenuis reditus idem remaneat, sed ob alias circumstantias fieri expedit reductiones; nam si agitur de Missis quarum ab initio reditus fuerunt sufficientes, sed postea ita minuuntur, ut nullo modo sufficiant ad onera ferenda, tunc videtur quod Episcopus bene possit illas Missas ad minorem numerum reducere. Ratio, tum quia non videtur sublata ab Episcopo talis facultas quam habet ex jure communi[1]; tum quia Episcopus est interpres voluntatis testatoris qui præsumitur nolle ut Missæ, minori quam par est, stipendio celebrentur. Ita S. Ligor.[2].

[1] Ex cap. *Nos quidem, de testamentis*, et ex Trident., sess. 25, cap. 4 et 8 — [2] Lib. VI, num. 330.

ARTICULUS II.

DE ORDINE AD CELEBRANDUM.

Nota. Ad legitime celebrandum, ordo postulat ut attendatur : 1° ad tempus; 2° ad locum; 3° ad altare ejusque ornatum, et supellectilia sacra, aliaque in celebratione requisita; 4° secundum quas rubricas Sacerdos debeat celebrare; unde quadruplex paragraphus.

§ I.

De tempore celebrationis.

Quæres 1. *Quo tempore possit et teneatur celebrare?*

Resp. *ad primum.* Quolibet die celebrare licet, exceptis diebus infra signatis. Non licet tamen plures una die celebrare; id enim vetatur a jure. Excipitur dies Nativitatis Dom.; — *item,* cum judicio Ordinarii, si facile haberi possit, casus necessitatis ab auctoribus communiter assignati.

Resp. *ad secundum.* Tempore statuto jure communi, et hoc sub gravi; constat tum ex Tridentino[1], ubi sic habetur : *Sancta synodus descernit... ut Ordinarii... edicto et pœnis propositis, caveant ne Sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent;* tum ex universali consuetudine Ecclesiæ a rubrica Missalis præscripta et a S. Pio V Bulla *In Christo pater* confirmata.

Hinc graviter, peccat qui *sine justa causa* multum prævenit aut protrahit tempus ab Ecclesia statutum, in quo una hora censetur materia gravis.

Porro tempus statutum est ab aurora usque ad meridiem. Omnes tamen conveniunt nullam esse culpam terminare in aurora, et incipere Missam parum ante meridiem, quia tempus hic non mathematice, sed moraliter sumitur[2].

Dixi *sine justa causa,* quæ esse potest :

[1] Sess. 22 *de Observ. in celebr. Miss.* — [2] S. Ligor., lib. VI, num. 341.

1° *Jus* quo Missa Nativitatis Domini celebratur media nocte[1].

2° *Privilegium* celebrandi, v. gr. una hora ante auroram vel post meridiem ; quod intelligi debet de una hora ante vel post tempus pro aliis non privilegiatis assignatum, alias nihil concederetur.

3° Cum Missa solemnis protrahitur ad 1 horam et amplius post meridiem, post quam Missa privata recitari potest.

4° Episcopi permissione, post duas etiam horas celebrari potest, ne magna pars populi Missa careat.

5° Causa itineris, ne peregrinus careat Sacro, concionis, publicæ supplicationis, faciendæ Ordinationis, funeris magnatis, per horam ante auroram vel post meridiem celebrare licet.

6° Dispensatio Episcopi vel Superioris erga suos religiosos, in aliquo casu particulari.

7° Necessitas, v. gr. ut morituro detur viaticum, propter quam etiam media nocte celebrare licet.

8° Locus in quo mos rationabilis, ab Episcopo saltem tacite approbatus, obtinuit ut in hyeme Missa celebretur una aut duabus horis ante crepusculum.

Quæres 2. *An liceat Missas privatas recitare in nocte Nativitatis Domini?*

Resp. *negat.* Id enim prohibitum est a S. R. C.[2], his verbis : *Non licet in medio nocte Nativitatis Domini celebrare successive alias duas Missas, et communionem sacram exhibere*[3].

Quæres 3. *An liceat celebrare privatim in Cœna Domini et Sabbato Sancto?*

Resp. *negat.* Id enim pluries fuit prohibitum, et quidem :

1° Quoad diem Cœnæ, opponentes refellendo Bened. XIV[4] dicit : *Neque æstimanda sunt eorum testimonia qui Sacrum*

[1] Cap. *Nocte sancta*, dist. 1 *de Consecr.* — [2] Decreto 18 decemb. 1702. — [3] Conf. *Correspondance de Rome*, num. 79 et 80, octobr. 1851. — [4] *Institut. eccles.*, num 6, 38 et num. 12.

eadem feria quinta confici posse scripserunt; quare post tot decreta, quæ in medium protulimus, illorum sententias penitus corruere necesse est.

2° Quoad Sabbatum Sanctum, adest decretum S. R. C.[1] dicens : *Nec licitum est Missas celebrare in die Sabbati Sancti in quibuscumque ecclesiis et oratoriis, non obstante quacumque contraria consuetudine, prout, Papa approbante, suo decreto generali statuit Sacra Congregatio* [2].

Quæres 4. *An et quale peccatum sit celebrare Missam ante Matutinum et Laudes?*

Resp. *ad primum, affirmat.* Ratio, quia hoc a Rubrica inter defectus jam numeratur[3]; atqui ea quæ inter defectus numerantur, non possunt esse de consilio : ergo, etc.

Resp. *ad secundum.* Quidam cum S. Antonin. dicunt illud esse mortale propter Rubricam, quam habent ut graviter præceptivam.

Sed communius et probabilius culpam venialem non excedit, nisi id ex contemptu vel habitualiter absque justa causa fiat. Ratio, tum quia non est connexio inter Officium et Missam, et aliter Sacerdos bene potest se disponere ad sacrificium; tum quia hujusmodi obligatio nec exprimitur in Rubrica, nec sub gravi est recepta.

§ II.

De loco celebrationis.

Nota. Locus in quo licitum est celebrare, vel est *immediatus,* et est altare; vel *mediatus,* et est ecclesia; ideo sit

[1] Die martii 11, ann. 1690. — [2] Vide apud Pittonium, *de Ritibus,* tit. 1, num. 1703; *Correspondance de Rome,* anu. 1831, num. 79 et 80; Merati, in *Judice decret.,* num. 501. — [3] *De defect.,* § x.

CONCLUSIO I.

In quocumque loco Missa celebretur, requiritur altare lapideum ab Episcopo, aut, ex concessione solius Papæ, ab alio Sacerdote consecratum, et non execratum[1].

Quæres : *Quomodo altare censeatur execratum seu amisisse suam consecrationem?*

Nota. Duplex est altare : *fixum* nempe, quod alicui loco affixum est ; et *portatile,* quod consistit in simplici tabula lapidea viatica.

Resp. Altare *portatile* suam amittit consecrationem, cum ita frangitur, ut non possit continere Calicem et patenam ; *fixum* autem suam perdit tum per illam notabilem fractionem, tum per sui amotionem e loco suo, seu basi[2] ; secus autem *probabilius,* si tota mensa cum lapidibus sibi adhærentibus alio transferatur, quia jus loquitur de separatione non vero de translatione. — *Item, probabilius* altare execratur, si sigillum in quo reliquiæ continentur, fuerit confractum[3].

CONCLUSIO II.

Jure communi non licet celebrare, nisi in domo ab Episcopo consecrata, vel saltem ab ipso aut ejus auctoritate a Sacerdote benedicta, quæ non sit polluta, vel execrata, vel interdicta.

Nota semper Christianos habuisse loca specialia a domibus profanis distincta, tam ad orandum, quam ad sacrificandum ; patet tum ex Apostolo[4] dicente : *Convenientibus vobis in Ecclesiam... numquid domos non habetis ad manducandum, aut Ecclesiam Dei contemnitis?* tum ex Philone[5],

[1] Cap. *Altaria, de Consecrat.*, dist. 1. — [2] Cap. *Quod in dubiis*, ibidem. — [3] Cap. *An hæc*, ibid., et ex decretis S. R. C. — [4] II Ad Corinthios. — [5] Apud Euseb., lib. II *Hist. eccles.*, cap. 16 vel 17 ; S. Dionysio Alexandr. apud eumdem Euseb., lib. VII *Hist. eccl.*, cap. 22.

qui loquens de primis fidelibus, dicit : *Est in singulis locis consecrata oratione domus... in qua honestæ et castæ vitæ mysteria celebrant.*

Sæviente autem persecutione, in quocumque loco sacrificabant. Ubi vero deferbuit persecutio, erectæ sunt sacræ ædes, quas *templa*, *ecclesias*, *dominicia*, oratoria, mysteria, basilicas vocarunt. Quo notato, propositio

Prob. Id constat ex variis textibus juris[1] et ex Tridentino[2], quod etiam revocat omnia privilegia vel exemptiones in contrarium; quæ obligatio est gravis, cum imposita sit a jure sub pœna depositionis[3].

Dixi 1° *communiter*, quia in decenti loco et altari portatili, quod, nisi Papa dispenset, semper requiritur sub gravi, licet celebrare sequentibus casibus:

1° Si ecclesia sit destructa vel inepta, et populus alias careret Missa; 2° si populos, propter concursum, templum non caperet; 3° in castris, pro exercitu, vel in littore maris, pro navigantium multitudine; 4° ex concessione S. Pontificis, vel saltem ex consuetudine in mari, hac tamen conditione : 1° ut adsit longa distantia a littore vel morali impotentia ad terram accedere; 2° ut mare sit tranquillum; 3° ut assistat alius sacerdos vel diaconus, qui, si quis concitetur motus, Calicem firmum teneat; 4° ut navis sit anchorata, id est magna, non cymba, non scapha, etc.; 5° si longa sit peregrinatio per loca deserta, vel apud infideles; 6° si dispenset Episcopus, sed pro tempore tantum causa interveniente gravi accidentali[4].

Nota 1. Indulgentiam vero celebrandi (habitualiter) in oratoriis privatis, præter oratorium Episcopi, dare nemo potest, præter S. Pontificem, cujus menti in indulto expressæ privilegiatus debet se conformare.

[1] Ex Sylvestro Papa, cap. *Nullus, de Consecrat.*, dist. 1; cap. *Sicut*, cap. *Missarum*, et cap. *Hic ergo*. — [2] Sess. 22, decreto *de Observandis*. — [3] Cap. *Nullus*, ibid. — [4] Ex cap. 12, dist. 1 *de Consecrat.*, et Trident., loc. cit.

Nota 2. Episcopi possunt celebrare vel celebrari facere in domibus extra domum propriæ habitationis, ubi reperiuntur. Cum vero tale privilegium sit personale, alii Sacerdotes, absente Episcopo, ibi celebrare nequeunt.

Dixi 2° *non polluta* seu violata. Unde

Quæres 1. *Quot modis ecclesia polluatur?*

Resp. Quatuor modis polluitur ecclesia : 1° per homicidium non casuale, sed voluntarium, licet justum, sed injuriosum sanctitati, loci, sive sit effusio sanguinis, sive non, vel etiam *probabilius* per vulnus lethale, si inferatur in ecclesia, vel ex ecclesia ad extra, vel ab extra in ecclesiam; 2° per copiosam et injuriosam sanguinis effusionem, si tamen percussio quæ causa est effusionis sit mortalis, et graviter injuriosa sanctitati ecclesiæ. Hinc excipiuntur pugnæ et effusiones sanguinis ex parte puerorum, quæ vulgo non sunt peccata mortalia ; 3° per effusionem humani seminis notabilem, voluntariam et mortaliter culpabilem, vel etiam de se licitam, v. gr. per actum conjugalem, nisi fiat ex morali necessitate, licet copula sit occulta, in quo casu tamen non est obligatio a divinis abstinere; 4° per sepulturam excommunicati non tolerati, et infidelis, non vero hæretici.

Excipiuntur catechumeni, qui non censentur infideles, et pueri Christianorum non baptizati, quia tunc parentes pro ipsis baptismum desiderant. Ita Pilcher, Gousset, Gury contra plures.

Nota 1. Discrimen est inter ecclesiæ pollutionem et execrationem; nam, polluta ecclesia, polluuntur etiam omnia altaria quæ in ea fixa sunt, quemadmodum et vice versa altare pollui non potest, quin etiam ecclesiæ corpus polluatur, quia hæc duo se habent per modum unius, ratione reverentiæ ipsis debitæ. At vero si ecclesia execretur, combustis aut destructis parietibus, non ideo altaria quæ integra et illæsa remanent, execrantur : sicut nec altare per fractionem execrato, ecclesia execratur, quia

ratione benedictionis hæc duo non se habent per modum unius.

Nota 2. Polluta ecclesia, polluitur cœmeterium ei contiguum; non econtra, quia accessorium sequitur naturam principalis[1], sed non vice versa.

QUÆRES 2. *Quid agere debeat Sacerdos, si, dum celebrat, ecclesia violetur?*

RESP. Si ecclesia violetur post incœptum Canonem, perficienda est Missa, quia sacrificium censetur inchoatum, quod intermitti non debet; si autem ante Canonem, recedere debet ab altare, donec ecclesia reconciliata fuerit.

Resolves 1. Non licere celebrare in ecclesia ante ejus reconciliationem, quæ debet fieri ab Episcopo, si ecclesia fuerit consecrata; vel a sacerdote ab episcopo delegato, si fuerit tantum benedicta[2].

Resolves 2. Sacerdotem qui celebrat in ecclesia quam novit pollutam, peccare mortaliter, quia materia est gravis; nullam tamen incurrit censuram, aut irregularitatem, quia nulla in jure est expressa. Secus autem, si Ecclesia esset interdicta[3].

Nota 1. Oratoria privata non polluuntur nec reconciliatione indigent.

Nota 2. Actiones quibus polluitur ecclesia debent esse notoriæ notorietate *facti* vel *juris*, certo mortales et sacrilegæ.

Dixi 3° *quæ non sit execrata*. Circa quod

Nota 1. Execratio dicitur, cum res sacra perdit suam benedictionem vel consecrationem, ita ut de novo benedici vel consecrari debeat. Censetur autem fieri quando ita res destruitur, ut amittat suam formam et usum.

Hinc 1° ecclesia execratur, si parietes saltem pro majori parte *simul* destruantur, vel eorum omnis crusta, vel saltem pro majori parte reficiatur, quia consecratio est in parietibus.

[1] Regula juris XLII, in 6. — [2] Cap. *Aqua*, Extrav. *de Consecr. eccles.* — [3] Ex capite *Episcoporum, de Privil.*, in 6.

Dixi *simul;* nam etsi parietes per partes successive in toto refficiantur, ecclesia non execratur, quia majus dignum trahit ad se minorem.

§ III.

De altaris ornatu et aliis in Celebratione requisitis.

Quæres 1. *Quibus ornamentis instructum debeat esse altare, ut in eo rite celebrari possit?*

Resp. Juxta rubricas Missalis, requiritur: 1° ut altare sit ornatum *triplici mappa linea,* vel ad minus duplici, quarum *prima* sit duplicata, quæ omnes debent esse benedictæ ab Episcopo vel ab alio habentem talem potestatem, et hoc sub veniali.

2° Ut altare sit instructum *corporali* ex lino benedicto et mundo, sine quo vel cum quo notabiliter immundo celebrare est peccatum mortale. — *Item,* palla linea, saltem parte qua tangit Calicem, eaque benedicta, sine qua vel cum qua non benedicta celebrare grave peccatum sit necne disputatur. — *Item,* purificatorio lineo quod benedici potest, sed nulla reperitur ejus benedictio in Rituali, nec benedictiones linteaminorum ei videntur convenire.

3° *Crucifixus* exsculptus eminens super altare requiritur, non tamen sub gravi, nec ex præcepto benedictus; sed exposito SS. sacramento, ad libitum adhibetur.

4° Duo luminaria cerea sub veniali, sed ad minus unum sub mortali, et in casu tantum necessitatis; quod si ante consecrationem penitus deficiat lumen, omnino desistendum est a celebrando[1].

Dixi *cerea;* non licet enim sub mortali, excepto casu necessitatis et secluso scandalo, celebrare cum candelis ex sebo vel oleo.

5° *Missalis,* et quidem romanus, nisi a jure vel a Papa aliter sit ordinatum; sine quo tamen celebrare non est pecca-

[1] S. Ligor., lib. VI, num. 394.

tum, modo duo concurrant, necessitas nempe, et experientia certa quod absit periculum errandi; tutius tamen est hanc facultatem obtinere a S. C.

QUÆRES 2. *An et quibus vestibus indui debeat Sacerdos ut rite celebret?*

RESP. 1. Certum est mortaliter peccare Sacerdotem qui, absque dispensatione Pontificia, Missam sine vestibus sacris celebraret.

RESP. 2. *Probabilius* ex gravi præcepto necessaria sunt casula, stola, manipulus et alba coloris convenientis, et hæc omnia benedicta, ita ut si quid horum desit, omittenda sit Missa; quia actio quæ debito modo fieri nequit, potius omittenda est quam indecenter exercenda; aliorum autem omissio erit tantum venialis, a quo excusabit honesta causa.

Dixi *coloris convenientis*, ex rubrica Missalis [1] præcipiente sub levi, nisi adsit scandalum. Sed retentis quinque coloribus præscriptis, penitus eliminandus est usus flavi et cærulei coloris, ex decreto S. R. C.[2]

QUÆRES 3. *Quomodo vestes sacerdotales et linteamina sacra amittunt suam benedictionem?*

RESP. Eam amittunt per lacerationem et fractionem talem ut amittant suam formam et desinant esse apta ad usum ad quem sunt destinata, licet statim resarciantur; nec tunc possunt in usus profanos converti[3], vel ad usus pios dæputari.

QUÆRES 4. *Quænam vasa requirantur ad celebrationem?*

RESP. Requiruntur calix et patena ex auro vel argento, vel saltem, cogente paupertate, ex stamno cum cuppa intus *sub veniali* deaurata, eaque ab Episcopo, vel alio, ex privilegio Papæ, consecrata[4].

QUÆRES 5. *Quomodo calix et patena execrentur?*

[1] Tit. XVIII, num. 1. — [2] Die 12 nov. ann. 1831 et 16 mart. 1833. — [3] Idem dic *de lignis Ecclesiæ*, sed *vel igni sunt tradendæ, vel defodiendæ*, cap. *Altaria, de Consecrat.*, dist. 1. — [4] Cap. *Calix*, ibidem.

Resp. Execrantur tribus modis : 1° per notabilem fractionem qua mutatur forma, ut si pes calicis *fixi* separetur a cuppa, quia consecratio cadit in totum calicem per modum unius indivisibiliter. Secus si pes sit *tornatilis*, nam tunc consecratio cadit in solam cuppam.

2° Si, retenta forma, inutilis fiat ad usum, puta si vel minimum foramen habeat in fundo. Secus, si foramen vel parva ruptura esset in ore calicis.

3° Si interior cuppæ vel patenæ superficies de novo deauretur, quia habet aliam superficiem non consecratam; illa tamen debet censeri consecrata ob contactum immediatum Eucharistiæ. Casu autem quo per longum usum inauratio deperdatur, *probabilius* non requiritur nova consecratio ad celebrandum cum hujusmodi calice, quia calix semel consecratus, totus deinde per modum unius consecratus, manet, donec nova interveniat deauratio[1].

Quæres 6. *Quibus personis competat sacra vasa tangere?*

Resp. Vasa sacra licite tangere possunt. 1° *ex jure*, ministri sacrati et etiam acolythi[2].

2° *Consuetudine*, tonsurati et omnes qui in habitu clericali ecclesiis inserviunt, sicut et sacristæ[3].

3° *Ex privilegio*[4], laici regulares, sacristæ et moniales quæ sacristiis inserviunt. Laicis vero sub culpa veniali prohibetur. — Quandiu vero in eis Corpus, vel Sanguis Domini continetur, nullus, præter Sacerdotem vel Diaconum, contingere potest sine gravi peccato, quia est res gravissima[5].

Iisdem non licet corporalia et purificatoria tangere antequam a sacerdote vel ministro sacro laventur[6].

Quæres 7. *An liceat sacerdoti Missam sine ministro celebrare?*

Resp. Non licere sub peccato mortali, extra casum ne-

[1] S. Ligor., lib. VI, num. 370.— [2] Cap. *Non licet*, dist. 23, seu cap. *Sacrata*, dist. 23. — [3] S. Ligor., lib. VI, num. 382. — [4] Calixti III et Sixti IV, apud Salm. — [5] Cap. *Non oportet*, ibid. — [6] Cap *Nemo, de Consecr.*, dist. 1.

cessitatis; contrarius enim abusus repressus fuit a Concilio Basileensi[1].

QUÆRES 8. *An in casu necessitatis mulieri liceat sacerdoti celebranti ministrare?*

RESP. Nusquam licere ex cap 1 *De cohabitatione*, ubi dicitur : *Nulla femina præsumat ad altare accedere, vel presbytero ministrare.* Ita etiam Missale Rom. Unde satius est celebrare sine ministro, urgente necessitate, quam cum femina ministrante. Toleratur tantum ut a longe mulieres respondeant, si necesse sit, maxime si sint sanctimoniales, ministrante sibi sacerdote, vel infante.

§ IV.

De rubricis Missalis.

Nota. Rubricæ Missalis, aliæ sunt *directoriæ* tantum, aliæ *obligatoriæ* et *præceptivæ;* quarum obligatio est per se gravis, sed excusat levitas materiæ. Ideo

QUÆRES 1. *Quænam rubricæ sunt tantummodo directoriæ?*

RESP. Illæ quæ servantur extra Missam, seu extra actum celebrationis, et sunt sequentes : 1° quod Sacerdos celebraturus prius vacet orationi : 2° quod præmittat preces, quæ dicuntur *præparatio ad Missam*, nam proponuntur pro opportunitate Sacerdotis faciendæ ; sed nullæ videntur opportuniores, cum ab Ecclesia proponantur. Idem dicendum de precibus quæ *pro gratiarum actione* ponuntur.

QUÆRES 2. *Quænam sint rubricæ obligatoriæ?*

RESP. Ex præcepto : 1° lavandæ sunt manus ante Missam, et *sub veniali*, nisi nimis sordescant.

2° Recitandæ sunt preces inter se vestiendum recitari solitæ.

3° Missa celebrari debet cum veste talari, et calce vel crepidis (pantoufles), a qua lege eximuntur Religiosi discalceati.

[1] Sess. 22.

4° Missa debet celebrari capite discooperto et nudo, nisi sit dispensatio a Papa vel a jure.

5° Missa debet esse conformis Officio in diebus duplicibus et solemnibus; in illis tamen diebus potest dici unica Missa de *Requiem*, corpore præsente.

6° Missa debet celebrari sine intermissione, nisi urgeat gravis necessitas, v. gr. administrandi sacramentum Pœnitentiæ moribundo, ut docent communiter Doctores.

7° Missa debet celebrari sine ulla detractione vel additione eis quæ in Missali præcepta sunt. Porro hæc additio est mortalis vel venialis pro gravitate vel levitate rei, seu actionis omissæ vel additæ.

Hinc, generaliter loquendo, graviter peccat qui partes ordinariæ, id est, quæ semper dicuntur vel aguntur in Missa, culpabiliter omittit, nisi excuset levitas materiæ, puta lotio manuum, unum aut alterum signum crucis, unum aut alterum *Kyrie*, tunsio pectoris, genuflexiones, inclinationes et alia hujusmodi.

Nota. Si certo constet celebranti se aliquid omisisse vel unum pro alio legisse, debet repetere ea quæ sunt de necessitate vel integritate sacrificii, et cætera per ordinem iterare. Alia autem quæ non sunt de necessitate vel integritate sacrificii, si jam aliquantulum sit progressus, non debet ea resumere, sed prosequi, nec collecta omissa est jugenda cum secreta, quia non facit sensum cum illa.

Cæterum sæpe perlegantur rubricæ et S. R. C. varia decreta, nec non Rubricistæ compulsentur.

CAPUT IX.

DE MISSIS PRIVATIS ET DE LINGUA LITURGICA.

Quæres 1. *Quid sint Missæ privatæ, et an sint licitæ et approbandæ?*

Resp. 1. Quamvis, proprie loquendo, multæ sint Missæ

privatæ, siquidem omnes *vere communes,* inquit Trident.[1], *censeri debent, partim quod in eis populus spiritualiter communicet, partim vero quod publico Ecclesiæ ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur;* usus tamen invaluit ut nuncupentur *Missæ privatæ,* quæ fiunt absque publico conventu, aut in quibus solus Sacerdos celebrans sacramentaliter communicat.

Resp. 2. *affirm.* Et est de fide, definitum a Trident.[2] contra Lutherum[3], his verbis : *Si quis dixerit Missas in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse ideoque abrogandas, anathema sit.*

Prob. Illæ Missæ non sunt illicitæ, nec ideo abrogandæ, in quibus salvatur essentia sacrificii, et obtinetur finis ad quem præcipue institutæ sunt; quas semper retinuit retro antiquitas, nec ulli Christi præcepto adversantur; atqui tales sunt Missæ quæ dicuntur privatæ.

Prob. min. per partes. 1° Essentia sacrificii, primariusque ac præcipuus ejus finis est Deo supremum latriæ cultum exhibere, ipsum placare, illi pro peccatis satisfacere, tam vivis quam defunctis fidelibus veniam, requiem et omnia bona impetrare, et gratias pro beneficiis acceptis agere; atqui hæc omnia salvantur independenter a communione populi, cum sit finis Eucharistiæ, prout est Sacrificium, non Sacramentum.

2° Illas Missas semper approbavit et retinuit tota retro antiquitas, ut constat ex monumentis Ecclesiasticis[4] : atqui

[1] Sess. 22, cap. 6. — [2] Sess. 22, can. 8.

[3] Lutherus librum edidit *de Abroganda Missa privata,* suadente, ut ipse fatetur, Diabolo, easque missas vocat, *Solitarias, Singulares, Angulares,* aliisque contumeliosis nominibus afficit. Verum Doerdelein (*Inst. Theol. Christ.*) dicit Missam privatam improbatam a Luthero, a Theologis recentioribus lutheranis passim commendari. (Conf. R. P. Perrone, *de Sacrif. Miss.,* cap. 2, nota 5, p. 269 édit. Migne.)

[4] Conf. card. Bona, *de Rebus Liturg.;* Bellarm., lib. IV *de Euchar.,* etc.

Ecclesia nihil approbat aut retinet quod sit contra divinum præceptum.

3° Ut aliquid alicui præcepto divino adversetur, requiritur, vel ut omittatur quod præcipitur, vel ut fiat quod prohibetur; atqui nulla extat in Scripturis prohibitio non celebrandi, nisi in casu publico, vel nisi adstantes sacramentaliter communicent: nusquam enim Protestantes hanc prohibitionem invenerunt: ergo, etc.

Quæres 2. *An liceat vel expediat Missam celebrare in lingua vulgari?*

Resp. *negative* contra novatores, tum pseudoreformatos, tum Jansenistas.

Prob. Id non licet, nec expedit, quod adversatur Ecclesiæ legibus; quod antiquam et ubique receptam evellit consuetudinem; quod repugnat ipsimet naturæ cujusque religionis; quod tandem gravia secum trahit incommoda ac pericula: atqui talis est adversariorum præsumptio. *Prob. min. per partes*[1].

1° Adversatur Ecclesiæ legibus. Constat 1° ex Trident.[2]; 2° ex Constit. *Unigenitus,* in qua proscripta est hæc Quesneli proposit. 86ª : *Eripere simplici populo hoc solatium jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est usus contrarius praxi Apostolicæ et intentioni.* 3° Constat ex Bulla *Auctorem fidei,* qua proposit. 33ª, in qua pseudosynodus Pistoriensis suum sensum aperit, ut liturgia *in vulgari lingua* exponatur, damnata est ut *temeraria,* in Ecclesiam contumeliosa, favens hæreticorum in eam conviciis.

2° Antiquam et ubique receptam evellit consuetudinem et praxim; constat enim omnes liturgias in lingua non

[1] Quæ ex Apostolo (I Cor. XIV) objiciuntur, non sunt ad rem. Apostolus enim loquitur de donis spiritualibus, ac præsertim de dono linguarum, quo qui instructi erant, in conventibus loquebantur in lingua ignota et peregrina; verba autem liturgica non sunt peregrina cum parochi curent, juxta monitum Trident., sess. 22, cap. 7, ut inter Missarum celebrationem vel per se, vel per alios ex iis quæ in Missa leguntur aliquid exponant.

[2] Sess. 22, cap. 8, et can. 9 ejusdem sess.

vulgari esse conscriptas. Licet enim in primordiis Ecclesiarum temporibus, linguæ liturgicæ fuerint vernaculæ, quod aliter fieri non potuisse nemo non videt, brevi tamen tempore vulgares esse desierunt, quia, utpote Religione consecratæ, linguis populorum mutantibus, ipsæ quasi mortuæ seu immobiles evaserunt, ut nonnisi a doctoribus et Sacerdotibus intelligantur[1]; quod ita rei naturæ consonum est, ut idem factum apud Ethnicorum cultus deprehendatur.

3° Præsumptio adversariorum repugnat ipsimet naturæ cujuscumque religionis : dignitas enim mysteriorum expostulat ut verba quibus exprimuntur sint immutabilia, et, ut ita dicam, æterna sicut et ipsa. Hinc Quintilianus : *Carmina Saliorum vix sacerdotibus suis intellecta, sed quæ mutari vetat religio.*

4° Præsumptio adversariorum gravia secum trahit incommoda ac pericula. Etenim : 1° ex diversitate linguarum tollitur communio Ecclesiarum, non sine unitatis fidei, Religionis et charitatis detrimento; 2° mutantibus idiomatibus, aut continuo mutanda forent verba liturgica, cum gravi periculo errandi, aut antiquata et ridicula, quæ risum moverent, retinenda; 3° tot esse deberent versiones liturgicæ quot sunt fere pagi aut villæ : nulla enim lingua adeo vulgaris est, ut in pluribus pagis vernacula dicit possit[2].

[1] Conf. Bellarm., *de Sacrif. Missæ;* dom Guéranger, *Institut. Liturg.*, tom. III, cap. 3; Lebrun, etc.

[2] C'est une chose remarquable, les oraisons en langue latine semblent renouveler le sentiment religieux de la foule (*Génie du Christianisme*, 4e partie, liv. I, chap. 4). — Quant au peuple proprement dit, s'il n'entend pas les mots, c'est tant mieux. Le respect y gagne, et l'intelligence n'y perd rien. Celui qui ne comprend point, comprend mieux que celui qui comprend mal (De Maistre, *du Pape*, liv. I, chap. 9).

TRACTATUS DE PŒNITENTIA.

Nota. Pœnitentia, secundum vim nominis, idem est ac *pœnæ tenentia;* cum enim dicitur : *Pœnitet me peccati,* idem est ac si diceretur : *Pœna peccati me tenet.*

Nota 2. Pœnitentia dividitur in eam quæ est *virtus,* et in eam quæ est *Sacramentum.*

Pœnitentia virtus definitur : *Habitus supernaturalis, quo homo movetur ad odium et detestationem peccati commissi, cum proposito non peccandi de cætero, justitiæque divinæ satisfaciendi.* Hæc definitio colligitur ex Concil. Trident.[1]. Hinc Pœnitentia virtus quatuor complectitur : 1° vitæ prioris mutationem seu resipiscentiam; 2° odium et detestationem illius; 3° propositum vitæ melioris; 4° prioris vitæ vindictam. Unde Pœnitentia virtus, secundum suos actus sumpta, est partialis materia sacramenti Pœnitentiæ, quæ contritio dicitur; de qua suo loco fuse dicetur.

Pœnitentiæ sacramentum definitur : *Sacramentum a Christo institutum ad peccata post Baptismum commissa remittenda per actus pœnitentis et absolutionem Sacerdotis.*

Dicitur 1° *Sacramentum a Christo institutum,* quod tenet locum generis.

Dicitur 2° *ad remittenda peccata;* ut denotetur materia hujus Sacramenti remota, et effectus, qui est remissio peccatorum.

Dicitur 3° *post Baptismum commissa;* quia peccata ante Baptismum commissa non delentur per sacramentum Pœnitentiæ, cujus non sunt capaces non baptizati, sed per actum Pœnitentiæ virtutis cum receptione Baptismi in re vel in voto.

Dicitur 4° *per actus pœnitentis,* scilicet contritionem,

[1] Sess. 14, cap. 2.

confessionem et satisfactionem, saltem in proposito, quæ sunt Pœnitentiæ partes omnino necessariæ ad peccatorum remissionem ex parte pœnitentis.

Dicitur 5° *et absolutionem Sacerdotis :* quibus verbis exprimitur tum minister hujus Sacramenti, nempe Sacerdos; tum forma Sacramenti, nempe juridica absolutio ex vera scilicet potestate remittendi peccata, non vero declarandi tantum ea esse remissa.

Nota 3. Pœnitentiam virtutem differre a Pœnitentiæ sacramento in tribus.

1° In eo quod Pœnitentiæ virtus tota posita sit in actibus pœnitentis; Sacramentum vero insuper requirat absolutionem Sacerdotis.

2° In eo quod virtus Pœnitentiæ, ut ait Trident.[1] : *Universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, fuerit quovis tempore ad gratiam et justitiam assequendam necessaria, illis etiam qui Baptismi sacramento ablui petivissent;* sacramentum vero Pœnitentiæ non nisi a Christo fuerit institutum, nec pertineat nisi ad eos qui post Baptisma receptum in peccata lapsi fuerint.

3° In eo quod sacramentum Pœnitentiæ sit totum; virtus vero Pœnitentiæ sit pars materiæ Sacramenti : ergo sicut sacramentum Matrimonii non potest consistere sine vero contractu conjugali, ita nec sacramentum Pœnitentiæ sine vera pœnitentia supernaturali.

Nota 4. Nullum peccatum, etiam minimum sine pœnitentia remitti potest : *Nec quemquam putes,* inquit S. August.[2], *ab errore ad veritatem, vel a malo quocumque magno seu parvo, ad correctionem sine pœnitentia posse transire.* Idem sentit S. Thomas[3] docens Sacramentalia remittere venialia in quantum inclinant ad motum Pœnitentiæ.

Nota 5. De sola Pœnitentia, ut est Sacramentum, agemus in hoc tractatu, quem distribuemus in septem capita.

[1] Sess. 14, cap. 1. — [2] Epist. LXIII, alias XLVIII. — [3] Quæst. 87, art. 1 et 3.

Primum erit de existentia Pœnitentiæ; *secundum,* de essentia et natura Pœnitentiæ: *tertium,* de prima parte Pœnitentiæ, seu de contritione; *quartum,* de confessione, quæ est secunda pars Pœnitentiæ; *quintum,* de satisfactione, quæ est tertia pars Pœnitentiæ; *sextum,* de ministro sacramenti Pœnitentiæ; *septimum,* de effectibus Pœnitentiæ. Quibus duplicem adjungemus appendicem : *primum* de Indulgentiis, *secundum* de Confessariis sollicitantibus.

CAPUT I.

DE EXISTENTIA SACRAMENTI POENITENTIÆ.

Nota. Hic, ad veritatem orthodoxam confirmandam, triplicem esse evertendum errorem, quorum

Primus est montanistarum et novatianorum, qui negarunt extare in Ecclesia potestatem remittendi peccata graviora.

Secundus est lutheranorum et calvinistarum contendentium Pœnitentiam non esse verum Sacramentum distinctum a Baptismo ejusque memoria, quæ, propter apprehensam fidem, peccata post Baptismum commissa dimittit.

Tertius est eorumdem lutheranorum et calvinistarum docentium absolutionem non esse actum judicialem, sed nudum ministerium declarandi dimissa esse peccata confitenti, modo credat se esse absolutum. Itaque sit

CONCLUSIO I.

Christus Ecclesiæ suæ veram concessit potestatem dimittendi omnia peccata post Baptismum commissa : nullumque est in hac vita crimen vere pœnitenti irremissibile.

Prob. Christus Apostolis distincte promisit se eis daturum potestatem remittendi quæcumque peccata sine discretione levium aut graviorum, dicens Matth. XVIII : *Amen*

dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo[1]. Et Joan. cap. xx de facto confert, quam promiserat Apostolis, dimittendi peccata auctoritatem, his verbis : *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt.* Quem locum afferens Concil. Trident.[2], ait : *Quo tam insigni facto, et verbis tam perspicuis, potestatem remittendi et retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis et eorum legitimis successoribus, fuisse communicatam universorum Patrum consensus semper intellexit; et novatianos remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia Catholica tanquam hæreticos explosit, atque condemnavit.*

Confirmatur ex facto Div. Pauli, qui incestuoso, quem tradiderat Satanæ in interitum carnis, post peractam pœnitentiam, veniam indulsit in persona Christi : *Nam et ego,* inquit[3], *quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.* Quem locum contra Novatianos urgebat S. Ambrosius[4] his verbis : *Jus sibi vindicavit Paulus acceptum, non usurpavit indebitum.*

OBJECTIONES.

Objicies 1. Christus non concessit facultatem remittendi peccata post Baptismum commissa : ergo, etc.

Prob. ant. Ex Apostol.[5] : *Impossibile est eos qui semel illuminati... et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et*

[1] Quamvis præcitata verba *præcipue* respiciant ad Ecclesiæ auctoritatem externam in legibus et censuris ferendis, suapte tamen intelliguntur etiam de peccatis remittendis aut retinendis : peccatum enim est vinculum quo peccator detinetur in servitute diaboli, juxta illud Apostoli : *Qui facit peccatum, servus est peccati.* Ita omnes Theologi.

[2] Sess. 14, cap. 1. — [3] II Cor. II, 10. — [4] Lib. I *de Pœnit.*, cap. 7. — [5] Hebr. VI.

ostentui habentes : ergo Christus non concessit facultatem peccata lapsis remittendi.

Resp. *Nego conseq.* Duæ enim sunt hujus textus expositiones.

Prima est omnium pene Veterum[1], qui censent Apostolum loqui de pœnitentia quæ præit Baptismum, tantumque damnare iterationem Baptismi : Hebræi enim in judaismo sæpe se baptizabant, indeque facti Christiani, putabant pari modo posse multoties baptizari, et baptismo iterato identidem peccata, in quæ sæpius incidebant, expiare. Hanc esse mentem Apostoli probant ex verbis *illuminationis* et *renovationis,* quibus utitur; quæ apprime congruunt Baptismo, non vero Pœnitentiæ : *Is enim quem pœnitet,* ait S. Athan.[2], *peccare quidem desinit, retinet tamen vulnerum cicatrices : qui autem baptizatur, veterem exuit hominem, et renovatur superne genitus, Spiritus gratia.*

Secunda est Recentiorum, qui magis apposite censent Apostolum proprie loqui de Pœnitentia, eamque dicere impossibilem, id est, valde difficilem esse peccatoribus, non quibusvis, sed gravissimis, quales sunt apostatæ qui, post tot cœlestia dona accepta, agnitam veritatem contemnentes, a Christo ad judaismum discedunt, ut aliqui faciebant Hebræi.

Porro, quæcumque expositio admittatur, non sequitur quod ex eo textu Novatiani inferebant, nempe nullum post Baptisma superesse lapsis remedium.

Inst. 1. Cap. x ejusdem epistolæ, Apostolus ait : *Voluntarie peccantibus post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio judicii :* ergo peccata post Baptismum commissa non possunt remitti.

Resp. *Dist. ant.* Voluntarie peccantibus peccato quoli-

[1] Chrysostomi, Theodoreti, Theophylacti, Haymonis, Ambrosii, Hieron., Augustini, etc. — [2] Epist. IV *ad Serapionem.*

bet, non relinquitur hostia, *nego;* peccato apostasiæ quo a Christo ad judaismum deficiebant, *subdist.:* si in sua apostasia perseverent, *conc.;* si de sua priori apostasia pœnitentiam agant, *nego ant.* et consequentiam.

Itaque Apostolus manifeste loquitur de Hebræis qui fidem deserebant ut ad judaismum deflecterent, et asserit talibus in tali statu manentibus, nullam relinqui pro peccatis hostiam; qualis enim esset? an Christus? at eum negant et conculcant: an alius Messias? at nullus est; an Legis sacrificia? at infirma et jam abolita erant. Talibus ergo Hebræis non hostia, non spes veniæ; sed terribilis tantum ultio manet, et ignis vehemens qui consumpturus est eos ut Christi adversarios. Hic sensus eruitur tum ex verbis antecedentibus : *Non deserentes collectionem nostram;* tum ex consequentibus : *Post acceptam notitiam veritatis.*

INST. 2. Atqui quodlibet peccatum in Deum commissum remitti nequit : ergo, etc.

Prob. subsumpt. Ex lib. I *Reg.*, cap. II, ubi dicitur : *Si peccaverit vir in virum, placari ei poterit Deus : si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* ergo peccata in Deum commissa remitti nequeunt.

RESP. *Dist. conseq.* Peccata in Deum remitti nequeunt in omni facto, *nego;* in facto speciali de quo agitur in textu, *subdist.:* remitti nequeunt per visibile sacrificium, *conc.;* per pœnitentiam, *nego.* Itaque textus loquitur de solo peccato filiorum Heli, quod *erat grande nimis coram Domino, qui* per suam ingluviem, rapacitatem et incontinentiam, *retrahebant homines a sacrificio Domini*[1]. Et consequenter cum nullus esset peccator qui postularet pro se offerri sacrificium, nullum supererat visibile remedium quo placari posset divina majestas, quæ tamen semper placari poterat per veram pœnitentiam.

[1] I Reg. II, 17.

Inst. 3. Atqui vere pœnitentibus venia peccatorum non semper indulgetur : ergo, etc.

Prob. subsumpt. Exemplo Antiochi et Esau; de Antiocho dicitur[1] : *Orabat hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus;* de Esau vero : *Non invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam :* ergo venia peccatorum non semper pœnitentibus indulgetur.

Resp. *Dist. conseq.* Venia peccatorum mendaciter pœnitentibus non indulgetur, *conc.;* vere pœnitentibus, *nego :* porro, mendax et fucata fuit pœnitentia Antiochi et Esau; Antiochus enim non doluit de culpa admissa, sed de crudelissimo morbo quo vexabatur. Pœnitentia vero Esau non fuit peccati et gratiæ Dei deperditæ, sed benedictionis paternæ et primogenituræ amissæ per profanam venditionem, quam desiderabat recuperare, sed frustra, cum non potuerit flectere patrem suum Isaac, ut benedictionem datam Jacobo revocaret, quin potius ipsam confirmaverit Isaac, dicens : *Benedixi ei* (Jacobo), *et erit benedictus;* hinc textus allatus proprie intelligitur de pœnitentia Isaac.

Objicies 2. I Joan. v dicitur : *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem; non pro illo dico ut roget quis.* Ergo omne peccatum mortale est irremissibile.

Resp. *Dist. conseq.* Non enim de omni peccato loquitur Div. Joannes, sed de peccato apostasiæ a Christo et Ecclesia, quod ideo vocat peccatum ad mortem : 1° quia, propter indurationem, solet per totam vitam usque ad mortem durare; 2° quia aufert fidem, quæ est principium vitæ spiritualis, et consequenter tollit peccatori omnem vitam spiritualem, omnemque spem pœnitendi ac resurgendi, a qua apostasia potest nihilominus resipiscere peccator et converti, licet difficile.

[1] Lib. II Machab. IX, 13.

INST. 1. Illud peccatum, pro cujus remissione vetat orare Div. Joannes, est omnino irremissibile; atqui pro peccato ad mortem vetat orare Div. Joannes : ergo, etc.

RESP. *Nego min.* Sensus enim textus hic est : non prohibeo quidem pro tali orare; sed non audeo polliceri quod impetrabit, ideo *non pro illo dico ut roget quis,* nimirum cum illa certa fiducia impetrandi, de qua vers. præcedenti locutus sum dicens : *Et hæc est fiducia quam habemus ad eum, quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos. Et scimus quia audit nos quidquid petierimus : scimus quoniam habemus petitiones quas postulamus ab eo*[1]. Nam sæpe Deus oratus pro peccato ad mortem, utpote gravissimo, non exaudit, juxta illud Jerem.[2] : *Noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam te.*

INST. 2. Teste ipsomet Christo[3], blasphemia in Spiritum Sanctum dimitti non potest neque in hoc sæculo, neque in futuro : ergo quoddam peccatum est irremissibile.

RESP. *Dist. ant.* Blasphemia in Spiritum Sanctum dimitti non potest comparate ad alia peccata, id est, non tam facile dimittitur, *conc.;* absolute, *nego ant.* Loquitur itaque Christus de majori remissionis difficultate, non de absoluta impossibilitate; ista enim loquendi ratio, *non remittetur,* est hebraismus quo rem difficile fieri significatur.

Porro, blasphemia in Spiritum Sanctum est peccatum quo quis manifestæ veritati resistit, imputans diabolo quæ sunt Spiritus Sancti, quomodo faciebant impii illi Judæi qui, manifeste intelligentes opera miraculosa Christi esse divina, dicebant[4] : *Non ejicit dæmonia nisi in Beelzebub, principe dæmoniorum.* Hoc fuit peccatum in Spiritum Sanctum, cui, per quamdam appropriationem, operatio miraculorum tribuitur : cum autem illud peccatum non ex infirmitate, sed ex malitia procedat, non nisi difficile dimittitur, non propter immisericordiam Dei, sed propter impœnitentiam hominis, quia talis peccator directe oppugnat illud sine

[1] I Joan. v. — [2] Jerem. VII, 16. — [3] Matth. XII, 21. — [4] Matth. XII, 24.

quo pœnitere nequit, puta Spiritum Sanctum, ejusque gratiam; unde magis excæcatur et obduratur, tandemque in reprobum sensum traditur.

Blasphemia vero contra Filium hominis, est peccatum ignorantiæ, quod cum aliquam excusationem habeat, facilius condonatur; tale erat peccatum Judæorum, qui, infirmitate et abjectione naturæ humanæ Christi offensi, facta ejus humana calumniabantur, vocantes eum vini potatorem, amicum publicanorum, etc., suspicantes eum esse purum hominem.

Quæres : *An dari possit certus peccatorum numerus quo posito nequeat homo a peccatis resurgere?*

Resp. *negative,* tum quia legitur in Ezechiele[1]: *Nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat;* et Petr.[2]: *Secundum benignitatem suam tolerat peccatores, ut tandem illos pœniteat;* et Christus dicit[3]: *Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam;* tum quia Deus, quantum est ex sua parte, nunquam denegat gratias et auxilia sufficientia ad cordis conversionem; tum quia homo, dum est in via, debet semper habere medium et potentiam ad obtinendum terminum, et consequenter potentiam delendi peccata quæ termini consecutionem impediunt.

Ergo peccatorum cumulus non datur, et quamvis multi a peccatis non resurgant, et aliqui post certum peccatorum cumulum gravissimorum, morte sine pœnitentia præoccupentur, non sequitur assignatum esse certum peccatorum cumulum, quo posito, Deus amplius non velit homines tolerare, eisque necessaria auxilia præstare. Ita communiter SS. Patres et Doctores.

[1] Ezech. XVIII, 13. — [2] II Epist. III, 9. — [3] Matth. IX.

CONCLUSIO II.

Pœnitentia verum est ac speciale novæ legis Sacramentum, a Baptismo Baptismique materia distinctum, lapsis post Baptismum absolute necessarium in re vel in voto.

Est de fide quoad omnes partes.

PROBATUR PRIMA PARS. Nempe *Pœnitentiam esse verum Sacramentum.* Ad verum novæ legis Sacramentum quatuor requiruntur et sufficiunt, etiam secundum novatores : 1° ut sit signum externum et sensibile ; 2° ut habeat vim producendi gratiam ; 3° ut sit a Christo præceptum, seu institutum ; 4° ut sit constans ac perpetuum in Ecclesia ; atqui Pœnitentia quatuor illas conditiones habet : ergo, etc.

1° Est signum externum et sensibile, tum ex parte pœnitentis peccata sua declarantis, et internum animi dolorem significantis ; tum ex parte sacerdotis per certa et determinata verba, modo externo hominibus accommodato, absolventis.

2° Habet vim producendi gratiam, nempe remissionem peccatorum.

3° Signum illud est a Christo institutum : *Cum nempe,* ait Concil. Trident.[1], *a mortuis excitatus, insufflavit in discipulos suos dicens :* Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ; et quorum retinueritis, retenta sunt.

Confirmatur 1. Sacramentum Pœnitentiæ, id est confessio, satisfactio et absolutio peccatorum existit, ut patet, et existebat tempore Lutheri et Calvini : ergo semper extitit : ergo a Christo est institutum, juxta Augustini effatum : *Quod ubique, quod ab omnibus retentum est, illud ab Apostolis traditum esse necessario credendum est.*

Prob. conseq. Si non semper extitit et a Christo non fuit institutum, asserere debent adversarii illud esse com-

[1] Sess. 14, cap. 1.

mentum et inventum humanum. Sed tunc dicant quando, quo in loco, a quo inventore, quomodo illud fuerit inventum? in lucem prodeant reclamationes, turbationes, dissidia, schismata quæ in talibus circumstantiarum adjunctis esse debuerunt; fuerunt enim cum Christus remisit peccata : *Et quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus*[1]? Quis tanta gavisus est potestate, tantaque præditus solertia, ut omnes Christianos adduceret ad propalanda sua crimina atrociora, ad imponendum hominibus jugum naturæ superbæ ita durum, ita difficile et onerosum, ut tanta eluceat Dei potentia in hujus Sacramenti perduratione et frequentatione, quanta emicuit sua misericordia in ejus institutione? Ergo illud Sacramentum nonnisi a Christo fuit institutum.

Confirmatur 2. Nullus hæreticus, nulla hominum secta ante novatores sæculi XVII, illud Sacramentum rejecerunt, sed omnes illud admittebant et confessionem agebant : ergo illud in Ecclesia catholica existebat ante eorum schisma, et secum ut paternam hæreditatem detulerunt, quia repugnat aut illas sectas postea ab Ecclesia, aut Ecclesiam ab illis fuisse mutuatam. *Subsumo :* atqui ab incunabulis Ecclesiæ fuerunt schismata et hæreses : ergo ab initio extitit sacramentum Pœnitentiæ : ergo a Christo fuit institutum.

4° Est signum perpetuum, cum potestatem dimittendi peccata absque temporis limitatione, Christus Ecclesiæ suæ concesserit.

Hinc Concil. Trident.[2] definivit : *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica Pœnitentiam non esse vere et proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsis Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum, anathema sit.*

PROBATUR SECUNDA PARS. Nempe *sacramentum Pœnitentiæ distinctum esse a Baptismo ejusque materia.* Probatur, in-

[1] Marc. II, 7. — [2] Sess. 14, can. 1.

quam : 1° Ex Div. August.[1], qui asserit peccata fidelium curari remedio plane diverso ab eo quo peccata catechumenorum curantur : *Si a catechumeno factum est homicidium*, inquit, *Baptismate abluitur; si a baptizato, Pœnitentia et reconciliatione sanatur.*

Prob. 2. Ratione deducta ex Scriptura sacra, et traditione Patrum : illa Sacramenta sunt inter se diversa, quæ habent materiam, formam, subjectum, ministrum et effectus omnino diversos et distinctos; atqui Baptismus et Pœnitentia habent materiam, formam, subjectum, etc., omnino distinctos et diversos : ergo sunt duo Sacramenta inter se omnino diversa.

Prob. min. per partes : namque

1° Baptismi materia est aqua, et forma sunt ista verba : *Ego te baptizo*, etc.; materia vero sacramenti Pœnitentiæ sunt actus pœnitentis, forma autem sunt hæc verba : *Ego te absolvo*, etc.

2° Baptismi subjectum est homo quilibet nondum baptizatus; Pœnitentiæ vero est solus homo baptizatus; unde Concil. Trident. ibid. dicit : *Sacramentum Pœnitentiæ esse remedium, quo lapsis post Baptismum beneficium mortis Christi applicatur.*

3° Baptismi minister in necessitate est homo quilibet; Pœnitentiæ vero est solus Sacerdos personam judicis sustinens.

4° Baptismi effectus sunt character, et remissio tum peccati originalis, tum actualium ante ipsum commissorum, tam quoad omnem pœnam, quam quoad culpam; Pœnitentiæ vero effectus, est sola remissio peccatorum actualium post Baptismum commissorum quoad culpam et pœnam æternam : ergo, etc.

Confirmatur : Christus concessit Apostolis potestatem remittendi et retinendi peccata; sed si sacramentum Pœnitentiæ non est distinctum a memoria Baptismi, minister

[1] Lib. II *de Adulterinis conjugiis*, cap. 13.

Pœnitentiæ non potest retinere subjectorum peccata : non potest enim impedire quominus vel per prædicationem, vel per Pœnitentiæ sacramenti frequentationem in Baptismum excitetur fides qua peccata remitterentur. Ergo, etc.

Hinc merito Concil. Trident.[1] contra novatores definit : *Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum Pœnitentiæ sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, atque ideo Pœnitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari, anathema sit.*

Probatur tertia pars. Nempe *Pœnitentiæ sacramentum lapsis absolute esse necessarium in re vel in voto.* Illud est necessarium necessitate medii ad salutem, sine quo obtineri non potest remissio peccatorum post Baptismum commissorum : atqui sine sacramento Pœnitentiæ in re vel in voto non potest obtineri remissio peccatorum mortalium post Baptismum commissorum, dicente Christo[2] : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt :* ergo, etc.

Confirmatur ex Concil. Trident.[3] dicente : *Est autem hoc sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.* Nam eodem modo quo Christus dixit Joan. xxxiv : *Nisi quis renatus fuerit,* etc., dixit Lucæ xiii : *Nisi Pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Hinc Sacramentum hoc idem Concil.[4] vocat *secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam.*

Dixi *in re vel in voto;* quia homo in tali statu constitutus, in quo non habet copiam Confessarii, vel defectu linguæ ministerio ejus uti non potest, contritus gratiam sanctificantem, et hac mediante, gloriam paradisi obtinere potest.

[1] Sess. 14, can. 2. — [2] Joan. xx, 23. — [3] Sess. 14, cap. 2. — [4] Sess. 6, cap. 14.

OBJECTIONES.

OBJICIES *contra primam partem :* Eadem est vis Pœnitentiæ in utraque lege; atqui Pœnitentia in lege veteri non fuit Sacramentum : ergo nec in lege nova.

RESP. *Dist. maj.* Eadem est vis Pœnitentiæ, quatenus est virtus, *conc.;* quatenus Sacramentum, *nego maj.* In veteri quippe lege Pœnitentia virtus duntaxat fuit, quæ in nova ad dignitatem Sacramenti fuit elevata; unde contritio, quæ Judæis ad salutem sufficiebat, jam nobis non sufficit sine Sacramento re vel voto percepto.

INST. Ad Sacramentum requiritur elementum, juxta illud Div. August.[1] : *Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum;* atqui in Pœnitentiæ ritu nullum est elementum : ergo, etc.

RESP. *Dist. maj.* Ad Sacramentum requiritur elementum improprie dictum, nempe sumptum pro aliquo signo sensibili, *conc.;* proprie dictum, *subdist.:* in aliquibus Sacramentis, *conc.;* in omnibus, *nego maj.* Div. itaque August. loquitur de Baptismo in quo materia est aqua.

OBJICIES *contra secundam partem :* Joannes prædicavit[2] baptismum Pœnitentiæ in remissionem peccatorum : ergo sacramentum Pœnitentiæ non distinguitur a Baptismo.

RESP. *Nego conseq.* Joannes enim non loquitur de sacramento Pœnitentiæ, sed de suo proprio Baptismo, cujus cum tota vis esset a virtute Pœnitentiæ, merito vocatur Baptismus Pœnitentiæ.

INST. 1. Div. Fulgentius[3], cum pluribus aliis Patribus, Baptismum appellat *sacramentum fidei et Pœnitentiæ:* ergo, etc.

RESP. *Dist. ant.* Baptismum appellat sacramentum fidei et Pœnitentiæ, respectu infidelium adultorum, qui ad Baptismum non admittuntur, nisi præmissa de peccatis pœnitentia, *conc.;* eo quod sacramentum Baptismi sit ipsummet

[1] Tract. LXXX *in Joan.* — [2] Luc. III, 3. — [3] Lib. *de Fide ad Petrum,* cap. 30.

sacramentum Pœnitentiæ, *nego ant.;* nam effectus utriusque Sacramenti sunt valde diversi, quos sic exprimit Div. Chrysost.[1] : *Novos,* inquit, *facere est solius Baptismi, Pœnitentiæ autem est, eos qui novi facti sunt, deinde in peccatis inveteraverunt, liberare a vetustate, solidosque reddere; ad illum autem splendorem* (receptum per Baptisma) *non licet reducere : illic enim totum est gratia.*

Inst. 2. Div. August.[2] asserit omnia peccata, etiam post Baptismum, dimitti per ipsum Baptismum : ergo sacramentum Pœnitentiæ non distinguitur a Baptismo ejusque memoria.

Resp. *Dist. ant.* Peccata post Baptismum commissa dimittuntur per ipsum Baptismum præsuppositive et dispositive, *conc.;* vere et effective, *nego ant.*

Itaque peccata post Baptismum commissa vere ac effective remittuntur per Pœnitentiam, sed præsuppositive remittuntur per Baptismum, quia cum Baptismus sit janua omnium Sacramentorum, nemo mundari potest per sacramentum Pœnitentiæ, nisi fuerit baptizatus. Ita seipsum explicat Div. August., dicens : *Quid enim prodesset vel ante Baptismum Pœnitentia, nisi Baptismus sequeretur; vel postea, nisi præcederet?*

CONCLUSIO III.

Absolutio sacramentalis est actus judicialis quo vere ac proprie dimittuntur peccata, non vero nudum ministerium declarans tantum ea esse dimissa.

Est de fide, ut Concil. Trident.[3] contra lutheranos et calvinistas definit : *Si quis dixerit absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti..., anathema sit.*

[1] Homil. 11 *in epist. ad Hebræos.* — [2] Lib. 1 *de Nuptiis et Concupisc.*, cap. 33. — [3] Sess. 14, can. 9

Prob. Ex verbis Christi[1] : *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis ; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Ex quibus argumentor :

Illa verba in sensu proprio et naturali significant veram potestatem remittendi peccata, non enim Christus dixit : Quorum declaraveritis dimissa peccata, sed *quorum remiseritis ;* atqui illa verba sunt in sensu proprio et naturali intelligenda : ergo significant veram potestatem remittendi peccata, datam Apostolis.

Prob. min. 1° Quia Christus testatur se eam Apostolis conferre auctoritatem, quam ipse a Patre acceperat : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos ; accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis,* etc.; atqui Christus potestatem accepit a Patre non solum declarandi peccata esse remissa, sed vere et juridice ea dimittendi : ergo, etc.

2° Quia Christus testatur eo ipso modo peccata esse dimittenda in cœlis, quo remittuntur in terris ; at in cœlis non tantum declarantur esse remissa, sed vere et proprie remissa habentur : ergo, etc.

3° Quia verbum *remittere,* cum de peccatis agitur, indicat veram et proprie dictam peccatorum remittendorum auctoritatem, ut constat ex murmuratione pharisæorum, qui cum audierint Christum dicentem paralytico : *Remittuntur tibi peccata tua,* conquerebantur Christum sibi arrogasse auctoritatem remittendi peccata, dicentes[2] : *Quis est hic qui loquitur blasphemias? quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* ergo ista verba : *Quorum remiseritis,* etc., sunt in sensu naturali et obvio intelligenda de vera potestate remittendi peccata.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Solus Deus potest dimittere peccata, juxta illud Isaiæ XLIII : *Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas :* ergo, etc.

[1] Joan. XX. — [2] Luc. V, 21.

Resp. *Dist. ant.* Solus Deus potest dimittere peccata, auctoritate propria et independente, *conc.;* solus per exclusionem causæ ministerialis et instrumentalis, *nego ant.* Christus enim concessit hominibus tanquam instrumentis et ministris ut suo nomine remitterent peccata.

Inst. 1. Solus Deus potest actione sua animam attingere: ergo solus potest dimittere peccata per exclusionem causæ ministerialis.

Resp. *Dist. ant.* Solus Deus potest actione sua immediata et independenti animam attingere, *conc.;* mediata et dependente a signis sensibilibus, *nego ant.* Porro, potestas remittendi peccata hominibus concessa, alligata est ritui externo a Christo instituto.

Inst. 2. In nullo loco Scripturæ reperitur Christum dedisse Sacerdotibus potestatem judiciariam absolvendi a peccatis : ergo talem non habent.

Resp. *Nego ant.* Hanc enim ipsis concessit, cum[1] dixit Apostolis : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,* etc.

Inst. 3. Atqui per ista verba : *Quorum remiseritis,* etc., Christus non dedit Apostolis potestatem judiciariam, etc. : ergo, etc.

Prob. subsumpt. S. Cyrillus hic exponit hæc verba : *Quorum remiseritis*, etc., de prædicatione Evangelii : ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* S. Cyrillus, hæc verba : *Quorum remiseritis,* etc., non exponit de prædicatione Evangelii, sed ista : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos,* scilicet ad prædicandum Evangelium.

Inst. 4. S. Cyrillus explicans hæc verba : *Quorum remiseritis peccata,* ait dupliciter remitti peccata, scilicet *Baptismo* et *Pœnitentia;* atqui in Baptismo peccata non remittuntur per judiciariam potestatem : ergo nec in Pœnitentia.

Resp. *ad majorem.* Utrumque verum est, sed utrumque non est ad mentem Christi hoc loco : Christus enim loquitur

[1] Joan. xx.

proprie de tribunali Pœnitentiæ, Cyrillus vero sententiam Christi extendit ulterius, scilicet ad Baptismum : quæ extensio non præjudicat veritati fidei, quam exponunt alii Patres et Concil. Trident. locis jam citatis.

Objicies 2. S. Hieronymus exponens hunc textum[1] : *Tibi dabo claves regni cœlorum,* ait : *Apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæritur :* ergo non est in potestate Sacerdotum solvendi vel ligandi quos voluerint, sed ad solum Deum illa pertinet.

Resp. *Dist. conseq.* Non est in potestate Sacerdotum arbitraria nullisque legibus adstricta solvendi vel ligandi quos voluerint : *Quasi pro arbitrio,* ait Div. Hieronym. cit., *possent vel damnare innocentes, vel solvere noxios,* conc.; non est in potestate ministeriali ac certis legibus adstricta, nempe ut eos tantum absolvant qui absolutione digni videntur, *nego conseq.* Addit enim Div. Hieronym. : *Peccatorum varietates audiendæ sunt, ut Sacerdos sciat qui ligandus sit, quique solvendus.*

Inst. Div. Hieronymus in confirmationem suæ sententiæ adducit comparationem leprosorum veteris legis, qui jubebantur ut Sacerdotibus se ostenderent, non ut mundarentur, cum fuerint mundati a Christo, sed ut mundati declararentur : ergo mens Div. Hieronymi est Sacerdotes novæ legis non aliam habere potestatem, quam declarandi peccata esse remissa.

Resp. *Nego conseq.* Comparatio enim illa claudicat, et in hunc solum finem adducitur a Div. Hieronymo, ut probet Sacerdotibus incumbere munus probandi qui solvendi sint aut ligandi, antequam ferant sententiam remissivam vel retentivam peccatorum; sicut munus incumbebat Sacerdotibus legis Mosaicæ probare utrum lepra sit mundanda, vel non, antequam leprosos declararent a lepra mundatos, et sic restituerentur templo et convictui hominum.

Urgebis : Saltem absolutio est mere declaratoria pecca-

[1] Comm. *in cap.* XVI *Matth.*

torum illius, qui cum contritione perfecta accedit ad tribunal Pœnitentiæ.

Resp. *Nego illatum.* Rationem reddit Concil. Trident.[1], quia in illa contritione includitur votum Sacramenti, sine quo *reconciliatio contritioni non est adscribenda* : et ideo verba formæ : *Ego te absolvo*, tam ex Christi institutione, quam ex Ecclesiæ et ministri intentione, significant effectum quem Sacramentum per se operatur, si aliunde nihil obstet. Unde illa *non minus vere de illo etiam homine Sacerdos pronuntiat, qui prius ardentissimæ contritionis vi, accedente tamen confessionis voto, peccatorum veniam a Deo consecutus sit,* ut docet Catechismus Concil. Trident.

CAPUT II.

DE ESSENTIA ET NATURA POENITENTIÆ.

Nota. Cum essentiam metaphysicam Pœnitentiæ definitione supra tradita habeamus, hic de ejusdem essentia physica, materia scilicet et forma, agendum restat duplici articulo.

ARTICULUS I.

DE MATERIA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

Nota 1. Duplex est Pœnitentiæ materia, una remota seu *circa quam,* altera proxima seu *ex qua.* Materia remota est objectum circa quod occupatur efficacia sacramenti Pœnitentiæ. Materia proxima sunt partes ex quibus Sacramentum conficitur.

Materia remota sunt peccata post Baptismum vel in Baptismo prave suscepto commissa, sive ea sint mortalia, sive venialia, sive jam fuerint confessa, sive non; cum hoc solo discrimine, quod peccata venialia et mortalia jam confessa, sint quidem materia sufficiens Pœnitentiæ, cum sine distinctione Christus dixerit : *Quorum*

[1] Sess. 14, cap. 4.

remiseritis peccata, etc.; sed tamen libera, cum, ex Concil. Trident., *taceri citra culpam*, *multisque aliis remediis expiari possint* venialia, et mortalia jam confessa ac remissa... mortalia vero nondum confessa sint materia necessaria, hoc est, dimitti non possint, nisi aut per actualem sacerdotalem absolutionem, aut saltem per illius votum, seu desiderium, cum idem Trident. ibidem declaret omnia peccata mortalia necessario in confessione esse declaranda. — De una ergo materia proxima controvertitur, circa quam

Nota 2. Scotus[1] docet tres actus pœnitentis non esse materiam proximam, seu partes intrinsecas hujus Sacramenti, sed esse duntaxat dispositiones necessario prærequisitas ad illius effectum; contenditque totam rationem Sacramenti repositam esse in sola Sacerdotis absolutione, quæ, quatenus est sonus quidam sensibilis, est materia Sacramenti; quatenus vero significat peccatorum remissionem, est ejusdem forma. Scotistis adhæret Maldonatus.

Durandus[2] docet contritionem non esse partem essentialem hujus Sacramenti, eo quod non sit sensibilis.

Communis Div. Thomæ et aliorum sententia assignat tres actus pœnitentis, nempe contritionem, confessionem et satisfactionem pro materia proxima Pœnitentiæ, cum hoc discrimine, quod contritio et confessio sint materia essentialis, et satisfactio sit tantum integralis, cum quibus sit

CONCLUSIO.

Tres actus pœnitentis, et nullatenus absolutio, sunt materia proxima pœnitentiæ, seu partes ex quibus componitur, sed contritio et confessio sunt partes essentiales Sacramenti, satisfactio vero actualis est pars integralis.

PROBATUR PER PARTES.

Probatur prima pars 1. *Ex Concil. Florent.* in decreto dicente : *Quartum sacramentum est Pœnitentiæ, cujus*

[1] In 4, dist. 14, quæst. 4, et dist. 16, quæst. 1. — [2] In 4, dist. 16, quæst. 1.

quasi materia sunt actus pœnitentis. qui in tres distinguuntur partes, quarum prima est cordis contritio... secunda est oris confessio... tertia satisfactio pro peccato.

Prob. 2. *Ex Trident.*[1] definiente : *Si quis negaverit. ad integram et perfectam peccatorum remissionem. requiri tres actus in pœnitente. quasi materiam sacramenti Pœnitentiæ, videlicet contritionem, confessionem et satisfactionem.. , anathema sit.*

Nec te moveat particula *quasi*. qua utitur Concilium; nam *hi actus,* inquit Catechismus Romanus[2], *quasi materia a sancta Synodo appellantur, non quia veræ materiæ rationem non habeant. sed quia ejus generis materia non sit. quæ extrinsecus adhibeatur, ut aqua in Baptismo, chrisma in Confirmatione.*

Prob. 3. *Ratione.* Quod componit totum, est intrinsecum toti; atqui actus pœnitentis componunt sacramentum Pœnitentiæ, cum ex Trident. sint *partes Pœnitentiæ :* ergo.

Respondent Scotistæ. Actus pœnitentis dicuntur *partes Pœnitentiæ,* quia requiruntur ad effectum Sacramenti percipiendum. Sed

Contra est : Nam actus fidei, spei, et charitatis saltem inchoatæ, requiritur ad effectum Baptismi recipiendum : ergo pari jure possent dici partes Baptismi, quod est falsum.

Confirmatur 1. Sacramentum Pœnitentiæ institutum est per modum judicii, ut patet ex infra dicendis[3]: sed in omni judicio est actus et processus judicialis. *Subsumo :* atqui processus judicialis constat ex quatuor. scilicet accusatione, confessione et satisfactione rei tanquam ex materia, et sententia judicis tanquam ex forma complente et perficiente processum judicialem : ergo Sacramentum constat dolore, confessione et satisfactione pœnitentis tanquam ex materia, et absolutione sacerdotis tanquam ex forma,

[1] Sess. 14, can. 4. — [2] *De Sacram. Pœnit.* — [3] Vide cap. 5, *de Confess. et absolut.*

sua expressiori significatione complente et perficiente ritum Sacramentalem. Ita Billuart[1].

Confirmatur 2. Pœnitentia non est recompensatio offenso secundum arbitrium judicis, sicut in justitia vindicativa, inquit Div. Thomas[2], sed secundum voluntatem offendentis et secundum arbitrium Dei in quem peccatur, quia hic non tam quæritur reintegratio æqualitatis justitiæ, ut in justitia vindicativa, quam reconciliatio amicitiæ : est autem inter utramque discrimen, quod in justitia vindicativa satis est reum pati pœnam a judice latam sive spontanee, sive coacte, sive offensus sit ea pœna contentus, sive non : in Pœnitentia autem requiritur quod offendens voluntarie recompenset emendam ad arbitrium ejus quem offendit ; atqui ad hujusmodi recompensationem requiruntur tres actus assignati ex parte pœnitentis : 1° quidem requiritur voluntas compensandi, quod fit per contritionem ; 2° quod se subjiciat arbitrio sacerdotis loco Dei offensi, quod fit per confessionem ; 3° quod voluntarie recompenset secundum arbitrium ministri Dei offensi, quod fit per satisfactionem. Ergo tres actus assignati, contritio scilicet, confessio et satisfactio ponuntur partes Pœnitentiæ.

Prob. secunda pars. Quia, juxta Concilia Florent. et Trident., forma et materia Sacramenti a se invicem distinguuntur; atqui absolutio est forma Pœnitentiæ : ergo non est materia.

Nec dicas cum Scoto : Absolutio est materia sacramenti, qua parte est sensibilis, et forma qua parte significat effectum sacramenti : nam

Resp. Quod in Sacramentis tam forma quam materia debet esse sensibilis : ergo ratio formæ consistit duntaxat in verbis absolutionis, quatenus sensibiliter proferuntur : non igitur eo respectu absolutio potest habere rationem materiæ.

Prob. tertia pars. Illæ partes sunt essentiales Sacra-

[1] *De Pœnit.*, diss. 1, art. 3. — [2] 2 p. tertia, quæst. 90, art. 2.

menti, sine quibus stare non potest Sacramentum; atqui sine contritione et confessione, non potest stare sacramentum Pœnitentiæ, ut probabitur dum agemus de ipsis : ergo, etc.

Probatur quarta pars. Nempe : *Satisfactionem actualem esse partem integralem tantum.* Ea enim pars est tantum integralis, sine qua ponitur essentialiter Sacramentum et ejus primarius effectus, nempe justificatio; atqui talis est satisfactio respectu sacramenti Pœnitentiæ; valet enim sine illa absolutio data peccatori contrito et confesso : ergo, etc.; tamen *satisfactio in voto, seu propositum satisfaciendi*, cum necessario saltem implicite includatur in contritione, est pars essentialis Sacramenti; unde dixi in conclusione *actualis*.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Concil. Trident.[1] docet actus pœnitentis esse dispositiones ad percipiendum cum fructu sacramentum Pœnitentiæ : ergo non sunt materia hujus Sacramenti.

Resp. *Nego conseq.* Actus enim pœnitentis sunt dispositiones simul et materia Sacramenti: nam, quatenus præcise spectantur prout a pœnitente seipsum ad Sacramentum præparante procedunt, sunt dispositiones præviæ ad effectum Sacramenti, nempe remissionem peccatorum; sed, quatenus spectantur prout a Sacerdote per potestatem clavium evehuntur ad Sacramentum constituendum, ejusque effectum, mediante absolutione, producendum, sunt partes intrinsece componentes sacramentum Pœnitentiæ.

Inst. 1. Si actus pœnitentis sint materia proxima Pœnitentiæ, pœnitens erit minister, saltem partialis, Pœnitentiæ; falsum consequens : ergo, etc.

Prob. sequel. Si actus pœnitentis sint materia proxima Pœnitentiæ, pœnitens subministrabit materiam Sacramenti : ergo erit minister.

[1] Sess. 14, cap. 4.

Resp. *Dist. ant.* Pœnitens subministrabit materiam, et simul evehet ipsam ad esse sacramentale, *nego;* et non evehet ipsam ad esse sacramentale, *conc. ant.*, et *nego conseq.;* Porro, ille solus est minister Sacramenti, qui materiam evehit ad esse sacramentale per applicationem formæ ad materiam, quod solus præstat Sacerdos.

Inst. 2. In aliis Sacramentis materia proxima est actus ministri proprius, v. gr. ablutio in Baptismo : ergo in sacramento Pœnitentiæ debet quoque esse actus ministri.

Resp. *Dist. ant.* In aliis Sacramentis, in quibus materia remota est applicanda ad subjectum Sacramenti, ut aqua quæ in Baptismo applicatur baptizando, *conc.;* in aliis, *nego ant.* Porro, in sacramento Pœnitentiæ nulla est materia remota quæ debeat ad subjectum applicari, cum potius debeat expelli a subjecto et destrui.

Objicies 2. Materia Sacramenti debet esse sensibilis; sed contritio non est sensibilis : ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Materia debet esse sensibilis vel per se, vel per aliud, *conc.;* per se semper, *nego maj.* Contritio autem sensibilis est vel per confessionem, vel per actum ejus exterius prolatum.

Objicies 3. Id non est materia Sacramenti, sine quo validum est Sacramentum ; atqui Sacramentum moribundi confiteri non valentis est validum absque confessione : ergo, etc.

Resp. *Dist. min.* Sine confessione actuali et explicita, *conc.;* sine confessione virtuali saltem et implicita, *nego min.;* nam in tali casu semper est confessio virtualis inclusa in petitione Confessarii, vel etiam, ut multi volunt in vita christiane peracta; sed de hoc argumento infra.

Objicies 4. Illud non est pars sacramenti Pœnitentiæ quod est fructus Pœnitentiæ; atqui satisfactio est fructus Pœnitentiæ, juxta illud Luc xxxviii : *Facite fructus dignos Pœnitentiæ :* ergo satisfactio non est pars sacramenti Pœnitentiæ.

Resp. *nego min.* Dignus enim fructus Pœnitentiæ est virtus, non vero satisfactio quam minister imponit. Unde Divus Thomas[1], ait : *Satisfactio est pars Pœnitentiæ sacramenti, fructus autem Pœnitentiæ virtus.*

Objicies 5. Nulla pars constituva in se continet aliam sibi condivisam, alias non essent partes, sed unum totum; atqui contritio continet in se confessionem et satisfactionem in proposito : ergo tres actus assignati non sunt partes constituvæ sacræ Pœnitentiæ sacramenti.

Resp. Nulla pars constituva in se continet aliam sibi condivisam quoad essentiam, *conc.;* in virtute, *nego.* Responsio est Divi Thom. qui[2] dicit quod : *Una pars integralis* (seu materialis), *potest continere totum, licet non secundum essentiam : fundamentum enim quodam modo virtute continet totum ædificium, et hoc modo contritio continet virtute totam pœnitentiam.*

Objicies 6. Contra quartem partem : Sacramentum Pœnitentiæ est institutum per modum judicii vindicativi : ergo satisfactio est pars essentialis.

Resp. *Dist. ant.* Est institutum per modum judicii vindicativi secundario, *conc.;* primario, *nego ant.* Itaque Sacramentum Pœnitentiæ primario et essentialiter est judicium reconciliativum; secundario et integraliter est judicium vindicativum; unde sequitur satisfactionem esse partem integralem, non essentialem.

Inst. 1. Ex Concil. Trident.[3], *debent Sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et pœnitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere :* ergo satisfactio est pars necessaria et essentialis.

Resp. *Nego conseq.* Sacerdotes enim tenentur imponere satisfactiones, quia tenentur facere Sacramentum integrum.

[1] 2 part., tertiæ, quæst. 90, ad 3. — [2] 2 part., tertiæ, quæst. 90, ad 2. — [3] Sess. 14, cap. 8.

Inst. 2. In veteri Ecclesia praxis fuit non concedendi absolutionem, nisi prius expleta satisfactione : ergo satisfactio censebatur pars essentialis.

Resp. *Dist. ant.* In veteri Ecclesia praxis fuit non concedendi absolutionem omnium peccatorum, nisi prius expleta satisfactione, *nego;* peccatorum graviorum, *subdist.:* extra vitæ periculum, tempus persecutionis, etc., *conc.;* in illis temporibus, *nego ant. et conseq.* Ex quo patet in Ecclesia satisfactionem semper habitam fuisse ut partem duntaxat integralem : alias Ecclesia his in casibus violasset institutionem Christi, quod nemo sanæ mentis dixerit.

ARTICULUS II.

DE FORMA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

Nota. Tria hic quæri possunt : *primum,* an forma Pœnitentiæ essentialiter constet verbis; *secundum,* an necessario debeat esse indicativa; *tertium,* quænam verba sint necessaria necessitate Sacramenti in forma absolutionis.

§ I.

An forma Pœnitentiæ essentialiter constet verbis.

CONCLUSIO.

Forma Sacramenti Pœnitentiæ essentialiter exprimi debet verbis humana voce prolatis.

Prob. *Ex Concil. Florent.* dicente[1] : *Forma hujus Sacramenti sunt verba absolutionis, quæ Sacerdos profert, cum dicit:* Ego te absolvo, etc.; et *Trident.*[2] dicente : *Docet sancta Synodus sacramenti Pœnitentiæ formam... illis ministri verbis positam esse :* Ego te absolvo, etc. Ergo forma sacra-

[1] In *Decreto pro Armenis.* — [2] Sess. 14 cap. 3.

menti Pœnitentiæ debet essentialiter constare verbis humana voce prolatis, cum ipsa consistat in verbis quæ Sacerdos profert, cum dicit : *Ego te absolvo.*

Unde jure merito Clement. VIII[1] hanc propositionem : *Licet per litteras. seu internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere,* damnavit ut falsam, temerariam et scandalosam, ac prohibuit sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ipsam edoceri, aut ea in praxi uti.

Unde patet absolutionem sic datam non esse tantum illicitam ; sed penitus invalidam : nam Summus Pontifex prohibuit *ne ad praxim quoquomodo reducatur;* atqui si tantum per hoc declararetur illicita, sequeretur quod aliquando ex urgente necessitate valide et licite dari posset, cum leges Ecclesiæ non possint obligare cum tanto incommodo, maxime in re ad salutem pertinenti.

Dices : Sacramentum Pœnitentiæ institutum est per modum judicii ; at judicium non exigit essentialiter ut sententia verbis proferatur : ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Est institutum per modum judicii divini in foro interno, *conc.;* humani vel in foro externo, *nego maj.,* et sic ad minorem.

Itaque sententia in foro externo lata potest vel verbis, vel scripto, vel nutibus proferri ; at ex perpetua Traditione et Conciliorum definitione constat sententiam in foro interno debere verbis proferri ; multum enim discrepat judicium fori interni a judicio fori externi : primum enim est in solutionem rei institutum ; secundum est in ejus condemnationem ; primum est voluntarium ; secundum est contentiosum et necessarium. In primo, idem est reus et accusator : in secundo, sunt diversi, etc.

Inst. Matrimonium potest scripto vel nutibus celebrari : ergo et Pœnitentia.

[1] Bulla *Sanctissimus Dominus,* data ann. 1602.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod Christus, instituendo Matrimonium, novum ritum non instituit, sed unice contractum humanum ad rationem Sacramenti elevavit; cum autem contractus humanus ante suam ad rationem Sacramenti elevationem, verbis, scripto vel nutu celebratus, fuerit validus : ergo et post suam ad rationem Sacramenti elevationem; e contra, instituendo sacramentum Pœnitentiæ, novum ritum instituit, quem voluit administrari per verba proprie dicta et ore prolata.

Resolves : Cum Sacerdos formam exprimit, pœnitens hic tunc moraliter præsens esse debet. Hæc autem moralis præsentia intelligitur illa intra quam homines communi voce, licet altiori, loqui possunt et solent; non tanta tamen conceditur distantia ac in concione vel Missæ auditione. Quod si casu aliquis absolvi non possit nisi a longe, v. gr. si rueret e tecto, vel aquis mergeretur, absolutio sub conditione saltem mentali danda esset. Cum autem ob infectionis periculum, vel ob aliam causam, non potest ingredi in cubiculum morientis, potest a janua eum absolvere.

§ II.

Utrum forma sacramentalis absolutionis deprecatoria, vel indicativa esse debeat.

Nota. Morinus[1], quem sequuntur aliqui recentiores, docet formam Pœnitentiæ esse quidem actum judicialem, sed quæ indifferenter potest exprimi verbis deprecatoriis vel indicativis, prout Ecclesiæ placuerit eam determinare, cui Christus reliquit determinandum; imo docet duodecim prioribus sæculis deprecatoriam fuisse in Ecclesia Latina, et nunc quoque deprecatoriam esse in Ecclesia Græca, contra torrentem doctorum qui docent formam Pœnitentiæ debere

[1] Lib. VIII *de Pœnit.*, cap. 8 et seqq.

absolute esse indicativam ; imo Div. Thom.[1] contendit contrariam opinionem esse temerariam, præsumptuosam et erroneam, *quia*, inquit, *repugnat Evangelicis dictis*. Itaque sit

CONCLUSIO.

Forma sacramentalis absolutionis, ex institutione Christi, debet esse indicativa, ita ut nec unquam fuerit, nec possit esse deprecativa.

Prob. 1. Argumento quod Div. Thom.[2] deducit ex verbis Christi : *Sed contra est*, inquit, *quod sicut Dominus dixit discipulis*[3] : Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos; *ita dixit Petro*[4] : Quodcumque solveris super terram ; *sed Sacerdos auctoritate illorum verborum Christi fretus dicit :* Ego te baptizo ; *ergo eadem auctoritate dicere debet in hoc Sacramento :* Ego te absolvo : ergo forma, ex institutione Christi, est indicativa.

Prob. 2. Definitum est a Concil. Trident.[5] absolutionem Sacerdotis esse *ad instar actus judicialis*, quo ab ipso velut a judice sententia pronuntiatur ; atqui actus judicialis sensum deprecativum habere non potest : ergo nec absolutio : quis enim potest dicere hanc formam : *Deum supplex rogo, ut condonet peccata tua*, esse sententiam judicis?

OBJECTIONES.

Objicies 1. Natura actus judicialis ex se et necessario non exigit, præsertim in ministro Pœnitentiæ, ut modo absoluto et indicativo exprimatur : ergo modus deprecatorius est sufficiens et validus.

Prob. ant. Sacerdos non propria neque suprema, sed precaria et ministeriali auctoritate judicium exercet in tribunali Pœnitentiæ : ergo natura actus judicialis non exigit modum indicativum.

[1] Opusc. XXII, cap. 1. — [2] 3 p., quæst. 84, art. 3, *sed contra est.* — [3] Matth. cap. ult., 19. — [4] Matth. VII, 10. — [5] Sess. 14, can. 6.

Resp. *Nego conseq.* Nam judex a Principe sæculi constitutus, non propria, neque suprema, sed precaria et ministeriali auctoritate judicium exercet, et tamen ejus sententia necessario exigit modum indicativum.

Prob. conseq. In pronuntianda absolutione ab excommunicatione, actus judicii pariter exercetur; atqui consentiunt omnes posse illam aliis quam indicativis verbis pronuntiari : ergo, etc.

Resp. *Dist. min.* Constat apud omnes absolutionem ab excommunicatione aliis quam indicativis verbis pronuntiari, quando datur per modum concessionis, *conc.;* quando datur per modum actus judicialis, *nego min.* Itaque aliquando absolutio ab excommunicatione datur per modum concessionis, et ideo potest valide dari quibuslibet verbis, imo nutibus, signis et scriptura, consensum internum sufficienter exprimentibus; quod nemo dixerit de absolutione a peccatis, quæ, cum sit essentialiter actus judicialis, non potest nisi verbis et quidem indicativis dari.

Inst. Sicut Christus dedit potestatem Apostolis absolvendi a peccatis, ita etiam dedit eis potestatem ejiciendi dæmonia, infirmitates curandi, etc.[1]; atqui sanando infirmos, Apostoli non utebantur forma indicativa, sed deprecativa : *Sanet te Dominus Jesus Christus,* ait Petrus paralytico[2] : ergo nec absolvendo a peccatis.

Resp. *Nego maj.* cum Div. Thom. dicente[3] *quod Apostolis non est data potestas, ut ipsi sanarent infirmos, sed ut ad eorum orationes infirmi sanarentur : est autem eis collata potestas operandi instrumentaliter et ministerialiter in Sacramentis, et ideo magis possunt in formis sacramentalibus exprimere actum suum, quam in sanationibus infirmorum.*

Objicies 2. Christus non determinavit an forma absolutionis debeat esse absoluta vel deprecativa, sed hanc determinationem faciendam reliquit Ecclesiæ : ergo alterutram potuit eligere Ecclesia.

[1] Matth. x; Luc. x. — [2] Act. ix, 34. — [3] 3 p., quæst. 84, art. 3, ad 4.

Resp. *Nego ant.* Christus enim instituit ut Sacerdos verbis exprimeret se remittere peccata, non vero præcise peccata a Deo remitti : ita docet Div. Thom.[1] dicens : *In Sacramentis verba efficaciam habent ex institutione divina; unde tenenda sunt verba determinata, consonantia divinæ institutioni. Institutioni autem dicentis :* Quodcumque solveris, etc., *hæc verba conveniunt :* Ego absolvo te, *ac propterea tenenda sunt.*

Prob. ant. Ecclesia Latina adhibuit formam deprecativam usque ad XII^um^ sæculum, quam etiam hodie Ecclesia Græca adhibet : ergo Ecclesia intellexit neutram a Christo fuisse determinatam ; nam si intellexisset alterutram a Christo fuisse determinatam, eam haud dubie summa religione retinuisset. Resp. *Nego ant.*

Prob. prima pars antec. (secunda enim probabitur in objectione sequenti) ; *prob.*, inquam, ex antiquis Pœnitentialibus et Ritualibus manuscriptis, in quibus nulla forma indicativa reperitur, sed solum orationes quibus Deus deprecabatur, ut indulgeret pœnitentibus : ergo tunc forma erat deprecativa.

Resp. *Nego conseq.* Tum quia nullius est momenti illa probatio negativa contra expressam clavium concessionem a Christo factam Ecclesiæ, ut docet Div. Thom.[2] : *Dicendum,* inquit, *quod nec magister* (Sententiarum) *formam posuit, nec legitur alia forma, qua Sanctorum aliquis usus fuerit, sicut nec etiam legitur, quod aliquis hanc formam negaverit. Legitur autem quod ipse institutor Sacramenti dixit :* Quodcumque solveris, *quod est majus omni auctoritate.* Tum quia prioribus sæculis formæ Sacramentorum et alia mysteria non scripto, sed viva voce tradebantur, ne Ethnicis aut Judæis facile innotescerent, et ab iis contemnerentur aut irriderentur. Hanc solutionem admittere debet Tournely hic nobis contrarius, qui[3] rationem reddens cur apud veteres non reperiatur septenarius numerus Sacra-

[1] Opusc. XXII. — [2] Opusc. XXII cit. — [3] Quæst. 2 *de Sacramentis*, art. 1.

mentorum, ait : *De Sacramentis parce omnino veteres in suis scriptis tractabant ob reverentiam silentii circa mysteria servandi, ne forte a Paganis vel Judæis irriderentur.*

INST. 1. SS. Patres, qui ante sæculum XII^um^ floruerunt, affirmant pœnitentes per orationes Sacerdotum absolvi: ergo forma deprecatoria usa est Ecclesia.

RESP. *Nego conseq.* Nam sic locuti sunt Patres, non ut formam deprecativam significarent, sed

1° Quia per ly *oratio* totum Pœnitentiæ ritum comprehendunt; cui merito adscribunt remissionem peccatorum, non quod oratio eam efficiendi vim habeat, sed quia materiæ et formæ, quæ de se hanc virtutem habent, moraliter est unita, et sic ad ejus productionem aliqualiter concurrit: ita intelligendus est S. Leo[1], cum dicit : ***Indulgentia Dei, nisi supplicationibus Sacerdotum, nequit obtineri.***

2° Ut significarent Sacramentorum ministros esse tantum causam instrumentalem, Deum vero solam causam principalem gratiæ et remissionis peccatorum : ita intelligendus est Div. Ambros.[2] : *Homines in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent, non jus alicujus potestatis exercent, neque enim in suo, sed in Patris, et Filii, et Spiritus Sancti nomine peccata dimittuntur; isti rogant, divinitas donat.*

3° Quia per orationem et supplicationes intelligunt formas Sacramentorum quatenus habent vim impetrandi a Deo gratiam peccati remissivam, sïc enim sunt implicita invocatio divinæ virtutis : hoc sensu illud Div. Ambrosii intelligendum est : *isti rogant, divinitas donat;* hinc forma Baptismi et Eucharistiæ a Div. August.[3] dicitur deprecatio.

INST. 2. Guillelmus Parisiensis, qui vivebat anno 1230, ait[4] : *Non more judicum forinsecorum pronuntiat Confessor :* Absolvimus te, non condemnamus; *sed magis oratio-*

[1] Epist. XCI, cap. 2, et refertur cap. ***Multiplex,*** dist. ***de Pœnit.*** — [2] Lib. III ***de Spiritu Sancto,*** cap. 18. — [3] Lib. V ***de Bapt.,*** cap. 20. — [4] Cap. 19 ***de Sacram. Pœnit.***

nem facit super eum, ut Deus absolutionem et remissionem atque gratiam sanctificationis tribuat. Ita etiam sensit Hugo Cardinalis. Ergo, etc.

Resp. *Dist.* Sic loquitur ut rejiciat formam indicativam, *nego;* ut astruat Sacerdotem non virtute propria et auctoritate humana, sed auctoritate a Deo accepta, et virtute Dei ut causæ principalis remittere peccata, *conc.;* unde *nego conseq.* Præterea Div. Thomas, Opusc. XXII, asserit *non constare quod ita senserint.* Postea addit : *Sed etsi sic senserunt, numquid eorum opinio præjudicare poterit verbis Domini dicentis Petro :* Quodcumque solveris, etc.; *numquid etiam, si nunc viverent, præjudicare possent communi sententiæ Magistrorum Parisiis regentium, qui contrarium sentiunt, decernentes absque his verbis :* Ego te absolvo, *absolutionem non esse per solam deprecativam orationem?*

Objicies 3. Valuit et etiamnum valet apud Græcos forma absolutionis verbis deprecativis expressa : ergo, etc.

Prob. ant. Quia in Euchologiis Græcorum veteribus et recentioribus non alia reperitur quam deprecatoria absolutionis forma : ergo, etc.

Resp. *Nego conseq.* Ratio est, quia prima Græcorum Euchologia condita fuere eo tempore, quo Sacramentorum formæ sine urgenti necessitate scripto non mandabantur, sed solum viva voce solis ministris tradebantur; in recentioribus vero Euchologiis hæc forma : *Habeo te venia donatum,* reperitur, teste Arcudio peritissimo Græco[1]; hæc autem forma in praxi Græca eadem est ac ista : *Absolvo te a peccatis tuis,* etc.

Inst. Clem. VIII, in Instructione super ritibus Græcorum, ann. 1595 edita, ait : *In causa necessitatis, presbyteri Græci catholici possunt Latinos absolvere. Utantur forma absolutionis in generali Concil. Florent. præscripta; et postea, si voluerint, dicant orationem illam deprecati-*

[1] Lib. IV *de Pœnit.*, cap. 3.

vam, quam pro forma hujus absolutionis dicere tantum consueverunt. Ex quo duo sequuntur : *primum,* Græcos formam tantum deprecativam usurpare consuevisse ; *secundum,* Græcos valide absolvi a Græcis per solam formam deprecatoriam.

Resp. 1. *Dist. primam partem conseq.* Ex Clem. VIII sequitur Græcos aliquos formam tantum deprecatoriam usurpasse, *conc.;* omnes, *nego.* Itaque, teste Arcudio, major pars Græcorum ex ignorantia formam tantum deprecativam adhibebant, quos instruens Clem. VIII, ipsis prohibet, ne id in posterum faciant, relicta libertate suam orationem, *si voluerint,* addendi formæ indicativæ ; per quod Summus Pontifex mentem suam sufficienter declarat, absolutionem deprecativam esse invalidam, alias hanc libertatem non reliquisset, cum non liceat bis proferre formam supra eamdem materiam.

Resp. 2. *Nego secundam partem conseq.* Nam Summus Pontifex absolute loquitur, dicens : *Utantur forma,* etc., non vero dicit : cum absolvunt Latinos.

Objicies 4. Si forma absolutionis deberet esse indicativa, sequeretur ipsam esse falsam, dum profertur in peccata jam remissa.

Resp. *Nego sequel. maj.* Quia remissionis confirmatio vere semper est remissio, eo sano ac vero sensu quo a Theologis dicitur conservationem esse continuam creationem.

Inst. 1. Quod jam datum est, iterum dari non potest ; atqui, peccato jam remisso, venia jam data est : ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Iterum dari non potest alteri, *conc.;* eidem, *nego maj.,* et sic ad consequens ; nonne nosmetipsos quotidie Deo offerimus? quis audeat dicere illam oblationem non esse veram et Deo gratam?

Inst. 2. Vincula soluta iterum solvi nequeunt ; atqui per primam absolutionem vincula peccatorum soluta sunt : ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Vincula physica, quæ physicam actionem supponunt, *conc.;* vincula moralia, quorum solutio se haberet per modum condonationis, *nego maj.*

Inst. 3. Peccatum remissum se habet tanquam si nullatenus fuisset commissum : sed peccatum non commissum, non est remissionis objectum ; ergo, etc.

Resp. *Nego maj.* Nam peccatum remissum vere est commissum, et de propitiato peccato cum non debeamus esse sine metu, ideo semper de ipso dolere possumus et remissionem obtinere.

§ III.

Quænam verba sint necessaria necessitate Sacramenti in forma absolutionis.

CONCLUSIO.

Verba sequentia : Ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, *sunt necessaria necessitate præcepti; verum sola ista :* Absolvo te, *sunt de necessitate Sacramenti.*

Prima pars constat ex usu Ecclesiæ vim legis habente; ita ut qui contra illum usum aliqua verba detraheret, vel adderet, regulariter loquendo graviter peccaret.

Prob. secunda pars. Illa sola verba sunt de necessitate Sacramenti, quæ exprimunt ministrum, subjectum et effectum Sacramenti primarium, nempe reconciliationem ; sed hæc verba : *Absolvo te,* illa tria exprimunt ; ergo. Namque : 1° pronomen *ego* includitur in verbo *absolvo;* 2° confessio peccatorum quæ præcessit, sufficienter determinat verbum *absolvo,* ad significandam absolutionem a peccatis; 3° ista verba : *in nomine Patris,* etc., non sunt a Christo instituente hoc Sacramentum addita, sicut in Baptismo: ergo, etc.

Dices : Concil. Florent., hanc formam assignando, hæc verba : *a peccatis tuis,* profert : ergo sunt essentialia.

Resp. *Nego conseq.* Inde sequitur tantum quod sint necessaria ex præcepto Ecclesiæ, ut magis expressiva remissionis peccatorum; alias ista verba : *in nomine Patris,* etc., essent etiam essentialia, cum et illa proferat Concil. Florent.; quod est contra sententiam omnium Theologorum.

Nota. Elevatio manus ejusque impositio in caput; *item* formatio crucis, coopertio capitis est libera, licet servari debeat consuetudo.

Quæres : *An per verba :* Absolvo te a peccatis tuis, *possit sacerdos tam a te censuris quam a peccatis absolvere?*

Resp. *affirmative,* si talis sit intentio sacerdotis; nam per illa verba sacerdos potest absolvere quidquid intendit in sacro tribunali absolvendum; atqui nihil obstat quominus intendat absolvere tam a censuris quam a peccatis : ergo.

Nota 1. Sacerdos tamen sic agendo non caret culpa veniali, cum illud sit contra usum Ecclesiæ, nisi nulla sit suspicio quod pœnitens detineatur aliqua censura.

Nota 2. Mortaliter peccaret sacerdos qui vellet pœnitentem absolvere prius a peccatis quam a censuris. Hoc enim prohibitum est ab Ecclesia[1].

CAPUT III.

DE PRIMA PARTE POENITENTIÆ, SEU DE CONTRITIONE.

Nota 1. Contritionis nomen deducitur a verbo *contero,* quod significat rem duram in minutissimas partes dividere, seu in pulverem reducere : porro per peccatum cor et voluntas hominis velut induratur, et obfirmatur in malo, juxta illud Job[2] : *Cor ejus indurabitur tanquam lapis, et stringetur quasi malleatoris incus.* Sed quia res dura dicitur *atteri* quando in magnas partes dividitur, *conteri* autem quando in pulverem reducitur : sic cor durum et obedire inscium *conteri* dicitur, quando virtute divina per pœni-

[1] S. Ligor., lib. VI, num. 429. — [2] Job XLI.

tentiam perfecte Deo submittitur, *atteri* vero, dum non ita perfecte ; unde

Nota 2. Duplex, ex Concil. Trident.[1], distinguitur contritio : nempe *perfecta*, quæ justificat ante actualem Sacramenti perceptionem ; et *imperfecta*, quæ dicitur *attritio*, nec justificat sine Sacramento. Hinc, ut ordine in hac tanti momenti materia procedamus, agemus : 1° de contritione universim sumpta, prout abstrahit a perfecta vel imperfecta ; 2° de contritione perfecta ; 3° de imperfecta : tribus articulis.

ARTICULUS I.

DE CONTRITIONE UNIVERSIM SUMPTA.

Nota. Cum nullæ vel leves de contritione universim sumpta inter Theologos exurgant controversiæ, ideo quæ ad hanc materiam spectant variis quæstiunculis dirimemus : itaque

Quæres 1. *Quid sit contritio?*

Resp. Cum Concil. Trident.[2] : *Est animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Cui definitioni addi debent hæc verba : *Et voto confitendi et satisfaciendi*, ut habeatur definitio contritionis prout legis Evangelicæ est propria.

Dicitur 1° *animi dolor*, id est, tristitia voluntatis, peccatum tanquam malum præsens aversantis, et illud expellere conantis : qui cum Ezechia[3] dicere debet : *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.*

Porro, quamvis contritionis dolor sit voluntatis et non appetitus sensitivi, tamen propter sympathiam appetitus rationalis cum sensitivo, sæpe ex illo in hunc redundat, et gemitibus ac lacrymis exprimitur, estque laudabilis, non tamen necessarius, tum quia ille dolor sensitivus non est semper in potestate pœnitentis, tum quia sine eo potest

[1] Sess. 14, cap. 4. — [2] Sess. 14, cap. 1. — [3] Apud Isai. XXXVIII.

subsistere perfecta contritio in voluntate; tum denique quia potest esse sine detestatione peccati.

Dicitur 2° *ac detestatio;* id est, displicentia et odium peccati, ut interpretatur Concilium Tridentinum[1], dicens *contritionem veteris vitæ odium continere.*

Dicitur 3° *de peccato commisso;* quatenus nimirum est offensa Dei, et est motivum doloris et detestationis de peccato.

Dicitur 4° *cum proposito non peccandi de cætero;* quod propositum necessario requiritur ad contritionem, ut testatur Scriptura : *Odite malum, et diligite bonum*[2]. *Quiescite agere perverse, discite benefacere*[3]; quod propositum debet esse *firmum, universale, efficax,* et necessario requiritu ad contritionem; quia sincera contritio et pœnitentia debet excludere omnem affectum ad peccatum : sed qui non haberet tale propositum non peccandi de cætero, peccati affectum non deposuisset : ergo[4], etc.

Dicitur 5° *et voto implicito confitendi et satisfaciendi;* quia contritio non valet nisi in ordine ad Sacramentum, ut dicetur infra.

Dixi 1° *firmum,* ita ut pœnitens nullius mali timore nec boni cupidine, peccatum in posterum velit admittere; collationes tamen malorum in particulari cum peccato non sunt instituendæ, quia *sicut delectabilia,* inquit S. Thomas[5], *plus movent si in particulari considerentur, quam in communi, ita terribilia plus movent si in particulari considerentur... et ideo descendere in talibus ad singula, est inducere hominem in tentationem et præbere occasionem peccandi.*

Hinc bene potest existere firmum propositum cum suspicione vel timore relapsus. Ad serium enim propositum, necesse non est ut credatur nullus relapsus secuturus, sed satis est ut hic et nunc habeatur seria voluntas non rela-

[1] Apud Isai. XXXVIII. — [2] Amos V. — [3] Isai. I. — [4] Vide S. Ligor., lib. VI, num. 450 et seqq. — [5] *Quodlib.* I, art. 9.

bendi; quia bene consistere potest voluntas resipiscendi cum formidine relabendi ex mutatione voluntatis[1].

Dixi 2° *universale,* nempe circa peccata mortalia, nec sufficit propositum particulare, sicut evenire potest pro dolore qui concipi potest ex motivo particulari, v. gr. turpitudinis peccati. Hinc S. Thomas dicit[2]: *Pœnitentia de peccatis mortalibus requirit quod homo proponat abstinere ab omnibus et singulis.*

Dixi 3° *efficax,* id est, *aptum* efficere quod proponitur, licet non semper efficiatur quod proponitur, sicut S. Petro accidit. Hinc Div Gregorius[3]: *In quorumdam corda venit Deus, et mansionem non facit... ad perpetranda peccata redeunt, ac si hæc minime planxissent.* Unde Rituale ait: *In peccata facile recidentibus, utilissimum fuerit consulere, ut sæpe, puta semel in mense, vel certis diebus solemnibus confiteantur, et, si expediat, communicent.*

Principalis autem efficacia propositi consistit in avellendis occasionibus proximis, de quibus infra dicemus.

Quæres 2. *An propositum non peccandi de cætero requiratur formale et explicitum?*

Resp. Triplex est sententia: — *Prima* affirmat, quia, licet dolor includat necessario propositum, tamen Trident.[4] requirit propositum formale, dicens: *cum proposito non peccandi de cætero.* Sic Suarez, Bellarm., etc. — *Secunda* negat, dummodo dolor eliciatur ex motivo universali: quia Concilium subdit quod attritio, si voluntatem peccandi excludit cum spe veniæ, disponit hominem ad impetrandam gratiam in Sacramento: ergo quoties has requisitas conditiones habuerit attritio, jam sufficienter disponit ad Sacramenti valorem. Sic Lugo, Salmant., etc. — *Tertia* distinguit: vel pœnitens cogitat de vita futura, vel non. *Si prius,* affirmat; non enim videtur satis pœnitere qui, cogitans de vita futura, expresse non proponit emendari.

[1] S. Ligor., lib. VI, num. 451. — [2] S. Thom., 3 p., quæst. 87, art. 1, ad 1. — [3] Homil. XXX *in Evang.* — [4] Sess. 14. can. 4.

Si posterius, negat, quia in quocumque dolore propositum necessario continetur, patetque quod taciti et expressi eadem est efficacia.

Attamen in praxi tenenda est sententia affirmans : 1° si agatur de confessione facienda, quia in Sacramentis tutior pars est eligenda ; 2° etiam si agatur de confessione jam facta, quam tunc repetere teneris : quia, cum agatur de quadam proprietate probabiliter ex jure divino ad valorem Sacramenti requisita, pœnitens, qui gravem culpam et certam perpetravit, tenetur de ea confessionem explere, non tantum probabiliter, sed etiam certe validam. Sic S. Ligorius.

Quæres 3. *Qualis debeat esse contritio universim sumpta, ut sit materia sacramenti Pœnitentiæ*[1] ?

Resp. Debet esse vera et realis, formalis et expressa, supernaturalis, universalis ac summa.

I. Debet esse *vera et realis,* quia est pars sacramenti Pœnitentiæ, et pars Sacramenti veri et realis debet esse vera et realis : ergo. Ideo Concil. Trident.[2] de vera et reali contritione disserens, definit eam quovis tempore necessariam fuisse ad impetrandam remissionem peccatorum : *Fuit autem,* inquit, *quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum, hic contritionis motus necessarius.*

Hinc qui accederet ad sacramentum Pœnitentiæ cum ficta contritione (quanquam eam veram existimaret), non perciperet Sacramentum, sicut nullum foret Baptisma in vino collatum, et vinum existimaretur aqua ; nam vinum existimatum aqua, non est aqua, sic nec contritio existimata, est contritio.

II. Contritio debet esse *formalis et expressa :* ratio est, quia est pars Sacramenti ; pars autem Sacramenti debet formaliter, et in se adesse : ergo, etc.

Hinc, quamvis contritio virtualis in actu charitatis perfecta consistens, per accidens ad justificationem sufficiat

[1] Vide S. Ligor., lib. VI, num. 434 et seqq. — [2] Sess. 14, cap. 4.

extra Sacramentum, tamen ad valorem sacramenti Pœnitentiæ semper necessario requiritur contritio formalis, cum sit pars essentialis illius materiæ.

III. Debet esse *supernaturalis*, tum ex parte auxilii, tum ex parte motivi, id est, debet elici per auxilium gratiæ, ex motivo per fidem proposito.

Ratio primi est, quia nemo potest solis naturæ viribus ad gratiam justificationis se disponere. Concil. Trident.[1] definit : *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem... pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.*

Ratio secundi est, quia actio moralis speciem suam præsertim ex motivo sumit : ergo, ut contritio sit supernaturalis, motivum ejus esse supernaturale necesse est : hinc merito Clerus Gallican., ann. 1700, hanc propositionem damnavit at hæreticam : *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam.* Eamdem jam damnaverat Innocent. XI.

Resolves : Nullum fore Sacramentum, si contritio non sit supernaturalis, etiamsi pœnitens probabiliter judicet eam esse supernaturalem; nam, cum partes Sacramenti sint necessariæ ex institutione divina, si non sint tales, quales Christus eas esse voluit, nihil omnino a ministro conficitur : nam se habet Deus respectu peccatoris, sicut se habet creditor respectu debitoris : ergo quemadmodum creditor non remittit debitum homini, qui pro vero auro, quod debebat, præberet aurichalcum, quantumvis crederet esse verum aurum : ergo nec Deus remittit peccatum reo, qui pro actu supernaturali, qui exigitur, naturalem tantum elicit, licet eum esse supernaturalem existimet.

IV. Debet esse *universalis,* ita ut ad omnia peccata mortalia generatim sese extendat, et nullum prorsus excludat, juxta illud[2] : *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus*

[1] Sess. 6, can. 3. — [2] Ezechiel. XVIII.

peccatis suis... vita vivet: ratio est, quia unum mortale non potest remitti sine aliis omnibus; atqui, ut contritio valeat ad remissionem omnium mortalium, debet saltem generatim ad omnia se extindere : ergo, etc.

Dixi 1° *generatim;* quia non est necesse ut se extendat ad omnia peccata mortalia speciatim, id est ut tot sint numero contritionis actus, quot sunt numero peccata; unica enim sufficit contritio, quæ ad omnia peccata commissa se extendat.

Dixi 2° *peccata mortalia;* quia cum peccata mortalia possint remitti sine venialibus, valet absolutio a mortalibus, licet dolor non sit de venialibus; imo, si sola venialia confiteantur, non requiritur dolor universalis de illis[1].

V. Debet esse *summa,* non quidem intensive, sed appretiative.

Contritio *intensive summa,* est ea qua quis summo voluntatis ardore detestatur peccatum, quatenus est offensa Dei; hinc *intensio* spectat gradum actus subjecti elicientis contritionem.

Contritio *appretiative summa,* est ea qua quis de peccato commisso longe magis æstimative dolet, quam de quovis alio malo et damno, ita ut mallet potius rerum omnium pati dispendium, quam Deum offendere; hinc ly *appretiative* spectat objectum quod pluris fit omnibus rebus, et motivum propter quod pluris æstimatur. His positis,

Prob. prima pars responsionis. Tum quia intensio gradus non est in potestate hominis, et Scripturæ testimonia exponi recte possunt *de totalite integritatis et perfectionis, non vero de totalitate gradualis intensionis,* ut ait Melchior Canus[2]; tum quia intensio actus voluntatis sequitur vehementiam objecti moventis : atqui objectum sensibile naturaliter vehementius movet et afficit voluntatem, quam objectum intelligibile aut spirituale : ergo dolor, qui ex malis sensibilibus percipitur, intensior esse potest eo qui conci-

[1] Vid. infra, quæst. 6. — [2] *De Pœnit.,* part. 3.

pitur propter offensam Dei, etiamsi peccatum magis detestetur homo, modo appretiativo; sic pater potest intensive magis dolere de mortuo filio, et tamen simul magis appretiative dolere de Deo offenso.

Dices : Perfectius est intensive dolere de peccato, quam appretiative : ergo contritio debet esse intensive summa.

Resp. *Nego ant.* Nam intentio actus oritur a sensibus et imaginatione; appretiatio autem ex judicio rationis, quo unum judicatur esse majus malum quam aliud, ex detestatione voluntatis procedit, quod est perfectius.

Prob. secunda pars responsionis. Contritionem esse appretiative summam, est peccatorem detestari peccatum super omnia alia mala : atqui pœnitens debet peccatum; cum sit summum malum, detestari super omnia alia mala : ergo contritio debet esse appretiative summa : hinc dicitur[1] : *Convertimini ad me in toto corde vestro,* scilicet totalitate appretiationis.

Prob. min. Ex Scriptura[2] : *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus;* sed qui non haberet contritionem *appretiative* summam, plus amaret patrem aut matrem quam Deum : ergo, etc.

Confirmatur. Contritio, juxta Tridentinum[3], debet excludere omnem voluntatem, seu affectum ad peccatum; atqui nisi Deus in comparatione cum creaturis, omnibus creatis anteponatur, et pœnitens per displicentiam rationis peccatum odio prosequatur super aliud quodcumque malum, non excludit voluntatem peccandi, nec ad peccatum affectus : ergo, etc.

Nota. Ad præcavendos scrupulos quibus sæpe sæpius angustiantur animæ circa suum dolorem, observandum est quod verus dolor de peccatis commissis sistat maxime et radicaliter in *odio* et detestatione, quibus pœnitens movetur in peccata, juxta Trident. dicens : *Moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem :* quæ verba

[1] Joel II. — [2] Matth. X, 3. — [3] Sess. 14, cap. 4.

nullam animalem præ se ferunt sensibilitatem hominis inferioris, sed actum connotant mere spiritualem, in parte superiori hominis.

QUÆRES 4. *An ad contritionem requiratur certa temporis mensura?*

RESP. *negative.* Quia potest Deus in instanti hominem quantumvis induratum ad se convertere, juxta illud[1] : *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit;* unde Div. August.[2] ait : *In actione pœnitentiæ non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris.*

Patet etiam : 1° ex Davidis et latronis exemplis : prior enim ad hanc vocem : *peccavi,* statim audivit : *Dominus quoque transtulit peccatum tuum;* alter vero ad hæc paucula : *Memento mei, Domine,* confestim audire meruit : *Hodie mecum eris in paradiso.* 2° Ex praxi Ecclesiæ, quæ peccatores pœnitentes in extremis positos statim ad veniam admittit. 3° *Ratione.* Nam unico instanti homo a Deo per peccatum aversatur; ergo per pœnitentiam unico instanti ad eum convertitur.

Fatendum tamen est, ordinarie loquendo, longiore temporis mora opus esse, ut quis e cœno graviorum peccatorum ex malitia et consuetudine commissorum, ita statim emergat, ut ad sufficientem cordis conversionem et proinde ad veram contritionem perveniat. Unde

Sequitur 1° Pœnitentiam non esse ad extremam usque vitam protrahendam, juxta seriam SS. Patrum monitionem.

Sequitur 2° Cum peccatoribus inveteratis cum diligentiori examine, diuturnique probatione esse agendum; scriptum est enim[3] : *Perversi difficile corriguntur.*

QUÆRES 5. *An contritio de pecatis sit necessaria necessitate medii ad remissionem peccatorum mortalium?*

RESP. *affirmative.* Ita enim definit Concil. Trident.[4] ·

[1] Ezechiel. XXXIII, 12. — [2] *Enchir.*, cap. 65. — [3] Eccli. I. — [4] Sess. 14, cap. 4.

Fuit autem, inquit, *quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.*

Prob. Contritio tria complectitur : 1° cessationem a peccatis ; 2° eorumdem odium et detestationem ; 3° vitæ novæ propositum atque inchoationem; atqui illa tria impio semper necessaria fuere necessitate medii ad justificationem : ergo, etc.

Prob. prima pars min. Ex illo Isai. LV : *Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus.* Quare Apostolus prius hortatur Romanos, ut abjiciant opera tenebrarum, deinde ut induantur arma lucis : *Abjiciamus ergo,* inquit, *opera tenebrarum, et induamur arma lucis.* Ergo impius, qui Deo vult reconciliari, debet primum cessare a peccatis.

Prob. secunda pars min. Ezech. XVIII : *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, vita vivet et non morietur :* ergo, si eam non egerit, morietur; id aperte declarat Christus[1] : *Nisi pœnitentiam egeritis,* inquit, *omnes similiter peribitis.*

Quare Div. August.[2] ait : *Nemo eligit vitam novam, nisi quem veteris pœnitet :* ergo, etc.

Prob. tertia pars min. Quia justificatio non tantum dicit aversionem a bono commutabili, sed etiam conversionem ad bonum incommutabile, juxta illud Zachar. I : *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos;* atqui non potest esse conversio ad bonum incommutabile, absque novæ vitæ proposito et inchoatione : ergo, etc. Hoc disertis verbis docet Deus[3] : *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit præcepta mea, et fecerit judicium et justitiam... omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.* Ergo, etc.

Objicies : Actus charitatis Dei super omnia sufficit ad justificationem impii : ergo vitæ veteris odium non requiritur. Resp. *Nego ant.*

[1] Luc. XIII. — [2] Serm. CCCLII. — [3] Ezech. XVIII.

Prob. ant. I Petri IV : *Charitas operit multitudinem peccatorum;* reddit nos filios Dei. *Omnis qui diligit*[1], *ex Deo natus est :* ergo sufficit ad justificationem.

Resp. *Dist. conseq.* Sufficit conjuncta cum vitæ prioris odio, ad quod movet, *conc.;* sufficit sola ac in se tantum considerata, *nego.* Nam Leo X et Concil. Trident. Lutherum damnarunt, quod doceret explicitum vitæ veteris odium et detestationem ad justificationem impii non requiri, contenderetque sufficere vitæ novæ propositum : ergo, cum actus charitatis, quantumcumque sit perfectus, explicitam illam detestationem non includat, non potest per se solum esse sufficiens ad justificationem impii dispositio.

Inst. Actus charitatis includit virtualiter præteritorum peccatorum detestationem : ergo per se solum est dispositio sufficiens ad justificationem impii.

Resp. *Nego conseq.* Nam ad justificationem impii essentialiter requiritur explicitum vitæ veteris odium, ut docet Concil. Trident.[2] : *Et certe,* inquit, *qui illos Sanctorum clamores consideraverit :* Tibi soli peccavi, et malum coram te feci; Laboravi in gemitu meo; Lavabo per singulas noctes lectum meum; Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, *et alios hujus generis, facile intelliget eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, et ingenti peccatorum detestatione manasse.*

Quæres 6. *Utrum contritio sit homini justo necessaria necessitate medii ad remissionem peccatorum venialium?*

Resp. Requiritur saltem virtualis, ut docet Div. August.[3]: *Ne quemquam putes ab errore ad veritatem, vel a quocumque, sive magno, sive parvo peccato, ad correctionem sine pœnitentia posse transire.* Ratio Div. Thom.[4] est, quia *sicut peccatum mortale remitti non potest quamdiu voluntas peccato adhæret, ita etiam nec peccatum veniale, quia, manente causa, manet effectus.*

[1] I Joan. IV. — [2] Sess. 14, cap. 4. — [3] Epist. XLVIII. — [4] 3 p., quæst. 87, art. 1.

Dixi *saltem virtualis contritio;* quia, ut docet ibidem Div. Thom., perfectiori pœnitentia opus est ad mortalium remissionem, scilicet actuali detestatione omnium et singulorum : ad venialium vero remissionem sufficit et requiritur virtualis tantum displicentia, qua vir justus affectu tam fervido fertur in Deum et res divinas, ut quidquid ipsi occurreret, quod eum ab hoc motu retraheret, doleat commisisse, etiamsi actu de hoc non cogitaret; quod tamen non sufficit ad remissionem peccati mortalis, nisi quantum ad peccata oblita, post diligentem inquisitionem. Tota illa resolutio est Div. Thomæ.

Objicies 1. Ad remissionem venialium sufficit habitualis disciplicentia, quæ habetur per habitum charitatis : ergo non requiritur disciplicentia virtualis.

Resp. *Nego ant.* cum Div. Thom. Ratio est, *quia,* inquit, *sic charitas non compateretur peccatum veniale, quod patet esse falsum.*

Objicies 2. Div. August.[1] asserit peccata venialia dimitti per prolationem horum Orationis Dominicæ verborum : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris :* ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Per prolationem horum verborum cum aliqua peccatorum præteritorum displicentia, ut supponit August., *conc.;* absque tali displicentia, *nego.* Neque enim debito modo hæc petitio : *Dimitte nobis,* etc., recitari potest, nisi ab eo qui peccatum suum, quantumcumque leve sit, interius detestetur.

Objicies 3. Peccata venialia remitti possunt per unum Sacramentalium : ergo contritio, etiam virtualis, non est ad eorum remissionem absolute necessaria.

Resp. *Nego ant.* Remittuntur mediate, *conc.;* immediate, *nego.* Itaque sacramentalia ad remissionem venialium concurrunt per modum impetrationis, quatenus Ecclesia per

[1] Lib. I, homil. 28.

orationes, quibus ad sacramentalium consecrationem utitur, a Deo exposcit, ut iis, qui sacramentalia adhibituri sunt, conferatur gratia actualis, quæ justos moveat ad venialium detestationem; sed sacramentalia non delent peccata venialia per se, quia, cum non a Deo, sed ab Ecclesia fuerint instituta, non habent annexam promissionem gratiæ.

Quæres 7. *Utrum contritio de peccatis sit præcepta, et quo jure?*

Resp. Est necessaria jure et præcepto divino, illudque præceptum traditur Ezech. xviii: *Convertimini et agite pœnitentiam ab omnibus inquinamentis vestris.* Et Luc. xiii: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.....* Ratio est, quia quidquid est necessarium necessitate medii ad salutem, est quoque necessarium necessitate præcepti divini; Deus enim vult, ut omnibus mediis, sine quibus salus obtineri non potest, utamur : atqui, etc.

Nota : Quæ dicimus de necessitate et præcepto divino contritionis, eadem de necessitate et præcepto divino confessionis, dicta esse intelligas, ne ipsa cum fastidio refricare cogamur, dum agemus de confessione; itaque

Quæres 8. *Utrum dari possit Sacramentum informe et validum, ratione defectus universalitatis contritionis, in quo tamen non infundatur gratia?*

Proponitur casus : Si quis v. gr. duplex commisisset peccatum, unum furti et alterum adulterii : accedens autem ad Sacramentum, memor tantum furti, de eo duntaxat confitetur, dolens non ex motivo universali, sed tantum ex motivo particulari de furto ex intuitu turpitudinis furti; quæritur utrum hic, licet gratiam non recipiat, valide tamen confiteatur, ita ut Sacramentum, sublato obice per detestationem peccati adulterii obliti, reviviscat ad causandam gratiam, nec postea sit obligatio confitendi nisi peccatum omissum? Plures negant posse dari Sacramentum informe, et dicunt sacramentum Pœnitentiæ necessario aut validum esse, et consequenter conferre gratiam; aut invalidum, et conse-

quenter non operari remissionem peccatorum neque directo neque indirecte, neque gratiam conferre. Contra quos

Resp. *affirm.* Cum communiori et probabiliori sententia post S. Thom.[1] et S. Alphons. de Ligorio, Sanch., Salmant., etc.

Prob. prima pars. Illud Sacramentum est informe, quod licet validum, non tamen confert per accidens gratiam sanctificantem; atqui in casu Sacramentum non confert gratiam sanctificantem, propter obicem : ergo. *Prob. min.* Unum peccatum non potest remitti sine alio, sed in casu, cum peccator doleat tantum ex motivo particulari de furto, non potest obtinere remissionem peccati adulterii cujus nec memoriam, nec dolorem habet : ergo, etc.

Prob. secunda pars. Illud Sacramentum est validum, in quo nihil essentiale ad valorem desideratur : atqui, etc. *Prob. min.* 1° Quidem adest integra confessio eorum peccatorum quæ sunt in memoria pœnitentis; 2° adest dolor et propositum de peccato confesso; 3° intervenit absolutio et votum satisfaciendi, ex hypothesi : ergo nihil essentiale desideratur.

Dices cum Vasquez contra primam partem : illud Sacramentum non esse informe in quod datur contritio universalis et consequenter gratia sanctificans; atqui, etc.

Prob. min. Pœnitens dolet de sua aversione a Deo, et verum habet desiderium in amicitiam Dei redeundi : ergo dolet de omni peccato quod potest illam aversionem causare, et amicitiam Dei impedire : ergo dolor ejus est universalis et Sacramentum non est informe.

Resp. *Nego min.*, ad prob. *dist.* Dolor est universalis implicite, *conc.;* explicite, ita ut sit materia sufficiens ad Sacramenti perfectionem, *nego.* Nam in casu dolor de adulterio, esto virtualiter, continetur in particulari dolore furti, non est tamen materia sufficiens Sacramenti, quia ille solus dolor est materia Sacramenti, qui fit sensibilis per confes-

[1] 3 p., quæst. 99, art. 1, et in dist. 17, quæst. 3, art. 4.

sionem; atqui dolor furti non fit sensibilis, cum pœnitens confiteatur bona fide se nullum aliud habere peccatum, præter adulterium, de quo dolere possit : ergo, etc.

Dices cum Scotistis contra secundam partem : Illud Sacramentum est nullum, cujus materia non est sufficiens, neque gratia justificans obtinetur : atqui, etc.

Prob. min. Attritio particularis non causat gratiam justificantem, ex dictis; sed attritio quæ non causat remissionem peccatorum, est materia insufficiens Sacramenti : ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* objectionis : Cujus materia non est sufficiens, ut gratiæ causativa, *conc.;* ut pars Sacramenti, *nego;* et in eodem sensu, *dist. min.* Aliud enim est requiri ad effectum, aliud esse partem Sacramenti. Licet enim dolor materia Sacramenti debeat esse universalis ad remissionem peccatorum, non sequitur Sacramentum esse invalidum, ex eo quod peccata non remittuntur ex defectu universalitatis doloris : ad hoc enim ut sit Sacramentum, requiritur et sufficit ut nihil essentiale desit tum ex parte pœnitentis, tum ex parte sacerdotis.

Quæres 9. *An actus doloris debeat præcedere non solum absolutionem, sed etiam confessionem?*

Resp. Licet aliqualis dolor debeat præcedere aut saltem comitari confessionem, cum ipsa debeat esse humilis, ut dicemus infra, quod pœnitens se humiliando coram sacerdote, et absolutionem expectando sufficienter exprimit; tamen sufficit actum doloris elicere post confessionem, sed ante absolutionem, quia dolor est materia Sacramenti : ergo requiritur quod ministretur ante Sacramentum.

Non est tamen necesse, licet exoptandum, ut actus doloris eliciatur immediate ante absolutionem; datur enim perduratio moralis, quia aliqua intercedit analogia forum inter civile et Sacramentum. Discussio enim causæ sententiam præcedat oportet, et inter discussionem causæ et sententiam intercedere aliquod spatium necesse est, sed non tantum

quantum in foro civili. S. Alphons. de Ligorio illud reducit ad unum aut alterum diem[1].

Quæres 10. *An dolor, ut sit materia apta, debeat esse elicitus cum relatione ad confessionem?*

Resp. *Probabilius negat.* Ratio, quia Tridentinum requirit simpliciter pro parte Sacramenti illam attritionem quæ voluntatem peccandi excludit cum spe veniæ; atqui talis est omnis vera attritio. *Præterea,* quamvis hæc attritio non habeat relationem antecedentem, habet tamen relationem consequentem in omni fideli pœnitente.

In praxi tamen, attenta contrariæ sententiæ probabilitate, tutius est ante susceptionem Sacramenti dolorem referre ad confessionem.

Quæres 11. *An pro nova absolutione, novus dolor requiratur?*

Casus est, v. gr. si quis post absolutionem statim confiteretur aliquod peccatum oblitum.

Resp. *Prima sententia communior negat.* Ratio *prima* est, quia contritio se extendit ad omnia peccata etiam oblita, et cum hæc statim confiteantur, unum efficiunt morale cum præcedente confessione; *secunda,* quia plures formæ unicæ materiæ applicari possunt, ut fit cum plures simul concelebrant. Ita Lugo, Sporer, etc.

Secunda sententia, forte *probabilior negat,* et hæc, ex S. Ligor., in praxi ut tutior est tenenda. Ratio *prima* est, quia per primam absolutionem jam completum est judicium : ergo si impertienda est nova absolutio, nova requiritur materia ; *secunda,* quia Sacramenta operantur secundum leges naturales, licet operentur etiam in ordine supernaturali; atqui in ordine naturali : 1° unaquæque materia informatur per unicam formam ; 2° forma applicata uni materiæ inepta est ad informandum aliam materiam: ergo, etc.

Ad exemplum allatum, negatur paritas; nam ita conce-

[1] Homo apost., tract. XVI, num. 20.

lebrantes applicant formam per modum unius, ut si unus prius applicat, ipse solus consecrat, ut dictum est in tract. *de Eucharistia*.

Quæres 12. *Quo tempore obliget divinum contritionis* (idem quæritur de confessione) *præceptum?*

Certum est 1. Præceptum divinum contritionis obligare *per se :* 1° in probabili periculo mortis, quia vel nunquam obligat, quod asserere erroneum est, vel saltem obligat in articulo mortis, quia tunc præsertim tenetur quilibet saluti animæ suæ consulere : sine contritione vero et pœnitentia nemo lapsus potest salvari : ergo, etc. ; 2° aliquoties in vita, quia præcepta positiva et affirmativa non tantum obligant in extrema necessitate, sed etiam cum probabiliter judicatur eorum observatio necessaria ; hinc præcepto Ecclesiæ quotannis semel facienda est confessio sacramentalis ; an vero sæpius etiam in anno, et quoties? judicabit vir prudens et pius[1].

Certum est 2. Præceptum divinum contritionis obligare *per accidens :* 1° quando urget præceptum alicujus Sacramenti vivorum percipiendi, vel aliquod Sacramentum ministrandi; 2° quando quis putaret se non posse aliter graves superare tentationes ; 3° quando quis tenetur elicere actum charitatis erga Deum, si tunc peccatum occurrit memoriæ, ut per se patet.

Certum est 3. Optimam et ab omnibus Confessariis suadendam praxim eorum qui peccatum detestantur, statim ac commissum fuit, juxta illud Eccles.[2] : *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem,* etc. Ratio est, quia peccator tenetur vitare periculum incidendi in novum peccatum : atqui, ex Div. Gregor.[3], *Peccatum quod pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit.*

Status ergo quæstionis disputatæ inter Theologos hic est : an præceptum contritionis per se obliget sub peccato statim ac peccatum commissum est? quæ ut solvatur, sit

[1] Vide S. Ligor., lib. VI, num. 437. — [2] Cap. V. — [3] Lib. XV *Mor.*, cap. 9

CONCLUSIO.

Peccator statim a peccato commisso non tenetur sub peccato contritionis præcepto, sicut nec præcepto confessionis[1].

Prob. 1. Quia præceptum resurgendi a peccato est affirmativum, cum aliquid præcipiat; atqui præcepta affirmativa non obligant pro omni omnino tempore : ergo, etc. Hinc est quod ecclesiasticum confessionis præceptum, quod est determinatio præcepti divini quoad tempus, non obstringit nisi semel in anno.

2. Quia si novum committitur peccatum non conterendo statim a peccato commisso, homo toties peccaret, et quidem specialiter, quoties adverteret ad hanc obligationem, et eam non impleret; atqui hoc est contra communem sensum tum confitentium, qui circumstantiam hanc in confessione declarare non assueverunt; tum Confessariorum, qui de hac circumstantia pœnitentes suos non interrogant: ergo, etc.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Dicit Scriptura[2] : *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem :* ergo, etc.

Resp. *Nego conseq.* Ibi enim Spiritus Sanctus dat consilium, non præceptum.

Inst. 1. S. Thom.[3] ait : *Manifestum est, quod nec per modicum tempus licet in peccato morari, sed quilibet tenetur peccatum statim deserere :* ergo, ex Div. Thom., est præceptum statim a peccato commisso conterendi.

Resp. *Dist.* Quilibet tenetur peccatum perseverans statim deserere, *conc.;* peccatum non perseverans, *nego ant.* et *conseq.* Itaque Div. Thom. loquitur de eo qui non resti-

[1] Vide S. Ligor., lib. VI, num. 437. — [2] Eccli. V, 8. — [3] 2 2, quæst. 62, art. 8 *in corp.*

tuit rem alienam, quique, quamdiu non restituit domino, *impedit eum ab usu rei suæ, et sic ei facit injuriam* : addit ibi rationem, quia, *sicut accipere rem alienam, est peccatum contra justitiam, ita etiam detinere eam ;* unde sic concludit : *et ideo quilibet tenetur statim restituere, si potest.*

Inst. 2. Atqui peccatum illius qui non statim conteritur, est perseverans : ergo nulla solutio.

Prob. subsumpt. Peccatum illius qui non statim restituit, est perseverans : ergo pariter, etc.

Resp. *Nego conseq. et paritatem.* Disparitas est, quod qui statim non restituit, transgreditur de novo præceptum non furandi, quo prohibetur subreptio et simul detentio rei alienæ; unde qui detinet rem alienam et non restituit, quando potest, peccat; qui vero non conteritur statim, non facit contra præceptum, quia non præcipitur contritio pro omni tempore.

Inst. 3. Qui approbat peccatum peccat; sed qui non vult detestari peccatum, cum ut detestabile occurrit, illud saltem virtualiter approbat : ergo peccat.

Resp. *Dist. min.* Qui non vult detestari peccatum positive quando ut detestabile occurrit, peccat, *conc. ;* qui non vult detestari peccatum negative, peccat, *nego min. ;* et sic *distincto consequente, nego consequentiam.*

Itaque nolle detestari peccatum positive, est velle peccatum perpetrare; nolle detestari negative, est se habere mere negative circa peccatum nec approbando, nec dolorem excitando; potest autem quis sic se habere erga peccatum cogitando, quod suo tempore velit pœnitere.

Inst. 4. Si filius mere negative se habeat circa veniam quam tenetur petere a parentibus injuriatis, censetur eos nova contumelia afficere : ergo si peccator, etc.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quia pater non videt quod filius odium deposuerit, et quod suo tempore petiturus sit veniam; quod si videret, non censeret sibi novam contumeliam fieri, tantum ex dilatione veniæ petitionis.

Objicies 2. Tenemur sub gravi peccato proximum corripere, quamprimum commode possumus : ergo a fortiori nosmetipsos.

Resp. *Dist. ant.* Tenemur corripere proximum quamprimum, quando in peccato suo perseverat, *conc.;* quando in peccato suo non amplius perseverat, *nego ant.* Similiter tenemur statim conteri, quando contritio necessaria est ut deponamus voluntatem peccandi.

Objicies 3. Graviter peccat qui alienum, cum potest, non restituit : ergo graviter peccat qui non compensat injuriam Deo illatam, cum primum fieri commode potest.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod præceptum restitutionis est affirmativum simul et negativum, *quo prohibemur rem alterius detinere*, ut ait Div. Thom.[1] : præceptum vero resurgendi a peccato est affirmativum, quod proinde non obligat pro semper.

Objicies 4. Quando lapsi sumus in morbum, tenemur statim recurrere ad medicum : ergo a fortiori quando lapsi sumus in peccatum.

Resp. *Dist. ant.* Tenemur statim recurrere ad medicum, quando medicina differri non potest sine probabili periculo, *conc.;* quando differri potest, *nego ant.;* et sic dicendum de peccato : unde, si immineret periculum mortis, vel amentiæ, vel impœnitentiæ finalis, vel oblivionis gravis peccati, etc., non deberent differri contritio et confessio.

ARTICULUS II.

DE CONTRITIONE PERFECTA.

Nota 1. Cum amor sit ratio, motivum et forma doloris seu pœnitentiæ de peccato commisso, ex eo quod peccatum offendit amatum, et ab illo nos separat, necesse est ad probe varias doloris species dignoscendas, ut discrete quotuplex sit amor intelligamus. Porro duplex attendi potest in nobis

[1] 2 2, quæst. 62, art. 8, ad 5.

erga Deum amor, concupiscentiæ scilicet seu spei, et charitatis seu amicitiæ.

1° Amor *concupiscentiæ*, quo volumus Deum nobis bonum, ejusque beatitudinem nobis appetimus.

2° Amor *charitatis* seu *amicitiæ*, quo Deum propter seipsum amamus, illique ejus bonum et beatitudinem et perfectionem volumus. Sed

Nota 2. In amore *amicitiæ* seu *charitatis*, non sic amamus Deum propter seipsum, neque illi ejus bonum et beatitudinem volumus, ut bonum nostrum non aliquo modo quæramus; hoc enim est nobis impossibile : 1° quia amor charitatis seu amicitiæ importat redamationem : *Dilectio enim in alterutrum dicitur, ut charitas esse possit*[1]. Unde dixit Scriptura : *Diligentes me diligo;* sed dilectio Dei est nobis supremum bonum : ergo. 2° Quia omne agens agit secundum suam naturam; atqui naturæ hominis est agere propter suam beatitudinem; *subsumo :* porro Deus est ultima et summa hominis beatitudo : ergo non potest homo Deum amare, quin seipsum quoque amet.

Præterea, si Deus supponatur omnino a nobis alienus, illum propter ejus perfectiones æstimare poterimus; verum non erit dilectionis nostræ objectum; amor enim est essentialiter unitivus, et ideo ubi impossibilis est unio, ibi non amor.

Pariter, in amore *concupiscentiæ*, non sic nobis Deum bonum volumus, ejusque beatitudinem appetimus, ut Deum ad nosmetipsos ordinemus, quod esset ordinis subversio : non enim ipse propter nos, sed nos propter ipsum facti sumus; at illum amamus intuitu nostri, in quantum scilicet amantes æstimamus amatum quodammodo ut unum nobis et ad nos pertinens, et nos ad illum pertinentes, quia in ipso est tota nostra felicitas.

Hinc patet actus amoris *charitatis* Deum habere objectum *primarium* et *explicite* quatenus est bonus in se; *secundario*

[1] S. Greg. Mag., homil. XVII *in Evang.*

autem et *implicite* quatenus bonus est nobis. E contra, actus amoris *concupiscentiæ* Deum haberi objectum *primario* et *explicite* in quantum est nobis bonum, *secundario* autem et *implicite* in quantum est bonus *in se* et *propter se*.

Nota 3. Sequitur quod, cum amor *charitatis* sit amor perfectus, contritio, quam ille informat, sit etiam contritio perfecta; et cum amor *concupiscentiæ* sit amor imperfectus, contritio quam informat, sit imperfecta vel attritio tantum, includens tamen amorem Dei implicite seu initialem et non connotatum.

Nota 4. Concil. Trident.[1] circa contritionem perfectam duo docet: primum, *contingere aliquando contritionem charitate perfectam esse, hominemque Deo reconciliare priusquam sacramentum Pœnitentiæ actu suscipiatur;* secundum, *reconciliationem hanc ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.*

Hic hæret Concilium, sed duo relinquit Theologis discutienda, circa quæ nihil expresse determinavit. *Primum,* unde repetenda sit ratio essentialis et specifica contritionis perfectæ; ut sit par homini reconciliando. *Secundum,* an contritio perfecta non tantum in casu necessitatis, sed ordinarie et semper hominem Deo reconciliet.

Circa primum, duæ sunt Theologorum opiniones.

Prima, distinctionem specificam contritionis perfectæ ab imperfecta repetit ex graduum intensione vel remissione; unde contritionem perfectam docet eam esse, quæ concipitur ex amore Dei super omnia propter se intensive dilecti; eam vero esse imperfectam, quæ concipitur ex amore Dei super omnia propter se remisse dilecti.

Secunda, hanc distinctionem repetit ex motivis specie diversis; unde hujus sententiæ patroni contritionem perfectam, et homini justificando parem, dicunt eam esse quæ concipitur ex motivo charitatis proprie dictæ, seu ex amore Dei propter se dilecti, sine ullo explicito ad proprium

[1] Sess. 14, cap. 4.

amantis bonum respectu ; imperfectam vero, quæ concipitur ex motivo honesto supernaturali alio quam charitatis, puta ex metu gehennæ et pœnarum, vel ex turpitudine peccati, quatenus est offensa Dei, etc..... Juxta hanc opinionem contritio perfecta et attritio specie differunt, cum actus speciem suam ab objecto formali, seu motivo desumat ; ideo attritio nunquam fieri potest contritio : quæ enim natura specie differunt, in se invicem transmutari non possunt, hinc istud axioma : *Pœnitens in sacramento Pœnitentiæ de attrito fit contritus,* intelligendum dicunt, vel cum amori concupiscentiæ, seu spei accedit amor charitatis, vel cum per virtutem Sacramenti infunditur gratia sanctificans, quæ vera est charitas in cordibus per Spiritum Sanctum diffusa.

Circa secundum, Baius, Jansenius Iprensis, et Estius negant contritionem perfectam justificare extra usum Sacramenti, nisi in casu necessitatis, puta mortis, dum deest copia Confessarii. Ut utramque quæstionem unica propositione resolvam, sit

CONCLUSIO[1].

Ratio essentialis et distinctiva contritionis perfectæ ab imperfecta non repetitur ex intensione graduum, sed ex proprio motivo, ita ut omnis contritio concepta ex amore Dei super omnia propter se dilecti, cum voto Sacramenti, sit perfecta in quocumque gradu intensionis sit, et justificet extra Sacramentum, et non tantum in casu necessitatis, sed ordinarie et semper.

Prob. prima pars. 1. Ex Scriptura : *Ego diligentes me, diligo*[2]. *Charitas operit multitudinem peccatorum*[3]. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo*[4]. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est*[5] ; ex quibus textibus sic argumentor :

[1] Vide S. Ligor., lib. VI, num 440 et seqq., ubi strenue sententiam auctoris propugnat. — [2] Prov. VIII. — [3] I Petri IV. — [4] Joan. XIV. — [5] I Joan. IV.

Amicitia divina, nativitas ex Deo et justificatio promittitur actui charitatis absolute et simpliciter sumpto, sine ulla mentione gradus et intensionis ; atqui qui habet charitatem in infimo gradu, diligit absolute et simpliciter : ergo qui habet charitatem in infimo gradu, natus est ex Deo, diligitur a Deo et est justificatus.

PROB. 2. *Ex Patribus* unanimiter, sine distinctione graduum, dicentibus cum Div. Chrysost.[1] : *Ubi charitas est, omnia sublata sunt mala;* et cum Div. August.[2] : *Deus clamat nobis : Amate me et habebitis me, quia nec potestis amare me, nisi habueritis me.* Ubi aperte loquitur de charitate actuali.

PROB. 3. *Ex Concil. Trident.*[3] quod, licet determinaverit supra hanc quæstionem, testibus Palavicino[4] et Andrea Vega, qui Concilio interfuit[5], tamen in nostram opinionem maxime inclinavit his verbis : *Etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur,* etc. ; ex quo sic argumentor :

Contritio charitate perfecta hominem Deo reconciliat priusquam Sacramentum actu suscipiatur ; atqui contritio etiam infimo gradu concepta ex amore Dei super omnia propter se dilecti, est contritio charitate perfecta : habet enim totam essentiam charitatis proprie dictæ consistentem in summa appretiatione, et motivo amoris omnium perfectissimo : ergo contritio etiam in infimo gradu concepta ex tali amore, hominem Deo reconciliat antequam Sacramentum actu suscipiatur.

PROB. 4. *Rationibus theologicis.*

Prima : Qui habet plenitudinem legis, non potest esse in mortali : atqui charitas etiam in infimo gradu est plenitudo legis, juxta illud[6] : *Plenitudo legis est dilectio :* ergo qui

[1] Homil. VII in II *ad Tim.* — [2] Serm. 35 *de Prov.*, cap. 12. — [3] Sess. 14, cap. 8. — [4] Lib. IV *Historiæ Concil. Trident.* — [5] Lib. VI, cap. 29. — [6] Rom. XIII.

habet charitatem in infimo gradu, non potest esse in mortali.

Secunda : Ubi est essentia alicujus formæ, ibi est effectus ejus formalis; sic qui habet justitiam, haud dubie justus est; atqui ubi est charitas in infimo gradu, ibi est ejus effectus formalis; sed effectus formalis charitatis est justificatio : ergo ubi est charitas in infimo gradu, ibi est justificatio.

Tertia : Absurdum est ut qui amat Deum super omnia, etsi remisse, damnetur; nam ille damnatus semper et indesinenter amaret Deum, et non amaret, quod est contradictorium : amaret, quia ex Apostolo[1] : *Charitas nunquam excidit;* non amaret, quia damnati Deum semper odio habent : sed qui remisse Deum amat super omnia propter se, damnaretur si e vita decederet ante actualem Sacramenti receptionem : ergo, etc.

Confirmatur ex damnatione harum Baii propositionum facta a Summis Pontificibus Pio V et Gregor. XIII, confirmata ab Urbano VIII.

31ª : *Charitas perfecta et sincera, quæ est ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta, tam in catechumenis, quam in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum.*

32ª : *Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.*

33ª : *Catechumenus juste, recte et sancte vivit, et mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demum percipitur.*

70ª : *Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem, et charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis.*

71ª : *Per contritionem etiam cum charitate perfecta et cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remit-*

[1] Rom. XIII.

titur primum extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione Baptismi.

Prob. secunda pars. Tum ex damnatione propositionum Baii: tum quia, ipsis fatentibus adversariis, contritio ex amore Dei super omnia propter se, sed in gradu remisso, elicita, justificat aliquando, nempe in casu necessitatis: ergo justificat semper... *Prob. conseq.* Contritio remissa non habet virtutem justificandi propter casum necessitatis, sed ex propria sua perfectione; neque Deus plus contritionis remissæ promisit in casu necessitatis quam in quovis alio: ergo, si juxta adversarios justificat in casu necessitatis, justificat ordinarie et in omni casu.

Hinc patet, inquit S. Ligorius, loco citato, oppositam sententiam, quæ dicit contritionem cum charitate remissa non justificare extra Sacramentum, esse omnino improbabilem et falsam. Ideirco eam omnes Theologi communiter rejiciunt, alii ut erroneam, alii ut contra sententiam catholicam, et parum tutam in fide; alii vero ut temerariam et scandalosam; temerariam quidem, quia in re gravissima discedit ab omnibus Theologis et communi sensu SS. Patrum; scandalosam vero, quia removet homines a sæpius procuranda contritione.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Contritio perfecta distinguitur ab imperfecta per intensionem graduum: ergo, ut contritio justificet extra Sacramentum, requiritur ut sit summa intensive.

Prob. ant. Scriptura intensionem graduum requirit in contritione de peccatis ad justificationem: ergo, etc.

Prob. ant. Joel. II: *Convertimini ad me in toto corde vestro:* ergo, etc.

Resp. *Nego conseq.* Quia voces: *in toto corde,* significant totalitatem appretiationis qua detestamur peccatum super omnia alia detestabilia; non totalitatem intensionis. Pro-

terea Scriptura hortatur ad id quod optimum est, non quod absolute necessarium est.

Inst. 1. Christus de Magdalena dixit[1] : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum;* ergo, ad remissionem peccatorum, requiritur contritio fervens et intensa.

Resp. *Nego conseq.* Nam Scriptura id tantum narrat quod factum est, non quod absolute necessarium est; nam ex eo quod Magdalena habuerit amoris Dei et contritionis vehementiam, non inde probatur talem vehementiam plane necessariam esse ad essentiam amoris et contritionis perfectæ, ut sit par homini justificando.

Inst. 2. Ly *quoniam* est particula causalis : ergo ideo illi sunt dimissa multa, id est omnia peccata, quia ex intensa Dei dilectione de peccatis suis doluit : ergo, ex eo quod Magdalena habuerit vehementiam amoris, recte probatur talem vehementiam necessariam esse ad peccati remissionem.

Resp. *Dist. conseq.* Ideo Magdalenæ dimissa sunt multa peccata tum quoad culpam, tum quoad pœnam, *conc.;* quoad culpam tantum, *nego conseq.* In textu enim agitur de remissione peccatorum non solum quoad culpam, sed etiam quoad omnem pœnam, ut constat ex contextu, qui talis est : *Cui autem minus dimittitur, minus diligit;* atqui certum est unum peccatum mortale etiam minimum sine aliis remitti non posse, cum omnia remittantur quandocumque unum remittitur : ergo sermo est de remissione quoad pœnam, quæ major est pro majori vel minori intensione graduum dilectionis.

Objicies 2. Potest quis esse perfecte contritus, et non justificatus : ergo perfecta contritio non justificat ante actualem Sacramenti perceptionem.

Prob. ant. Magdalena prius fuit perfecte contrita, quam justificata, juxta illud : *Remittuntur, quia dilexit :* ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Magdalena fuit prius contrita prioritate

[1] Luc. VII

naturæ, qua causa prior concipitur suo effectu, *conc.;* prioritate temporis, *nego ant.* Nam eodem instanti temporis est justificatio et dilectio, quæ est ultima dispositio ad justificationem. *Deinde* in græco habetur *remissa sunt*[1].

Inst. 1. Ananias dixit Paulo perfecte contrito[2] : *Exurge, et baptizare, et ablue peccata tua :* ergo, etc.

Resp. *Nego conseq.* Nam etiam perfecte contritus debet recipere Sacramentum, quia non justificatur nisi cum speciali onere et obligatione suscipiendi Sacramenti. Præterea Div. Paulus intensissima charitate affectus fuit, quæ, juxta adversarios, justificat ante actualem Sacramenti receptionem.

Inst. 2. S. Patres requirunt ferventem amorem ad remissionem peccatorum : ergo contritio debet esse summa intensive.

Resp. *Nego conseq.* Quia Patres hortantur ad id quod decet et optandum est, non ad id quod absolute necessarium est.

Inst. 3. Div. August. ait[3] : *Quantumcumque catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat; non illi dimittitur nisi cum venerit ad Baptismum :* ergo, etc.

Resp. *Distinguo et explico Div. August.* Quantumcumque proficiat in virtutibus moralibus, *conc.;* in charitate, *nego ant.* Alias nec per intensissimam charitatem quis posset justificari absque reali susceptione Sacramenti; quod est contra adversarios et Trident. citatum. *Præterea* loquitur de eo qui dedignatur baptizari per arrogantiam, qui proinde caret charitate.

Inst. 4. Idem August.[4] : *Deus non dimittit peccata nisi baptizatis :* ergo, etc.

Resp. *Nego conseq.* Nam eo loco loquitur de eo quod ordinarie fit, non de eo quod fit extraordinarie : nam[5] de Cornelio dicit : *In Cornelio præcessit sanctificatio spiri-*

[1] Vide Corn. a Lapide, *hic.* — [2] Act. XXII, 16. — [3] Tract. XIII *in Joan.* — [4] Lib. I *de Symb. ad Catechum.* — [5] Lib. IV *de Bapt.*, cap. 24.

tualis in dono Spiritus Sancti, et accessit Sacramentum regenerationis in lavacro Baptismi: ergo Div. August. docet fieri aliquando ut catechumenus ante Baptismum justificatus sit, per contritionem scilicet charitate perfectam.

OBJICIES 3. Ad justificationem extra Sacramentum, requiritur, juxta nos, dolor summus quoad appretiationem, seu æstimationem : ergo et summus quoad intensionem.

Prob. conseq. Dolor non potest esse summus appretiative quin sit summus intensive : ergo, si requiritur, etc.

RESP. *Nego ant.* Ex diverso quippe capite nascitur objecti appretiatio et intensio actus in voluntate : appretiatio quidem oritur ex præstantia et dignitate objecti ; intensio vero ex vehementi applicatione facultatis erga objectum ; quod tale est aliquando, ut, etsi magis æstimetur appretiative, non tamen ita movet voluntatem, sicut aliud objectum quod non tanti æstimatur. Res declarari potest exemplo matris, quæ parvulum filium intensiori amore prosequitur, licet natu majorem amore minus quidem intenso, sed majori appretiative diligat, cujus vitæ conservationem præfert vitæ junioris.

INST. 1. Charitas remissa non est perfecta : ergo contritio ex ea concepta non justificat.

RESP. *Nego ant.* Charitas enim remissa quoad gradus, sed summa quoad appretiationem, est perfecta essentialiter, et completa in esse charitatis, quæ in hoc consistit, ut Deus super omnia propter se diligatur.

INST. 2. Esto charitas sit essentialiter perfecta in quocumque gradu, non potest tamen expellere peccatum sine certa gradus intensione : ergo contritio non justificat, nisi charitas, qua informatur, habeat certos gradus.

RESP. *Nego ant.* Quia amor Dei super omnia propter se dilecti, compati non potest cum peccato mortali, cui contrariatur : ergo illud expellit, in quocumque gradu actus charitatis eliciatur.

Prob. ant. Scintilla ignis, etsi sit verus essentialiter ignis,

impar tamen est comburendo ligno, vel expellendo frigori : ergo a pari, etc.

Resp. *Nego conseq. et paritatem.* Dispar est enim ratio agendi rerum spiritualium et rerum physicarum : actio physica, qualis est ignis comburentis et calefacientis, fit successive applicando activa passivis : nil ergo mirum est quod certam temporis mensuram, et certum intensionis gradum exigat : non ita est spiritualis actio, qualis est justificatio hominis per charitatem, quæ fit in instanti, non ratione gradus, sed ratione substantiæ ipsius charitatis, seu amoris Dei super omnia propter se.

Colliges. contra magistrum Sententiarum et Estium, contritionem perfectam non esse dispositionem necessario prærequisitam ad sacramentum Pœnitentiæ debite recipiendum, quia, ex Concil. Trident., justificat ante actualem receptionem Sacramenti.

Quæres : *Quale debeat esse votum seu desiderium sacramenti Pœnitentiæ in his qui per actum contritionis perfectæ justificantur, an explicitum, vel implicitum?*

Resp. Probabilius nobis videri sufficere ut illud sit implicitum, ait enim Concil. Trident.[1] : *Reconciliationem quæ per contritionem perfectam obtinetur, non esse adscribendam ipsi contritioni sine voto Sacramenti quod in illa includitur;* unde sic argumentor :

Votum alicujus rei in alio inclusum, est votum implicitum ; atqui, ad justificationem recipiendam per contritionem perfectam, sufficit, ex Trident., votum Sacramenti quod in ipsa contritione includitur : ergo sufficit votum Sacramenti implicitum.

Dices : Propositum non peccandi de cætero, in contritione, debet esse formale et explicitum : ergo et votum Sacramenti in his qui conteruntur.

Resp. *Negari potest ant.* ex supra dictis[2] : quidquid sit absolute, *nego conseq.* Disparitas desumitur ex Concil.

[1] Sess. 14, cap. 4. — [2] Cap. 3, art. 1 *de Contrit. universim sumpta.*

Trident., quod, cum loquitur de proposito non peccandi, exprimit propositum simpliciter : propositum autem virtuale non est propositum simpliciter; at cum loquitur de reconciliatione quæ non adscribitur contritioni sine Sacramenti voto, addit : *quod in illa includitur;* quæ verba significant votum virtuale.

ARTICULUS III.

DE CONTRITIONE IMPERFECTA.

Concil. Trident.[1], postquam assignavit charitatem pro motivo contritionis perfectæ, assignat pro motivo attritionis metum gehennæ et turpitudinem peccati, quatenus nimirum ista sunt supernaturaliter et per fidem cognita, et ad Deum offensum relata.

Nota. 1. Circa attritionem ex metu pœnarum conceptam erraverunt :

1° Lutherus asserens ipsam esse malam, et reddere hominem magis hypocritam et peccatorem; hoc nixus principio, illud omne esse peccatum, quod non procedit a charitate habituali.

2° Baius[2], Jansenius[3], Quesnellius[4], qui, cum doceant omne quod fit ab homine, esse vel a vitiosa cupiditate, ac consequenter malum; vel a charitate actuali, et consequenter bonum et honestum; illi consequenter docent attritionem ex solo metu pœnarum conceptam, vitiosam esse; verumque peccatum, saltem omissionis, quatenus ex motivo charitatis non fiat, nec ad Deum tanquam ad finem ultimum referatur, nam, ex Quesnellio, proposit. 62[a] : *Qui a malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, et jam reus est coram Domino.*

Nota 2. Disputant inter se Theologi utrum attritio ex metu gehennæ concepta sufficiat sine ullo Dei amore, ad

[1] Sess. 14, cap. 4. — [2] Proposit. 34, 36, 38. — [3] Tom. II, lib. III, cap. 19 20 et seqq. — [4] Proposit. 44, 45, 46, 47.

justificationem in sacramento Pœnitentiæ obtinendam, vel utrum in illa attritione requiratur amor et qualis. Hinc duo hic habemus elucidanda : *primum,* utrum attritio ex solo metu gehennæ concepta, sit bona et utilis ; *secundum,* utrum sufficiat sine ullo amore ad justificationem in Sacramento obtinendam. Primum pertinet ad fidem ; secundum spectat scholæ dissidium.

§ I.

An attritio ex solo metu gehennæ concepta sit bona, utilis, supernaturalis, etc.

Nota 1. Ex Div. Thom.[1], timor est quadruplex, scilicet mundanus, servilis, initialis et filialis.

Timor mundanus est fuga mali temporalis per offensam Dei.

Timor servilis est fuga peccati ut pœnæ a Deo infligendæ causativi, et duplex est, nimirum *simpliciter servilis,* et *serviliter servilis.* Timor *simpliciter,* seu sine servilitate servilis, est fuga peccati ut pœnæ per fidem apprehensæ causativi, sine affectu illius committendi, si hæc abesset.

Timor *serviliter,* seu cum servilitate servilis, est fuga peccati ut pœnæ causativi, cum affectu illius committendi, si hæc abesset ; unde servilitas est vitium timentis, non timoris ; nam *servilitas,* ait Div. Thom.[2], *non pertinet ad speciem timoris servilis, sicut nec informitas ad speciem fidei informis.* Ista duo maligne confundunt Novatores, et quæ de timore serviliter servili, qui malus est, a SS. Patribus dicuntur, ea transferunt ad timorem simpliciter servilem.

Timor initialis est ille quo quis initio conversionis fugit peccatum, quatenus est Dei offensa et pœnæ inductivum.

Timor filialis, seu *castus,* est ille quo quis fugit pec-

[1] 2 2, quæst. 19, art. 2 *in corp.* — [2] 2 2, quæst. 19, art. 1 *in corp.*

certum, quatenus est offensa Dei propter se super omnia dilecti.

Nota 2. Certum esse : 1° timorem mundanum et serviliter servilem esse malos et vitiosos propter affectum peccati, qui intrinsece malus est, sicut et ipsummet peccatum ; 2° timorem filialem et initialem esse bonos et laudabiles, utpote qui motivo nituntur laudabili et honesto.

Agitur ergo tantum de timore simpliciter servili, et quæritur utrum attritio ex tali timore concepta, sit bona et supernaturalis; quod ut solvatur, sit

CONCLUSIO I.

Attritio concepta ex timore simpliciter ***servili, est bona et laudabilis, nec facit magis hominem hypocritam.*** Est de fide.

Prob. Illa attritio bona est et utilis, cujus motivum est bonum et utile; atqui attritionis motivum (nempe metus gehennæ per fidem cognitæ) est bonum et utile ad salutem : ergo attritio est bona et utilis ad salutem.

Prob. min. Ille timor est bonus et ad salutem utilis, ad quem Scriptura et Patres nos hortantur; atqui Scriptura et Patres nos hortantur ad metum gehennæ : ergo, etc.

1° *Ex Scriptura*[1], ubi Christus, postquam retraxit homines a timore mundano, ait : *Timete eum qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam : ita dico vobis, hunc timete.*

2° *Ex Patribus*, inter quos solus sufficiat August., cujus auctoritate maxime gloriantur adversarii, dicens in Psal. CXXVII : *Bonus est iste timor et utilis, quo homo timet ne mittatur in gehennam :* ergo Scriptura et Patres nos hortantur ad metum gehennæ.

Hinc Concil. Trident.[2] definit : *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei, de peccatis dolendo*

[1] Luc. XII. — [2] Sess. 6, can. 8.

confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit.

OBJECTIONES.

OBJICIES. Timor servilis serviliter est malus : ergo attritio ex illo concepta est mala.

RESP. *Dist. ant.* Timor servilis *serviliter* est malus, *conc.*, timor simpliciter servilis, *nego ant.* Responsio patet ex dictis, et confirmat Div. Thom.[1], dicens : *Timor servilis, in quantum servilis est, charitati contrariatur. Si ergo servilitas esset de ratione timoris servilis, oporteret quod timor servilis simpliciter esset malus... sed prædicta servilitas non pertinet ad speciem timoris servilis... et ideo timor servilis secundum suam substantiam bonus est, sed servilitas ejus est mala.*

INST. 1. Atqui timor simpliciter servilis est malus, ea ratione, quod timere culpam propter pœnam est malum; atqui per timorem simpliciter servilem, timetur culpa propter pœnam : ergo, etc.

RESP. *Nego maj.* Nam pœna gehennæ, utpote summa miseria, est motivum legitimum a Christo propositum fugiendi peccatum.

Prob. maj. Majus malum referre ad minus, est malum et inordinatum; atqui timere culpam propter pœnam, est majus malum, nempe fugam peccati, referre ad minus, nempe fugam gehennæ : ergo, etc.

RESP. *Dist. maj.* Majus malum referre ad minus tanquam ad finem ultimum, est inordinatum, *conc.;* tanquam ad finem duntaxat proximum, *nego maj.*, et sic, *dist. min.*; *nego conseq.*

Porro, qui ex laudabili timore pœnæ, fugit peccatum, ille fugam peccati non refert ad fugam pœnæ tanquam ad finem ultimum a quo abstrahit, sed tanquam ad finem ultimum proximum, qui rectus et laudabilis est, cum

[1] Cit. art. 4.

Concil. Trident. dicat eum *donum Dei esse, et Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat.*

Inst. 2. Ille timor non est bonus et laudabilis, quo magis timetur pœna quam culpa; atqui per timorem servilem, quo quis, ex solo pœnarum metu, a peccato abstinet, plus timetur pœna quam culpa : ergo, etc.

Resp. 1. *Retorq. argumentum.* Servus diligit dominum propter cibum quem ab eo expectat; ergo magis diligit cibum quam dominum; nemo certe admittet hanc consequentiam. Ergo nec illam : pœnitens detestatur culpam propter pœnam : ergo magis detestatur pœnam quam culpam.

Resp. 2. *Nego min.* Ratio est, quia, licet pœna sit finis proximus detestationis peccati, non tamen excludit finem ultimum, qui est Deus, ad cujus gloriam culpæ detestatio ac metus pœnæ est referibilis, et quamdiu non excluditur, in illum refertur tum ex natura et intentione operis, tum ex intentione operantis, saltem implicite.

Prob. min. Ex isto axiomate : *Propter quod unumquodque tale, et illud magis;* atqui pœnitens propter pœnam detestatur culpam : ergo magis detestatur pœnam quam culpam.

Resp. 1. Non admittimus axioma universaliter cum deficiat in pluribus, ut patet in exemplo supra allato.

Resp. 2. *Dist.* axioma : *Propter quod unumquodque tale et illud magis*, si in eo constituatur finis actus, *conc.;* si non constituatur, *nego ant.;* atqui pœnitens propter pœnam detestatur culpam, ita ut constituat finem in vitatione pœnæ, *nego;* ita ut non constituat finem in vitatione pœnæ, *conc. min.* Qui enim detestatur culpam propter gehennam, non magis appretiative detestatur gehennam quam culpam, cum non comparet unum cum alio, sed solum unum detestatur propter aliud, in quo nihil est inordinatum.

Inst. 3. Qui timet culpam propter gehennam, agit ex amore proprio : ergo finem constituit in vitatione gehennæ.

Resp. *Dist. ant.* Agit ex amore proprio ordinato, *conc.;* inordinato, *nego ant.* Porro, amor proprius est solum inordinatus, cum in creatura sistit, et ad Deum, qui ultimus est appetitus finis, non refertur. Duplicem hunc amorem proprium distinguit Div. Thom.[1], dicens : *Amor sui tripliciter se habere potest ad charitatem; uno enim modo contrariatur charitati, secundum quod aliquis in amore proprii boni finem constituit... tertio modo a charitate quidem distinguitur, sed charitati non contrariatur, puta cum aliquis diligit seipsum secundum rationem proprii boni, ita tamen quod in hoc proprio bono non constituat finem.*

Inst. 4. I Joan. iv, dicitur : *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet :* ergo timor servilis contrariatur charitati.

Resp. *Dist. conseq.* Timor serviliter servilis, vel mundanus, *conc.;* timor simpliciter servilis, *nego conseq.* Hic enim Div. Joan. accipit timorem pro diffidentia et anxietate, quas timor tum serviliter servilis, tum mundanus pariunt, ac quibus tanquam contrarium contrario opponitur fiducia æternæ felicitatis, quam parit charitas : hunc esse sensum Div. Joan. constat ex his verbis : *Quoniam timor pœnam habet,* id est, cruciatum animi, ut vertit Div. August. ex Græco, quod non potest esse cum charitate.

CONCLUSIO II.

Attritio concepta ex timore simpliciter servili, est supernaturalis, voluntatemque peccandi excludit.

Prob. Attritio concepta ex timore qui peccatum odit et expellit, qui inducit homines ut præparent corda sua, ut in conspectu Domini sanctificent animas suas, etc., est

[1] 2 2, quæst. 19, art. 6.

supernaturalis, excluditque voluntatem peccandi; atqui talis est attritio concepta ex timore simpliciter servili : ergo, etc.

Prob. min. Ex Scriptura et SS. Patribus, maxime Div. August. et Div. Thom., quorum patrocinio gloriantur adversarii.

1. Ex Script. : *Timor Domini odit malum*[1]*; — timor Domini expellit peccatum*[2]*; — qui timent Dominum, præparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas*[3], etc.

2. Ex Div. August., in *Expositione Psal.* CXXVII, dicente : *Audisti cum Evangelium legeretur, ubi vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur : audiunt hoc homines, et quia vere futura sunt impiis, timent et continent se a peccato. Timent quidem, sed non amant justitiam* (en character timoris servilis); *cum autem per timorem continent se a peccato, fit consuetudo justitiæ, et incipit quod durum erat amari, et dulcescit Deus, et jam incipit homo propterea juste vivere, non quia timet pœnas, sed quia amat justitiam.* Ergo timor servilis retrahit hominem a peccato, et ipsum perducit ad justitiam.

3. Ex Div. Thom. dicente[4] : *Quandoque homo propter mala quæ timet, ad Deum convertitur et ei inhæret; quod quidem malum est duplex, scilicet malum pœnæ, et malum culpæ; si ergo aliquis convertitur ad Deum ut ei inhæreat propter timorem pœnæ, erit timor servilis; si autem propter timorem culpæ, erit timor filialis.* Ergo, ex Div. Thom., homo per timorem servilem potest ad Deum converti eique inhærere, et consequenter nullam, nequidem implicitam et conditionatam, continet voluntatem peccandi.

Confirmatur integra propositio ex Concil. Trident., dicente[5] : *Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati considera-*

[1] Prov. XVIII. — [2] Eccl. I. — [3] Cap. II. — [4] 2 2, quæst. 19, art. 2, *in corp.* — [5] Sess. 14, cap. 4.

tione, vel ex gehennæ vel pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, declarat non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse et Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat, etc. Idem definit can. 5. Atqui quod est donum Dei impulsusque Spiritus Sancti, hominemque parat ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam, est bonum et laudabile, supernaturale et excludens voluntatem actualem peccandi, nec potest dici peccatum saltem omissionis : ergo attritio ex metu gehennæ concepta, est bona et laudabilis, etc.

Merito igitur Alexand. VIII duas istas propositiones damnavit : 14am : *Timor gehennæ non est supernaturalis;* et 15am : *Attritio quæ gehennæ et pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.*

Objicit Jansenius[1] : Timor non tollit affectum et voluntatem peccandi : ergo est malus.

Prob. ant. Multis Augustini testimoniis, quorum unum refero Epist. cxlv : *Inaniter ille putat victorem se esse peccati, qui pœnæ timore non peccat... inimicus justitiæ est qui timore pœnæ non peccat... nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere.* Ergo timor servilis non tollit voluntatem peccandi.

Resp. *Dist. conseq.* Timor servilitet servilis, *conc.;* simpliciter, *nego conseq.* Sese explicat Div. August. *serm.* clxi, ubi, reprehendens eum qui pœnæ timore non peccans, peccaret si non videret eum Deus, ait : *Ergo pœnam times, serviliter times :* quia talis ita affectus est, ut peccare vellet, nisi Deus pœnas peccatori comminaretur ; unde abstinet solum ab opere externo peccati, quia timor intra claustra cogitationis coercet malam cupiditatem.

[1] Lib. v *de Gratia Christi*, cap. 27, 28, 29.

INST. Ex eodem August.[1], timor ad veterem legem pertinet, amor ad novam : ergo a nova lege omnis timor debet eliminari.

RESP. *Dist. ant.* Amor pertinet ad novam legem sine exclusione timoris, *conc.;* cum exclusione timoris, *nego ant.* Id expresse docet Div. August. his verbis[2] : *Quanquam utrumque in utroque fit, prævalet tamen in vetere timor, amor in novo.* Unde gehennæ timor per se, id est, si aliunde non adsit mala circumstantia, hypocritas non facit, imo viam ad justitiam parat. *Si nullus est timor,* inquit Augustinus, *non est qua intret charitas.*

§ II.

Utrum attritio ex solo metu gehennæ concepta sufficiat, sine ullo amore, ad justificationem in Sacramento obtinendam.

Nota 1. Amor, ut supra diximus[3], duplex est, scilicet amor amicitiæ, seu perfectæ charitatis, qui dicitur perfectus; et amor spei, seu concupiscentiæ, qui dicitur imperfectus, seu minus perfectus.

Amor amicitiæ est *ille quo Deus super omnia diligitur formaliter propter se,* seu quia in se summe bonus est ac perfectus, non attendendo explicite ad proprium amantis commodum. Si sit in remissiori gradu, dicitur *initialis.*

Amor spei est *ille quo Deus super omnia diligitur, quatenus nobis bonus est, nostra beatitudo, et finis ultimus.* Hinc illi duo amores differunt specie, cum differant penes motiva, a quibus virtus suam speciem desumit.

Nota 2. In amore formali spei reperiri amorem virtualem benevolentiæ : nam attritio ex amore spei concepta importat firmum melioris vitæ et mandatorum Dei observationis propositum, inter quæ dilectio primum locum

[1] Lib. *contra Adimantem,* cap. 17. — [2] Lib. I *de Moribus Ecclesiæ,* cap. 29. — [3] Cap. 3, art. 2, in *notis.*

tenet; sed qui proponit Deum diligere, jam virtualiter diligit, cum sit proxime dispositus ad illum propter se diligendum; sed, ex Div. Thom., dispositio proxima ad aliquid, est initium seu inchoatio illius. His positis,

CONCLUSIO I.

Ut attritio ex metu pœnarum concepta, sit dispositio sufficiens ad sacramentum Pœnitentiæ rite et utiliter percipiendum, requiritur quidem aliquis Dei amor.

Prob. Ex Concil. Trident.[1], quod agens de dispositionibus adultorum ad justificationem in Baptismo consequendam requisitis, ait : *Illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac proinde moventur adversus peccata, per odium aliquod et detestationem,* etc. En amor initialis et imperfectus, quem Concilium prærequirit ad justificationem perinde ac actus fidei et spei; atqui actus fidei et spei necessario prærequirit : ergo et amorem initialem.

Porro, amor ille initialis, qui non oritur ex motivo charitatis prædominante, jam habetur in attritione, quam supra descripsimus : *primo*, per timorem divinæ vindictæ, juxta illud[2] : *Timor Dei initium dilectionis ejus; secundo,* per spem veniæ, cum in ipso Trident. dicatur quod bene se disponunt ad gratiam, qui Deum incipiunt diligere *tanquam omnis justitiæ fontem,* id est, tanquam justificationis omnium auctorem; *tertio,* per spem beatitudinis æternæ; cum doceat Div. Thom.[3], loquens de spe theologica, eam esse quidem initium amoris erga Deum, his verbis : *Ex hoc... quod per aliquem speramus nobis posse provenire bona, movemur in ipsum, sicut in bonum nostrum, et sic incipimus ipsum amare.* Ita S. Ligor.[4]. Attritus igitur exinde Deum ut suum liberatorem, justificatorem et glorificatorem incipit diligere.

[1] Sess. 6. — [2] Eccl. xv, 16. — [3] 1 2, quæst. 40, art. 7. — [4] Lib. vi, num. 442.

OBJECTIONES.

Objicies. Ut attritio sit dispositio sufficiens ad Sacramentum recipiendum, nullus in ea requiritur amor : ergo, etc.

Prob. ant. Concil. Trident.[1], tractans ex professo de attritione et ejus motivis, nullam facit mentionem amoris Dei : ergo nullus in ea requiritur.

Resp. *Nego conseq.* Licet enim Concilium Trident. nullam in suo decreto fecerit mentionem amoris Dei, nihilominus recte infertur discursu theologico aliquem Dei amorem necessarium esse : 1° ex eis quæ docet circa naturam contritionis tum perfectæ, tum imperfectæ; 2° ex eo quod[2] requirat ut ii qui se ad justitiam disponunt, *Deum diligere* incipiant *tanquam omnis justitiæ fontem.*

Inst. 1. Solus timor gehennæ absque ullo Dei amore, voluntatem peccandi excludere potest : ergo est sufficiens dispositio ad Sacramenti gratiam recipiendam.

Resp. *Nego ant.* Quod est de rebus incompossibilibus; impossibile enim est timorem gehennæ excludere voluntatem peccandi, quin includat amorem boni quo privari metuit, bonum autem illud est Deus possidendus.

Inst. 2. Multi Theologi asserunt attritionem conceptam *solo* pœnarum metu sufficere : ergo excludunt omnem Dei amorem.

Resp. *Dist. conseq.* Excludunt omnem Dei amorem qui sit proprie dictæ charitatis, hominemque reconciliet ante Sacramentum re susceptum, *conc.;* omnem amorem spei, *nego conseq.* Itaque illa vox exclusiva *solo*, refertur ad solam charitatem.

Inst. 3. Timor pœnæ est bonus, honestus et supernaturalis : ergo est sufficiens dispositio ad Sacramentum.

Resp. 1. *Retorq.* Fides est bona, honesta et supernaturalis : ergo est sufficiens dispositio ad Sacramentum.

Resp. 2. *Nego conseq.* Nam ut timor gehennæ sit dispo-

[1] Sess. 14, cap. 4. — [2] Sess. 6, cap. 6.

sitio sufficiens, debet, ex Concil. Trident., esse conjunctus cum spe veniæ; atqui spes illa veniæ necessario includit amorem rei quæ speratur : ergo, etc.

CONCLUSIO II.

Ut attritio ex metu pœnarum concepta (idem dic a fortiori de aliis motivis attritionem informantibus) *sit dispositio sufficiens ad justificationem in Sacramento recipiendam, requiritur et sufficit aliquis amor Dei initialis non prædominans.*

Prob. 1. *Ex probatis supra :* charitas in quovis gradu intensionis justificat ante actualem Sacramenti receptionem : ergo non est necessaria dispositio ad justificationem in Sacramento percipiendam.

Prob. conseq. Si charitas justificans esset dispositio necessaria ad justificationem in Sacramento percipiendam, nunquam sacramentum Pœnitentiæ conferret primam gratiam, nec peccatores Deo reconciliaret, cum semper ipsos supponeret per contritionem perfectam reconciliatos; atqui absurdum est aliquod Sacramentum nunquam efficere id ad quod efficiendum a Christo est institutum, juxta hanc Concil. Trident. definitionem[1] : *Si quis dixerit in Ecclesia Pœnitentiam non esse vere ac proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo institutum, anathema sit.* Ergo charitas justificans non est dispositio necessaria ad gratiam in Sacramento percipiendam.

Hinc Div. Bonav. ait[2] : *Non oportet igitur quod actus pœnitentiæ formatus, qui dicitur contritio, præcedat, sed sufficit quod actus sit informis, utpote attritio.* Et Div. Thom.[3] : *Ad hoc ut homo se præparet ad gratiam in Baptismo recipiendam, præexigitur fides, sed non charitas,*

[1] Sess. 14, can. 1. — [2] In 4, dist. 4 *in Exposit. dub. primi.* — [3] In 4, dist. 6, art. 3, ad 5.

quia sufficit attritio præcedens, etsi non sit contritio; ex quo constat attritionem a contritione differre, quod ista charitatem includat, non vero illa.

Respondent adversarii necessitatem contritionis non adversari efficaciæ Sacramenti, cum, ut ait Concil. Trident.[1], perfecta contritio non reconciliet hominem sine voto Sacramenti quod in ea includitur. Sed

Contra est 1° Quia, ex Concil. Trident., præcipua Sacramenti vis sita est in absolutione Sacerdotis, non dicit in contritione. 2° Quia contritio justificans cum voto Sacramenti non confert gratiam *ex opere operato* et virtute clavium, sed tantum ex opere operantis; pugnat autem cum doctrina Concil. Trident., quod peccatum non possit remitti *ex opere operato* ab illo Sacramento, quod est institutum ad fideles Deo reconciliandos.

Prob. 2. *Ex Concil. Trident.*[2] dicente : *Et quamvis* (attritio) *sine sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam, in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Quibus verbis Concilium declarat attritionem, quæ non sufficit extra Sacramentum, cum Sacramento sufficere.

Nec dicas attritionem disponere quidem remote ad gratiam recipiendam, non vero proxime; indeque esse quod Patres Tridentini, teste Pallavicino[3], verbum *disponit* substituerint verbo *sufficit,* quod primum ab ipsis fuerat usurpatum.

Resp. Manifestum est enim Concilium loqui de dispositione sufficienti et proxima; nam

1° Concilium loquitur de dispositione in ipsomet Sacramento, non de dispositione extra Sacramentum; sed dispositio in Sacramento requisita, est dispositio immediata et proxima : ergo Concilium loquitur de dispositione proxima.

2° Concilium loquitur de dispositione quæ cum solo Sa-

[1] Sess. 14, cap. 4. — [2] Sess. 14, cap. 4. — [3] Lib. XII *Hist. Conc. Trident.*, cap. 10

cramento infallibiliter gratiam impetrat, cum promiserit initio decreti se *exactiorem et pleniorem definitionem traditurum*, quod utique non fecisset, si aliquid ad gratiam cum Sacramento consequendam necessarium omisisset; atqui attritio cum solo Sacramento gratiam infallibiliter non impetraret, si non esset dispositio proxima et immediata : ergo, etc.

Quod spectat ad deletionem verbi *sufficere*,

Resp. Hoc verbum deletum fuisse, ne daretur occasio existimandi nullum amorem Dei imperfectum requiri in attritione.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Scriptura ad justificationem requirit conversionem ad Deum ex toto corde, juxta Joel. II : *Convertimini ad me in toto corde vestro;* sed conversio ad Deum ex toto corde includit amorem perfectum charitatis : ergo ad justificationem requiritur amor perfectus charitatis.

Resp. *Dist. min.* Conversio ex toto corde includit amorem charitatis, extra Sacramentum, *conc.;* in Sacramento, *nego min.;* similiter *dist. consequens.*

Porro, cum Sacramenta mortuorum instituta sint ut medium ad remissionem peccatorum facilius obtinendam ex meritis Christi, non requirunt alium amorem quam qui spei dicitur.

Objicies 2. Concil. Trident.[1] videtur exigere amorem charitatis in iis qui se ad justificationem per Baptismum obtinendam disponunt : ergo et requiritur in sacramento Pœnitentiæ, par enim est ratio.

Prob. ant. Concilium ait : *Illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt.* Ergo, etc.

Resp. *Nego conseq.* Dilectio enim de qua loquitur Concilium, est amor imperfectus, seu amor spei, quo Deus ut nobis bonus præcise diligitur, quatenus nimirum est fons justitiæ nostræ, largitor omnis sanctitatis et beatitudinis.

[1] Sess. 6, cap. 6.

Prob. conseq. Amor quem exigit Concilium, motivo distinctus est a spe : ergo est amor veræ charitatis. Resp. *Nego ant.*

Prob. ant. Postquam Concilium dixit actus fidei et spei esse necessarios, adjungit ipsam dilectionem, seu amorem Dei : ergo amor ille distinctus est motivo a spe. Resp. *Nego conseq.*

Prob. conseq. Concilium distinguit amorem illum ab actibus spei : ergo amor ille non est amor spei.

Resp. *Dist. ant.* Concilium distinguit amorem illum ab actibus spei, tanquam effectum a causa, *conc.;* tanquam rem a re, *nego ant.* Itaque Concilium distinguit spem ab illa dilectione tanquam causam a qua procedit talis dilectio.

Inst. 1. Ex iis quæ Concil. Trident.[1] docet, colligitur necessitas amoris Dei ex motivo charitatis : ergo, etc.

Prob. ant. Cap. III, inter partes Sacramenti, recenset contritionem, quam cap. IV dicit : *Quovis tempore necessariam fuisse ad impetrandam veniam peccatorum;* atqui talis contritio charitatem includit, alias impar fuisset homini justificando in lege naturæ et Mosaica : ergo, etc.

Resp. *Dist. min.* Talis contritio includit charitatem extra Sacramentum necessariam, *conc.;* intra Sacramentum, *nego min.* Itaque Concilium, initio capitis quarti, loquitur de contritione generatim, prout abstrahit a perfecta, quam postea dividit in perfectam, quæ charitate concipitur, et imperfectam, quæ ex alio motivo supernaturali distincto a charitate, quamque dicit esse dispositionem sufficientem ad Sacramentum.

Inst. 2. Contritio non dicitur imperfecta nisi propter remissionem graduum charitatis : ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Dicitur enim imperfecta propter motivum quod, cum sit specie diversum in contritione et attritione, differunt inter se essentialiter et necessario.

[1] Sess. 14.

Objicies 3. Ex Trident., contritio requisita in Sacramento debet includere *odium peccati, propositum novæ vitæ inchoandæ, et legis divinæ servandæ;* atqui illa omnia non possunt esse sine amore charitatis : ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Constat enim ex dictis amorem Dei imperfectum sufficere ad illa omnia præstanda.

Inst. 1. Qui peccavit contra charitatem (quod fit in omni peccato, saltem interpretative) non potest Deo reconciliari, nisi actum charitatis præmittat : ergo in contritione requiritur amor charitatis.

Resp. *Dist. ant.* Non potest reconciliari extra Sacramentum, nisi, etc., *conc.;* in Sacramento, *nego ant.* Disparitas inter reconciliationem in Sacramento vel extra Sacramentum habendam, est quod extra Sacramentum nihil sit præter charitatem quod divinam misericordiam moveat ad gratiam conferendam, *nihil quippe eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promerentur,* ait Concil. Trident.[1] : at Sacramentum, utpote habens vim reconciliandi, supplet defectum perfectæ charitatis, alioquin requisitæ.

Inst. 2. Qui peccavit contra fidem et spem, non potest Deo reconciliari, etiam in Sacramento, nisi actus fidei et spei formales præmiserit : ergo a pari, etc.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quia *fides,* ex Concil. Trident.[2] (idem dic de spe), *est humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire;* unde necesse est actus fidei et spei præcedere tanquam media et dispositiones ad gratiam sanctificantem : at charitas non est tale medium, sed finis aut ipsa forma qua justificamur, unde non debet præcedere justificationem.

Objicies 4. Div. August. multis locis asserit nullum sine charitate opus bonum fieri posse; ait enim[3] : *Ubi non est*

[1] Sess. 6, cap. 8. — [2] Sess. 6, cap. 8. — [3] Lib. *de Gratia Christi,* cap. 26.

dilectio, nullum opus bonum imputari, nec recte bonum opus vocari. Item[1] : *Desiderium peccatorum non extinguitur, nisi contrario desiderio recte faciendi ubi fides per dilectionem operatur.* Item : *Quid est boni cupiditas, nisi charitas*[2]? Ergo, etc.

Resp. *Nego ant.*, cujus falsitas, ut manifesta fiat, advertendum est Div. August., nomine *charitatis et dilectionis*, non semper intelligere charitatem proprie dictam, sed vel gratiam actualem : sic in duobus primis textibus allatis per *dilectionem* intelligit gratiam excitantem; vel generatim intelligit quemlibet recti et boni, id est virtutis, amorem ex aliquo motivo honesto et supernaturali : sic in tertio textu per *charitatem* intelligit bonam voluntatem; sese explicat[3], dicens : *Quid est charitas, nisi bona voluntas?* Et, lib. *de Moribus Ecclesiæ*[4], ait : *Quamlibet virtutem esse ordinem amoris.*

Abutuntur ergo Augustini auctoritate Janseniani, cum multa ex illo testimonia promiscue congerunt, ut probent sine charitate quamlibet actionem vitiosam esse, ac verum peccatum, saltem omissionis.

Objicies 5. Ex nostra sententia, sequitur aliquem casum posse dari, in quo quis salvaretur sine actu charitatis Dei (v. gr. fieri potest ut qui per totam vitam impie vixit, nec amore charitatis Deum amavit, actum attritionis eliciat, absolvatur, et statim moriatur); absurdum consequens Ergo, etc.

Resp. 1. Cum Billuart : *Neg. maj.* Quia peccator in instanti justificationis non solum recipit gratiam et charitatem habitualem unde de attrito fiat contritus, verum etiam elicit actum charitatis. Siquidem ipse ultro consentit propria et libera voluntate in infusionem gratiæ et charitatis habitualis; hæc autem actualis et libera acceptio gratiæ, et in amicitiam Dei communio verus est charitatis

[1] Lib. *contra adversar. Legis*, cap. 7. — [2] Lib. II *contra Duas Epist. Pelag.*, cap. 8. — [3] Lib. *de Gratia Christi*, cap. 21. — [4] Cap. 15.

actus ex ipsa gratia sanctificante ut causa efficiente procedens, ergo. — Imo, ex S. Thom.[1], præceptum dilectionis sufficienter impletur per amorem spei, ut quis ab ejus transgressione mortali eximatur.

Resp. 2. *Nego seq. maj.* Nam, ut dictum est, attritio ex amore concupiscentiæ concepta, importat firmum propositum observationis mandatorum Dei pro tempore quo urgent; et cum in casu proposito urgeat præceptum charitatis, oportet distinguere : vel pœnitens moriturus animadvertit ad obligationem eliciendi actum charitatis Dei, et tempus ei suppetit hoc præceptum implendi, vel non.

Si *prius,* qui conteritur, tenetur actum charitatis elicere, quem si omittat, fit reus peccati omissionis.

Si *posterius,* id est, si nec animadvertat ad obligationem, nec ei tempus implendi suppetat, non peccat si non eliciat actum charitatis Dei, quia nemo ad impossibile tenetur. Et cum justificatus fuerit per Sacramentum de omissionibus præteritis, sua sibi sufficit justificatio. Unde negatur consequens objectionis, non enim repugnat quod per accidens aliquis justificatus salvetur sine actu *exercito* charitatis Dei, cum id eveniat in fidelibus qui vita cedunt ante usum rationis. Sed

Quæres : *An qui in articulo mortis susceperit Sacramentum cum attritione, teneatur insuper elicere actum contritionis?*

Nota. Certum est optimum esse et omnino consulendum ut talis pœnitens eliciat actum formalem contritionis, cum hæc optima sit ad mortem dispositio.

Resp. *probabilius,* non tenetur, ordinarie loquendo, elicere actum contritionis qui in articulo mortis recepit sacramentum Pœnitentiæ cum attritione. Nam non tenetur neque præcepto *naturali,* cum sufficienter providerit saluti suæ, nec ullum sit periculum salutis; nec præcepto *divino,* cui

[1] Dist. 2, quæst. 28, art. 1, ad 3; S. Ligor., etc.

jam satisfecit per justificationem sui; neque præcepto *Ecclesiastico* quod non exstat, ut patet : ergo. etc.

Dices : Ex lege charitatis quisque tenetur tutiora quærere remedia, ut ab omni periculo se liberet æternæ damnationis; atqui tutius est medium contritio quam attritio : ergo, etc.

Resp. 1. *Nego maj.* Alias moribundus non semel, sed bis, ter et multo pluries deberet conteri, quia id tutius esset; quod a nemine sustinetur : ergo, cum per attritionem in Sacramento gratiam consecutus sit, ægrotus ad nihil amplius tenetur.

Resp. 2. *Dist. min.* Tutius est medium contritio quam attritio, in se *conc.;* in praxi, *nego.* Ex dictis enim constat facilius aliquem esse attritum quam contritum : atqui medium quod, licet in se tutius, difficilius est obtentu, non est semper tutius in praxi : ergo, etc.

Dixi *ordinarie loquendo;* nam ex supra dictis quisque tenetur, si possit, in articulo mortis elicere actum charitatis; atqui nemo potest elicere actum charitatis, si occurrat memoria peccati quin ex eodem charitatis motivo peccatum non detestetur : ergo tunc tenetur formaliter conteri.

Objicies 6. Magnum est discrimen inter hæc duo : nempe, quod aliqua res sit bona et utilis atque ad finem suum disponat; et quod ad eumdem plene obtinendum reapse sufficiat : ergo quamvis Tridentinum declaraverit attritionem ex metu pœnarum etc., conceptam esse bonam, et ad gratiam in Sacramento consequendam disponere, non sequitur illam reapse sufficere.

Resp. *Dist. ant.* Eo quod res ad finem suum disponit, non sequitur ad eumdem pleno obtinendam reapse sufficere, extra Sacramentum, quia tunc disponit *remote* tantum *conc.;* intra Sacramentum ubi *proxime* disponit, *nego ant.,* et in hoc sensu *nego conseq.*

Quod autem attritio sit proxima dispositio in Sacramento, maxime patet ex erroris Lutheri damnatione. Lutherus enim

docebat non solum attritionem esse malam, et facere hominem hypocritam, sed eam esse omnino insufficientem ad absolutionem et communionem percipiendam. Sic enim loquebatur (apud Frassenium) : *Contritio duplici via paratur : 1° per discussionem, ponderando peccatorum gravitatem, damnum... amissionem æternæ beatitudinis ac æternæ damnationis acquisitionem... hæc autem tristitia facit hypocritam, imo magis peccatorem ; et hæc illa contritio quam vocant attritionem proxime disponentem ad contritionem : sic enim illi opinantur, quam opinionem errorem ego dico... 2° paratur per intuitum et contemplationem speciosissimæ justitiæ,* etc... *hæc facit vere pœnitentem... et hi sunt digni absolutione.*

Hinc patet Lutherum calumniam non inferre scriptoribus illis qui dicunt absolutionem conferri contritis, cum habeat illos dignos absolutione, sed illis qui dicebant conferri attritis, id est, attritionem esse proximam dispositionem in Sacramento; atqui Tridentinum illos vindicando a calumnia Lutheri, eorum sententiam consequenter approbavit : ergo, etc.

Hinc Bened. XIV[1] dicit post Tridentinum omnes scholas nostram sententiam cum plausu excepisse.

CAPUT IV.

DE CONFESSIONE.

Nota. Confessio, quæ a Græcis vocatur *exomologesis*, definitur : *Sacramentalis accusatio peccatorum suorum post Baptismum commissorum, facta sacerdoti, ad eorum veniam virtute clavium obtinendam.* Explico.

Dicitur 1° *sacramentalis accusatio,* non historica narratio, multo minus excusatio.

[1] *De Synod. diœc.,* lib. VII, cap. 13, num. 6.

Dicitur 2° *suorum peccatorum,* non alienorum, nisi fiant propria, v. gr. ratione scandali dati.

Dicitur 3° *post Baptismum commissorum;* quæ enim præcedunt, delentur per Baptismum.

Dicitur 4° *facta sacerdoti,* scilicet approbato et habenti jurisdictionem, alias non esset sacramentalis accusatio.

Dicitur 5° *ad eorum veniam virtute clavium obtinendam,* ut finis confessionis, nempe venia peccatorum, et efficacia, nempe remissio judiciaria, ostendatur.

Porro, in tres articulos coarctabimus quæ de confessione nobis sunt dicenda.

Primus erit de institutione seu præcepto divino confessionis;

Secundus, de præcepto ecclesiastico confessionis;

Tertius, de conditionibus ad legitimam confessionem requisitis.

ARTICULUS I.

DE INSTITUTIONE, SEU PRÆCEPTO DIVINO CONFESSIONIS.

CONCLUSIO.

Confessio omnium et singulorum peccatorum mortalium post Baptismum commissorum, præcepta est jure divino. Est de fide contra Wiclefitas, Lutheranos et Calvinistas.

Prob. 1. Ex decretorio testimonio Joann. xx : *Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; quorum retinueritis, retenta sunt.* Ex quo sic argumentor :

Christus dedit sacerdotibus potestatem judiciariam dimittendi peccata; atqui hæc potestas non potest rite et prudenter exerceri, nisi cognita prius causa per confessionem, nec possent peccata retineri absolute, si fideles non tenerentur comparere in eorum judicio : ergo eodem jure præcepta est confessio, quo est institutio sacramenti Pœni-

tentiæ; sed institutio Sacramenti est juris divini : ergo et lex Confessionis. Concil. Trident.[1] hoc argumentum vivide urget adversus Novatores : *Constat enim*, inquit, *sacerdotes judicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, siin genere duntaxat, et non potius in specie ac singillatim sua peccata* (pœnitentes) *declarassent.*

Prob. 2. Ex constanti SS. Patrum doctrina et traditione, quam passim tradunt auctores; ne longiori calamo scribam, unicum ex Patribus quinque priorum sæculorum, quos ab errore puros vel ipsi fatentur Novatores, referam.

In I° sæculo, S. Clemens dixit[2] : *Quamdiu sumus in hoc mundo, de malis quæ in carne gessimus, ex toto corde resipiscamus, ut a Domino salvemur, dum habemus tempus pœnitentiæ; postquam enim a mundo exivimus, non amplius possumus ibi confiteri, aut pœnitentiam adhuc agere.* Loquitur vir apostolicus de omnibus peccatis, tam occultis quam publicis, quæ per confessionem declaranda sunt, ut a Domino salvemur.

In II° sæculo, S. Irenæus[3] de quibusdam feminis a Marco hæretico seductis ait : *Ipsæmet sæpe, cum ad Dei Ecclesiam rediissent, confessæ sunt, seque corpore ab eo contaminatas fuisse, miroque ipsius amore exarsisse.* In hoc textu loquitur de peccatis luxuriæ tum externis, tum mere internis.

In III° sæculo, Origenes[4] ait : *Si revelaverimus peccata nostra non solum Deo, sed et iis qui possunt mederi vulneribus nostris atque peccatis, delebuntur peccata nostra.* Ubi loquitur de omnibus peccatis indefinite.

In IV° sæculo, S. Ambr.[5] ait : *Si vis justificari, fatere delictum tuum. Solvit enim criminum nexus verecunda confessio peccatorum.* Ubi manifestum est loqui de peccatis tum internis, tum externis.

In V° sæculo, S. August.[6] : *Cum audis,* inquit, *hominem*

[1] Sess. 14, cap. 5. — [2] II Epist. ad Cor. — [3] Lib. I, cap. 9. — [4] Hom. XVII *in Lucam.* — [5] Lib. II *de Pœnit.*, cap. 6. — [6] Conc. 2 *in Ps.* CI.

confitendo conscientiam proferre, jam de sepulcro eductus est, sed nondum solutus. Quando solvitur? a quibus solvitur? quæ solveritis, inquit, *in terra*, etc.; ubi patet loqui de omnibus peccatis etiam occultis ex his verbis : *proferre conscientiam.*

Hinc Concil. Trident.[1] definit : *Si quis negaverit confessionem sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino, aut dixerit modum secrete confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit, et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum, anathema sit.*

OBJECTIONES.

Objicies 1. Ex Scriptura, promissa est remissio peccatorum contritioni : ergo non est necessaria confessio.

Resp. *Dist. ant.* Remissio promissa est contritioni cum voto confessionis, *conc.;* sine tali voto, *nego ant.* Contritio enim debet includere votum omnia præcepta divina adimplendi, quorum unum est peccatorum confessio; quod si hæc non præstiterit, peccator vere pœnitens et contritus dici non potest; quippe qui secundum statutas a Christo leges pœnitentiam non agat.

Inst. 1. Apostoli ministraverunt sacramentum Pœnitentiæ absque confessione peccatorum : ergo non est præcepta jure divino. Resp. *Nego ant.*

Prob. ant. Quia id nullibi legitur in Scriptura : ergo, etc.

Resp. *Transeat ant., nego conseq.* Neque enim omnia facta et dicta Apostolorum in Libris sacris scripta sunt.

Dixi *transeat*, quia legitur Act. xix : *Multi credentium veniebant* (ad Paulum) *confitentes et annuntiantes actus suos,* id est peccata sua, ut patet ex contextu.

Inst. 2 cum Dallæo. Nostra sententia hoc nititur fundamento, nempe sacerdotes veros esse judices in tribunali

[1] Sess. 14, can. 6.

Pœnitentiæ; atqui falsum est sacerdotes esse veros judices : ergo, etc. Resp. *Nego min.*

Prob. min. Sacerdotes, ex Apostolo, sunt *ministri et dispensatores mysteriorum Dei :* ergo non sunt judices.

Resp. *Nego conseq.* Non sunt judices independentes, *conc.;* dependentes, *nego conseq.* Itaque sacerdotes non sunt judices hoc sensu, quod suprema et independenti auctoritate ad arbitrium peccata dimittere vel retinere possint, cum habeant leges sibi a Christo præscriptas, quas adamussim tenentur servare.

Inst. 3. Sacerdotes sunt æque judices erga peccata venialia, ac erga mortalia; atqui non est præcepta confessio venialium : ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Sunt æque judices et eodem modo, *nego;* et diverso modo, *conc. maj.;* et, concessa min., *dist. conseq.*

Itaque sacerdotes circa mortalia sunt judices necessarii, unde remitti non possunt absque illorum sententia in re vel saltem in voto habita; at circa venialia sunt judices liberi, cum illa possint remitti absque sacerdotum judicio.

Inst. 4. Hæc verba : *Quorum remiseritis peccata,* etc., intelliguntur de venialibus perinde ac de mortalibus : ergo sacerdotes sunt æque judices erga venialia ac erga mortalia.

Resp. *Dist. ant.* Intelliguntur de venialibus perinde et æque primario ac de mortalibus, *nego;* et non æque primario, *conc. ant.* Hæc enim verba primario et per se intelliguntur de mortalibus, cum Sacramentum Pœnitentiæ primario et per se institutum sit ad fideles lapsos reconciliandos, unde vocatur *Sacramentum mortuorum;* sed secundario tantum et per quamdam extensionem intelliguntur de venialibus, in quantum continent gratiam remissionis.

Objicies 2. Nectarius, Patriarcha Constantinopol., abrogavit confessionem, testibus Socrate et Sozomeno[1], propter

[1] Socr., lib. v *Hist.*, cap. 19; Sozom., lib. vii, cap. 14.

scandalum ortum ex nobilis mulieris confessione, quæ ex pœnitentiarii publici consilio sese publice accusaverat stupri a se in ecclesia cum quodam Diacono patrati : ergo confessio non est juris divini, alias a nemine abrogari potuisset.

Resp. *Dist. ant.* Nectarius abrogavit confessionem secretam, *nego;* publicam, *subdist. :* pro peccatis occultis, *conc.;* pro peccatis publicis, *nego ant.* Itaque Nectarius, occasione scandali ex imprudentis pœnitentiarii consilio orti, deposuit pœnitentiarium ejusque munus abrogavit, cessavitque peccata pœnitentiario publico confitendi obligatio; at permansit obligatio peccata secreto confitendi alicui ex aliis presbyteris ab Episcopo huic muneri præfectis, ut patet ex libris pœnitentialibus Orientalium; item permansit pœnitentia publica pro peccatis publicis, ut testatur Div. Chrysost., Nectarii successor[1], et probat Goarius, p. 890.

Inst. Ex Socrate, Nectarius, post abrogatum pœnitentiarium, *unicuique permisit, pro arbitrio et pro animi sui conscientia, ad Sacramentorum communionem accedere :* ergo abrogavit omnem confessionem.

Resp. *Nego conseq.* His enim verbis excluditur quidem necessitas adeundi presbyterum illum pœnitentiarium ad obtinendum ab eo authenticum testimonium quo comprobaretur peccatorem stadium pœnitentiæ decurrisse, sine quo testimonio nullus antea peccator publicus ad participationem Eucharistiæ admittebatur; at non excluditur necessitas secretæ confessionis.

Objicies 3. Div. Chrysost., Nectarii successor, multis locis affirmat confessionem soli Deo factam sufficere : ergo non opus est peccata sua sacerdoti declarare. Resp. *Nego ant.*

Prob. ant. Div. Chrysost. ait[2] : *Non cogit* (Deus) *in medium procedentes, quæ peccavimus enumerare, sed sibi soli*

[1] Hom. III *in epist. ad Ephes.* — [2] Hom. XXI *ad Popul. Antioch.* nunc Catechesi II *ad illuminandos.*

rationem reddere jubet et sibi confiteri : ergo affirmat confessionem soli Deo factam sufficere.

Resp. *Dist. conseq.* Affirmat confessionem baptizandorum soli Deo debere fieri, *conc.;* baptizatorum, *nego cons q.* Ex ipsius homiliæ titulo manifestum est Chrysostomum loqui de catechumenis baptizandis, qui lege confessionis sacerdoti faciendæ non tenentur, sed soli qui post Baptismum mortaliter peccaverunt.

Inst. 1. Atqui Div. Chrysost. affirmat confessionem baptizatorum soli Deo factam sufficere : ergo, etc.

Prob. subsumpt. Div. Chrysostomus ait[1] : *Si confundaris alicui dicere quæ peccasti, dicito quotidie in anima tua; non dico ut confitearis conservo tuo, qui exprobret; dicito Deo, qui curat ea.* Ergo, etc.

Resp. *Nego conseq.* Ibi enim non agit de confessione sacramentali, sed de quotidiano conscientiæ examine, quo quis peccata sua quotidiana, seu venialia coram Deo explorans, contritionem elicit ad eorum remissionem sufficientem.

Inst. 2. Homil. lvii *de Pœnit.*, ait : *Deo soli dic peccatum tuum, et dimittitur tibi peccatum :* ergo soli Deo facienda est confessio.

Resp. *Dist. conseq.* Facienda est confessio soli Deo, per exclusionem confessionis publicæ, *conc.;* per exclusionem confessionis secretæ, quæ fit sacerdoti ut ministro Dei, *nego conseq.* Itaque secreta confessio soli Deo fieri dicitur a Chrysostomo, tum quia qui confitetur sacerdoti, confitetur soli Deo cujus vices gerit; tum quia, quoad secretum attinet, perinde est ac si soli Deo intra conscientiæ arcana fieret. Hanc esse mentem Div. Chrysost. patet ex hom. iv *de Lazaro,* ubi cum dixisset : *Non conservo confiteris ut in publicum proferat? imo vero ei qui dominus est, ei qui medicus est, ostendis vulnera,* addit : *Non ergo te cogo in medium prodire theatrum, ac multos adhibere testes : mihi soli dic peccatum privatim.*

[1] Hom. ii *in Psal.* l.

Nota. Quos et quandonam obliget divinum confessionis præceptum? diximus cap. III, art. 1 *de Contritione universum sumpta.* Itaque hic

QUÆRES : *Utrum recta et utilis sit peccatorum venialium frequens confessio, et piorum usui consentanea?*

Nota. Tanta et tam nefanda est Jansenistarum astutia, ut toto conatu, sed obliquo tramite, ad omnem confessionem abolendam insurrexerint. Cum enim intelligerint Protestantes uno ore a Christi fidelibus damnatos fuisse, et ab Ecclesiæ sinu depulsos, ipsi sub velamine pietatis et sanctæ, ut dicunt, severitatis, ita difficilem confessionem reddebant, ut paulatim nemo futurus fuisset qui ad sacrum tribunal accessisset. Contendebant igitur confessionem peccatorum venialium non esse frequentendam. Ex quo sequeretur quod confessio, quæ juxta hanc methodum fieret de solis peccatis mortalibus, proderet palam interiorem pœnitentis statum, animam emortuam, infamis et lethiferis criminibus oppressam; sic confessionis onus efficeretur intolerabile, ac quilibet ab hoc Sacramento averteretur. Jansenistis, ut par erat, subscripsit Synodus Pistoriensis in prop. 39ª. Contra quos Novatores

RESP. Rectam et utilem esse frequentem confessionem, et piorum usui consentaneam.

PROB. 1. *Ex Concil. Trident.*, quod ait[1] : *Nam venialia quibus a gratia Dei non excludimur, et in quæ frequentius labimur, quamvis recte et utiliter, citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum usus demonstrat taceri tamen citra culpam, multisque aliis mediis expiari possunt.*

2. *Ex SS. Patribus*, quorum tres tantum citabimus. S. Cyprianus[2] : *Apud sacerdotes Dei, dolentes et simpliciter confitentes exomologesim conscientiæ faciunt christiani, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet et modicis vulneribus exquirunt.* — S. August.[3] :

[1] Sess. 14, cap. 5. — [2] Lib. *de Lapsis.* — [3] *In psalm.* XCIX.

Semper confitere, inquit, *semper habes quod confitearis. Difficile est in hac vita ut sic mutetur homo, ut nihil inveniatur in eo quod reprehendatur.* — S. Basilius[1] hanc praxim apud sanctimoniales obtinuisse testatur.

S. Franciscus Salesius[2] : *Confessez-vous humblement et dévotement,* inquit, *tous les huit jours, et toujours, s'il se peut, quand vous communiez, encore que vous n'ayez sur la conscience aucun péché mortel; car vous ne recevez pas seulement l'absolution des péchés véniels que vous confessez, mais vous recevez encore une grande force pour les éviter à l'avenir, une grande lumière pour réparer le dommage qu'ils vous ont causé.*

3° *Ex unanimi consensu omnium Ecclesiarum,* tum Orientalium, tum Occidentalium, quæ sæpe repetitas venialium confessiones commendant[3].

Hinc a Pio VI, in Constit. *Auctorem fidei,* Synodi Pistoriensis propositio 39ª, quæ dicebat : *Declaratio Synodi de peccatorum venialium confessione, quam optare se ait non tantopere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur ejusmodi confessiones,* declaratur et proscribitur ut *temeraria, perniciosa, sanctorum ac piorum praxi a S. Concil. Trident. probatæ contraria.*

ARTICULUS II.

DE PRÆCEPTO ECCLESISATICO CONFESSIONIS.

Nota. Celebre confessionis semel in anno faciendæ decretum emisit Concil. Lateran. IV^um^, sub Innocent. III[4], cujus hæc sunt verba : *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno, proprio sacerdoti, et injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus*

[1] *Regulæ brevius tractatæ.* — [2] *Philoth.*, p. 2, cap. 9. — [3] Conf. Morinum, lib. v *de Pœnit.*, cap. 3; Renaudotium, *Perpétuité de la foi,* tom. V, lib. III, cap. 6; Martenium, *de Antiq. Eccl. rit.,* lib. I, cap. 5, p. 2. — [4] Can. 21.

adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum, nisi forte de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum : alioquin et vivens ab Ecclesiæ ingressu arceatur, et moriens, christiana careat sepultura... si quis autem alieno sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio sacerdote, cum aliter ille ipse non possit absolvere vel ligare.

Circa canonem Lateranensem proponuntur et solvuntur nonnullæ quæstiones.

Quæres 1. *Quid intelligatur nomine proprii sacerdotis?*

Resp. Intelligitur parochus, sed sine exclusione Summi Pontificis, Episcoporum et Sacerdotum ab eis delegatorum; nam *proprius sacerdos*, in canone Lateranensi, intelligi debet per oppositionem ad *alienum sacerdotem;* atqui Episcopi non sunt alieni Sacerdotes, cum habeant ordinariam et immediatam auctoritatem in parochianos, imo et in ipsos parochos; ergo per ly *sacerdos proprius* intelligitur parochus, sed sine exclusione Episcoporum, qui hanc suam potestatem exercere possunt per se, vel per alios ad hoc delegatos; unde canoni Lateranensi satisfaciunt qui vel Summo Pontifici, vel Episcopo suo, vel ejus Pœnitentiario, aut cuilibet sacerdoti sine restrictione approbato, confitetur; quod ulterius

Prob. 1. Ex Clement. X declarante[1] *Regulares simpliciter ab Ordinariis approbatos posse in diœcesi Episcopi approbantis quovis anni tempore, etiam Paschali, et quorumcumque etiam infirmorum confessiones audire, absque ulla parochorum, vel ipsius Episcopi licentia : de qua tamen confessione teneri dictos Religiosos eorumdem infirmorum parochum illico certiorem reddere, et hoc posse illis ab Episcopo sub pœna suspensionis ab audiendis confessionibus præcipi : sufficere tamen ut certioratio hujusmodi*

[1] Const. *Superna*, edita ann. 1676.

fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam, et eos qui dictis Religiosis simpliciter approbatis Paschali tempore confessi fuerint, constitutioni quæ incipit : Omnis utriusque sexus, *quoad confessionem duntaxat satisfecisse censendos.*

2. Ex Synodo Claramontana dicente : *Proprium autem sacerdotem dicimus, duobus modis : ex officio, utpote Papam, Episcopum et Curatos; vel ex commissione, sicut FF. Prædicatores et Minores, quibus Episcopus commiserit vices suas.*

3. Ex Synodo Tolosana : *Injungimus omnibus confiteri volentibus, ut proprio sacerdoti confiteantur; proprium sacerdotem dicimus Summum Pontificem, Episcopum, generaliter omnes alios sacerdotes a prædictis legitime approbatos.*

Resolves : Sacerdotes sive sæculares, sive regulares *simpliciter et indefinite* ab Episcopo approbatos, posse quovis anni tempore, etiam Paschali, audire confessiones parochianorum absque consensu parochorum.

Dixi *simpliciter et illimitate approbatos;* dubitari enim non potest quin Episcopi jus habeant limitandi ad certum tempus approbationem suam, et excipiendi tempus Paschale, si voluerint : hinc in litteris approbationis vulgo inserunt hanc clausulam : *excepta quindena Paschali;* vel istam : *de consensu parochorum;* quæ clausula non est necessaria, sed libera, ut notat Clerus Gallicanus in comitiis generalibus anni 1655, his verbis : *Fideles qui Paschalis communionis gratia confitentur, non solum suis Episcopis, eorum vicariis generalibus, verum etiam quibuslibet sacerdotibus sæcularibus vel regularibus ab Episcopis ad hanc functionem approbatis ejusdem (Lateranensis) Concilii præceptum de annua confessione implere : additam clausulam istam :* de consensu parochorum, *quam solent Episcopi apponere in litteris approbationis eorum quos excipiendis suorum diœcesanorum confessionibus deputant, ex condescensu, non ex necessitate apponi.*

Qui plures auctoritates voluerit, ipsas reperiet apud doctissimum Tournely[1].

Dices : Episcopi, dando sacerdotibus alienis licentiam audiendi confessiones parochianorum absque consensu parochorum, lædunt jura parochorum ; atqui non licet jura aliena lædere : ergo, etc.

Resp. *Nego conseq. maj.* Nec enim rex, qui est in regno judex supremus, lædit jura inferiorum judicum, quando alicujus litis cognitionem et judicium ad se evocat : ergo a pari, etc.

Inst. 1. Maxima est inter inferiores judices relative ad regem, et parochos relative ad Episcopos differentia ; Parochi enim juris sunt divini, illi vero judices sunt juris humani : ergo, licet rex non lædat jura inferiorum judicum cum ad se evocat litem, non sequitur Episcopos non lædere jura parochorum, cum dant licentiam prædictam.

Resp. *Nego ant.* Ad probationem, *dist.* Parochi sunt juris divini inferioris et subordinati Episcopis, *conc.;* non inferioris, nec subordinati, *nego.* Episcopus enim proprius est in sua diœcesi, et quidem excellentiori ratione, sacerdos : *Siquidem,* ait Clerus Gallicanus[2], *proprii sacerdotis officium, in proprii Episcopi dignitate continetur.* Hinc Episcopus continet in se quidquid auctoritatis est in Parochis inferioribus.

Inst. 2. Omnia Regularium privilegia pro audiendis fidelium confessionibus sunt revocata per Concil. Trident. : ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Sunt revocata pro audiendis fidelium confessionibus, sine licentia, et approbatione Episcoporum, *conc.;* cum tali licentia et approbatione, *nego ant.*

Inst. 3. Adversus decretum Clementis X, ann. 1670, reclamavit Senatus Parisiensis ad supplicationem Cleri Gallicani : ergo nullius est roboris.

[1] *De Pœnitentia,* tom. I, quæst. 6, art. 3. — [2] *Epist. encyclica ad alios Episc.,* data 23 apr. ann. 1655.

Resp. *Dist. ant.* Reclamavit, eo quod visum fuerit Episcopis in illo decreto reperiri nonnullos articulos juribus Episcoporum contrarios circa Regularium approbationem, *conc.;* reclamavit, eo quod statuerit Regulares posse quovis anni tempore, etiam Paschali, accedente Episcoporum approbatione indefinita, audire confessiones fidelium, *nego ant.* Imo in Comitiis ann. 1655, expresse id sibi juris inesse docent Episcopi, ut supra relatum est.

Articuli autem, qui Episcopis visi sunt suis juribus contrarii in decreto Clement. hi sunt :

1° *Regulares prævio examine et indefinite approbatos non teneri aliud examen subire, licet ad illud vocentur ab Episcopis.*

2° *Eosdem Regulares non posse ab audiendis confessionibus suspendi, nisi nova superveniente causa, quæ ad ipsas confessiones pertineat.*

3° *Episcopos inconsulta Sede Apostolica non posse negare omnibus alicujus monasterii Religiosis facultatem audiendi sæcularium confessiones.* Verum inferiorum reclamationes nullius sunt roboris, nisi a superiore suscipiantur et exaudiantur.

Quæres 2. *Quosnam obliget præceptum confessionis ecclesiasticum?*

Resp. *Prima sententia* obligat omnes omnino fideles, cum ad annos discretionis pervenerint. Et

Prob. 1. Quia vox *omnis,* qua canon Lateran. utitur, omnes fideles explicite complectitur; frustra ergo a quibusdam restringitur ad fideles qui in peccatum mortale lapsi sunt.

Prob. 2. Quia canon excommunicatione, et post mortem privatione ecclesiasticæ sepulturæ mulctat fidelem, qui semel eo anno confessus non fuisset; atqui hæc pœna esset frustranea, si idem canon ad omnes omnino fideles adultos non extenderetur; nam qui canoni non satisfecisset eo anno, posset reponere se, Deo opitulante, eo anno in nullum peccatum mortale incidisse : ergo, etc.

Prob. 3. Ex Div. Thom. qui *in supplem.*, quæst. 6, art. 3, ait : *Respondeo, dicendum quod ad confitendum dupliciter obligamur : uno modo ex jure divino, ex hoc ipso, quod est medicina; et secundum hoc non omnes tenentur ad confessionem, sed illi tantum, qui peccatum mortale incurrunt post Baptismum : alio modo ex præcepto juris positivi; et sic tenentur omnes ex institutione Ecclesiæ, edita in Concil. Generali sub Innoc. III; tum ut quilibet peccatorem se recognosceret,* quia omnes peccaverunt, et egent gratia Dei[1]; *tum ut cum majori reverentia ad Eucharistiam accedatur; tum etiam, ut Ecclesiarum Rectoribus suis subditi innotescant, ut lupus intra gregem non lateat.* Ita etiam S. Bonav., Sylvius et plures alii.

Secunda sententia communior et verior negat docetque solos fideles qui habent mortalia teneri ad annuam confessionem.

Prob. 1. Ex Tridentino[2]. Ecclesia per canonem Lateranensem nihil addit divino confessionis præcepto, nisi determinationem temporis illius præcepti implendi; sed nemo ex præcepto divino tenetur confiteri venialia : ergo nec ex præcepto ecclesiastico.

Prob. 2. Ab eodem Concilio[3] dicitur *nihil aliud exigi, quam ut postquam quisque diligentius se excusserit... ea peccata confiteatur quibus se Dominum et Deum suum mortaliter offendisse meminerit.*

Prob. 3. Ex ipso Lateranensi canone *Omnis,* ubi dicitur : *Omnis fidelis omnia peccata sua confiteatur saltem semel in anno.* Unde sic :

Si per hoc verbum *omnis* intelliguntur omnes fideles, necessario etiam per hoc verbum *omnia,* intelliguntur omnia peccata venialia; atqui certum est apud omnes non esse obligationem confitendi omnia venialia : ergo per verbum *omnis* non intelligitur quilibet fidelis, sed ille solus qui habet peccatum mortale.

[1] Rom. v. — [2] Sess. 14, cap. 3. — [3] Sess. 24, cap. 5.

Præterea si per verbum *omnia*, etiam intelligerentur venialia, sequeretur vel quod non habens mortalia cum venialibus, teneretur confiteri venialia, quod non admittunt adversarii; vel quod, mortali adveniente, cessaret obligatio venialia confitendi, quod dici non potest; nam si venialia sunt *per se* materia necessaria ex præcepto Ecclesiastico, etiam adveniente mortale, necessario declarari debent.

Ita S. Alphons. de Ligorio, Suarez, Bonac., Cajet., Laym., Billuart et communiter.

Resolves 1. Constitutus in articulo mortis, non tenetur ad confessionem, si nullius peccati mortalis conscius sit, sed forte ratione scandali se sacerdoti sistere teneretur.

2. Ex vi Decreti Lateran. communis sententia docet cum Div. Thoma[1], quod omnis fidelis, cum ad annos discretionis pervenerit, debet ad præceptum Ecclesiæ implendum seipsum sacerdoti præsentare, ostendere seque absque conscientia mortalis esse, si ita existimet, et hoc ei pro confessione reputatur.

3. Qui pluries in annum confessus est tantum venialia, si ante finem anni incidat in mortale, tenetur confiteri, quia per confessionem venialium non implevit præceptum annuæ confessionis, cum talis confessio non sit præcepti impletiva.

QUÆRES 3. *Qua anni parte obliget annuæ confessionis præceptum?*

RESP. Ad annuam confessionem, quidam computant annum a prima die januarii ad primam diem ejusdem mensis anni sequentis. Alii autem a die ultimæ confessionis, computando 365 dies; alii vero communius existimant annum computandum esse a Paschate ad sequens Pascha, et quidem merito; nam quamvis decreto Lateran. nullum tempus sit determinatum, tamen intra quindenam Paschalem confitendi mos invaluit. *Quem morem,* ait Concil.

[1] *In suppl.*, quæst. 6, art. 3, ad 3.

Trident. ibid, *hæc S. Synodus maxime probat et amplectitur tanquam pium et merito retinendum.* Probabilius tamen hæc consuetudo non habet vim legis; unde quovis modo annus computetur, videtur sufficere si inter unam et alteram confessionem non intersit plusquam annus.

Quæres 4. *Quas pœnas incurrant, qui præcepto ecclesiastico confessionis non satisfecerunt?*

Resp. Incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiæ, et privationem ecclesiasticæ sepulturæ; quæ pœnæ non sunt latæ, sed ferendæ sententiæ : quare ad eas imponendas requiritur superioris judicis sententia. Ab illis autem pœnis impuberes excusantur.

Quæres 5. *An satisfiat præcepto ecclesiastico confessionis per confessionem nullam?*

Resp. *negat.* Ratio est, quia præceptum ecclesiasticum confessionis est determinatio præcepti divini quoad tempus; atqui non satisfit præcepto divino per confessionem nullam : ergo nec præcepto Ecclesiæ; unde hæc propositio proscripta est ab Alexand. VII : *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ;* hinc qui sua culpa (v. gr. defectu sufficientis examinis) in confessione omisit peccatum mortale, tenetur adhuc ex vi præcepti ecclesiastici confiteri in illo anno.

Quæres 6. *An qui toto anno confessionem omisit, teneatur adhuc præcepto ecclesiastico satisfacere?*

Resp. Tenetur quantocius confiteri, et continue donec præceptum impleverit, alio quin peccat deinceps mortaliter, eoque gravius quo pluries oblatam confitendi opportunitatem cum advertentia negligit. *Ratio est,* quia terminus ab Ecclesia non apponitur ad finiendam, sed ad non differendam obligationem, ut patet ex his verbis *saltem semel in anno.* Unde obligatio semel contracta impleri debet, etiamsi annus sit elapsus.

Hinc qui prævidet impedimentum ad confessionem intra annum faciendam, tenetur vi præcepti ecclesiastici antici-

pare confessionem; quia confessionis obligatio currit toto anno, ideoque in illo est implenda.

Verum probabilius non tenetur anticipare ante quidenam Paschatis, quia cum probabilius et communius sit annum incipere a Paschate propter communionem Paschalem, confessio non esset præcepti impletiva. Sed

Quæres 7. *An ille, de quo in præcedenti casu, teneatur ad secundam confessionem ad implendam obligationem præsentis anni?*

Resp. *cum distinctione.* Si pœnitens confiteatur peccata mortalia tum præteriti, tum præsentis anni, satisfacit utriusque anni obligationi per hanc unicam confessionem. Ratio, quia per illam confessionem implet finem præcepti, nempe ut ipse cum Deo reconcilietur.

Si vero pœnitens non confiteatur aliquod peccatum mortale anni currentis, non satisfacit utrique obligationi, sed tenebitur intra annum iterum confiteri, posito quod in aliquod grave peccatum inciderit. Ratio est, quia prima confessio non fuit adimpletiva præcepti anni currentis, cum mortalia anni illius sint confitenda, ut dictum est supra [1]: ita communiter contra Lugo et quosdam alios.

ARTICULUS III.

DE CONDITIONIBUS AD CONFESSIONEM LEGITIMAM REQUISITIS.

Nota 1. Sexdecim vulgo a Theologis assignantur conditiones, vel ad validitatem, vel ad perfectionem confessionis requisitæ, hisque versibus exprimuntur :

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis;
Necnon nuda, frequens, discreta, libens, verecunda;
Integra, secreta, et lacrymabilis, accelerata;
Fortis, et accusans, et sit parere parata.

Simplex, id est, sermonibus inutilibus non mixta.
Humilis, id est, facta cum hominis interioris et exte-

[1] Ad *resolves* 3.

rioris demissione; ita ut pœnitens non excuset peccata, nec ea in alium rejiciat.

Pura, id est, facta ex solo motivo reconciliationis cum Deo obtinendæ.

Fidelis, id est, sincera, quæ nihil falsi habeat admixtum. Aliquid vero miscetur per mendacium quatuor modis nempe : 1° negando se fecisse aliquod veniale quod fecit; 2° negando item aliquod mortale quod fecit, et confiteri tenetur, quia nondum est confessum, aut, si fuerit, sacerdos jure interrogat de illo; 3° confitendo mortale quod non fecit; 4° confitendo veniale quod non commisit. Porro per primum et quartum modum mentiri, est veniale tantum, modo tamen aliunde sufficiens subministretur materia confessionis; qui secundo et tertio modo mentitur, peccat mortaliter : et quidem in secundo, defectu integritatis; in tertio quia sacerdotis judicium graviter pervertit; in utroque vero casu duplex mortale committit, unum sacrilegii, alterum mendacii sibi graviter perniciosi. Ita S. Ligorius.

Nuda, id est, absque ambagibus, atque verbis æquivocis peccata potius palliantibus, quam aperientibus.

Frequens, et *accelerata*, id est, ad longum tempus non dilata.

Discreta, id est, prudens, ita ut pœnitens nihil proferat, quod charitatem proximi vel modestiam christianam lædere possit, sed intra eos fines se contineat, quos exigit confessionis integritas.

Libens, id est, non coacta : confessio enim simpliciter involuntaria est nulla.

Verecunda, id est, casta et modesta, ne scilicet obscœna verbis obscœnis exprimat.

Integra, id est, quæ nihil reticeat necessarii.

Secreta, id est, ex parte Confessarii sigillata.

Lacrymabilis, id est, cum intimo animi dolore.

Fortis, id est, quæ timorem humanum in detegendis peccatis generose superet.

Accusans, id est, quæ non sit historica peccatorum narratio, multo minus excusatio, aut in alios relatio, v. gr. in filios, etc.

Parere parata, id est, cum firmo proposito exequendi quidquid prudens confessarius tanquam ad emendationem necessarium jusserit.

Nota 2. Inter illas conditiones duæ potissimum sunt, quæ pleniorem a nobis exigunt expositionem, scilicet *integritas*, et *secretum* seu *sigillum confessionis;* de quibus agemus duobus paragraphis.

§ I.

De integritate confessionis.

Nota 1. Duplex est confessionis integritas, materialis, scilicet, et formalis.

Integritas *materialis* est *accusatio omnium peccatorum mortalium, nullo dempto.* Hæc non est semper necessaria, cum sæpe sit sive physice, sive moraliter impossibilis; unde Concil. Trident.[1] ait : *Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur.*

Integritas *formalis* est *confessio peccatorum, quæ pœnitens potest, et debet hic et nunc confiteri.* Hæc requiritur in confessione.

Nota. 2. Plures Theologi ponunt integritatem *materialem* illam esse quam Tridentinum exigit; *formalem* autem eam esse quam facit pœnitens qui propter legitimam causam non declarat omnia peccata quæ memoriæ occurrunt[2].

Nota 3. Certum est de fide, ad integritatem *formalem* necessarium esse, ut pœnitens confiteatur omnia peccata mortalia, eorum species, numerum, et circumstantias peccati speciem mutantes, quæ post diligens examen animo occurrunt, nisi tamen causa legitima confessioni extrinseca

[1] Sess. 14, cap. 5. — [2] Vide S. Ligor., lib. VI, num 465 et 479.

excuset. Ita definivit Concil. Trident.[1] his verbis : *Si quis dixerit in sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, et quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, et circumstantias, quæ peccati speciem mutant, anathema sit.*

Hinc confessionis integritas pendet a tribus punctis :

1° Ab examine diligenti et accurato, quale solet exigi in rebus gravis momenti.

2° Ab accusatione peccatorum mortalium quoad speciem et numerum.

3° Ab accusatione quoad circumstantias mutantes speciem, id est quæ ita augent peccatum, ut de se veniale fiat mortale, vel ita minuunt, ut de mortali fiat veniale; vel quæ pugnant contra virtutem specie distinctam; sic furtum in loco sacro propter circumstantiam loci est peccatum non solum contra justitiam, sed etiam contra religionem. Hæc certa sunt, et definita : verum

Disputant inter se Theologi : 1° Utrum ad integritatem confessionis circumstantiæ intra eamdem speciem aggravantes sint necessario declarandæ. 2° Utrum peccata dubia sint declaranda et quidem in triplici casu : *primo,* si de *peccato* ipso dubites, v. gr. an peccaveris necne in materia alioquin *de se* mortali; *secundo,* vel de *qualitate* peccati, puta si scias te pecasse, sed dubites an mortaliter vel venialiter; *tertio,* vel de *confessione* peccati, ut si scias te peccasse, sed dubites an sis confessus. 3° Utrum persona complicis sit detegenda. 4° Utrum moribundus, a quo non potest haberi confessio, sit absolvendus. 5° Quænam sint causæ a materiali integritate dispensantes; quæ ut dirimantur, sit

[1] Sess. 14, can. 7.

CONCLUSIO I.

Ad integritatem confessionis probabilius necesse non est, ut circumstantiæ in eadem specie notabiliter aggravantes declarentur. Ita S. Thomas, S. Antoninus, S. Bernardus, S. Bonaventura, S. Alphonsus de Ligorio et alii plures, contra Suarez, Azor., Sylvium, etc.

Illæ circumstantiæ non sunt necessario confitendæ, quæ novam peccati speciem mortalem non tribuunt; atqui circumstantiæ peccatum notabiliter in eadem specie aggravantes, non tribuunt novam speciem peccati mortalem : ergo. *Major* patet, cum venialia non sint de necessitate confessionis. *Minor*

Prob. 1. Ex S. Thoma[1]: *Alii vero dicunt quod non sint de necessitate confitendæ, nisi circumstantiæ quæ ad aliud genus peccati trahunt; et hoc probabilius est, sed addendum est quod ad aliam speciem mortalis trahunt. Cujus ratio est, quia venialia non sunt de necessitate confessionis, sed solum mortalia, quæ quantitatem infinitam quodammodo habent; et quia circumstantiæ aggravantes quæ aliam speciem peccati non tribuunt, vel quæ tribuunt quidem, sed non mortalis peccati, non sunt de necessitate confessionis.*

Nec valet dicere cum adversariis quod si S. Thomas post Concil. Trident. *scripsisset, illorum doctrinam secutus fuisset,* vel *suam opinionem haud dubie revoccasset senior factus, si manum ultimam suæ summæ apposuisset*[2]. Nam hæc sunt adversariorum prophetiæ, non vero sententiæ Div. Thomæ, maxime tum quia ex Tridentino eruitur nostra sententia, ut dicemus infra ; tum quia S. Doctor appositam suæ sententiæ tradit rationem, quod scilicet, circumstantiæ in eadem specie notabiliter aggravantes non tribuant novam speciem peccati, aut si tribuant, venialem tantum tribuunt.

[1] In 4, dist. 16, quæst. 3, art. 2. — [2] Natalis Alexand., Soto, Tournely.

Prob. 2. Ex S. Antonino, qui[1] mentem Div. Thomæ assequens, dicit : *Et illas quidem circumstantias quæ trahunt peccatum in aliam speciem de necessitate oportet confiteri, secundum Thomam; alias circumstantias confiteri, cum non sint venialia de necessitate confessionis, perfectionis est, et non necessarium.*

Prob. 3. *Ex Tridentino*[2], quod ideo probat circumstantias speciem mutantes necessario confitendas, *quod sine illis peccata ipsa neque a pœnitentibus integre exponantur, nec judicibus innotescant; et fieri nequeat ut de gravitate criminum recte censere possint, et pœnam quam oportet pro illis, pœnitentibus imponere.* Ergo si circumstantias speciem mutantes confiteantur, bene peccata sua exponunt pœnitentes, et judicibus innotescunt satis ut de gravitate criminum judicare, et pœnas convenientes imponere valeant; nam si, præter illas, circumstantiæ aggravantes essent necessario confitendæ, quo pacto Concilium illud reticuisset et aliter fecisset quam in aliis Sacramentis? ergo Tridentinum satis explicite excludit obligationem confitendi circumstantias aggravantes.

Prob. 4. *Ratione.* 1° Illud non est admittendum, quo posito pœnitentes semper inter angustias fluctuarent, et angoribus continuis premerentur; atqui, posita necessitate circumstantias aggravantes confitendi, pœnitentes semper, etc.

Prob. min. Semper utique dubitare possent de integritate suarum confessionum in determinando quænam circumstantiæ sint aggravantes notabiliter, necne; unde Angelicus Doctor[3] dicit : *Determinata quantitas peccati non potest sacerdoti innotescere, quia neque ipse peccator scit; unde sufficit quod cognoscas quantitatem quæ ex specie peccati consurgit.*

2° Christus nihil aliud præcipit quam confessionem peccatorum; atqui pœnitens qui explicat numerum, speciem

[1] 3 p., tit. XIV, cap. 19, § 7. — [2] Sess. 14, cap. 5. — [3] Loc. cit., quæst. 5, ad 2.

et circumstantias mutantes speciem peccati, explicat essentiam peccati, cum peccati quidditas, sive essentia, tantum sumatur ex ejus ratione specifica : ergo totum ponit quod est in præcepto.

3° Si teneremur declarare circumstantias notabiliter aggravantes, eodem jure teneremur declarare notabiliter minuentes; atqui hoc absurdum est nec ab adversariis admissum : ergo, etc.

Prob. maj. Ex confessione adversariorum, sine confessione circumstantiarum aggravantium neque peccatum integre exponitur, nec judicibus innotescit, nec confessarius potest de illius gravitate recte censere, et pœnam proportionatam imponere, cum ignoret circumstantiam ob quam multo graviori pœna dignum est; atqui sine confessione circumstantiarum minuentium hæc omnia pariter nequirent obtineri, siquidem : 1° peccatum non integre exponitur, cum majus quam est exponitur; 2° non recte censetur de illius gravitate, cum notabiliter major existimetur quam par est; 3° pœna non est proportionata, quæ notabiliter minor esse deberet : ergo, etc.

4° Nemo tenetur servare legem dubiam, ut dictum est in tract. *de Legibus;* atqui in casu lex vere est dubia; et ideo Tridentinum ab illa deobligavit, quia non satis clare colligere potuit ex verbis Christi : ergo, etc.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicies 1. 1° Ex Rituali Rom.[1], sacerdos debet interrogare pœnitentem si numerum, speciem et *circumstantias* explicatu necessarias non expresserit; 2° illud confirmat Catechismus Roman.[2], ubi dicit circa mortalia explicandas esse *circumstantias quæ pravitatem valde augent vel minuunt;* 3° ideo Innocent. XI hanc proposit. damnavit : *Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem;* nam ideo damnavit, quod consue-

[1] *De Sacram. Pœnit.* — [2] P. 2, cap. 5, § 7.

tudo sit circumstantia quæ peccati malitiam multum auget intra eamdem speciem : ergo, etc.

Resp. ad primum. *Dist.* Sacerdos debet interrogare per accidens, quia quandoque circumstantiæ sunt explicatu necessariæ, *conc.;* semper et ex eo quod circumstantiæ aggravantes sint *per se* explicatu necessariæ, *nego :* quandoque enim circumstantiæ aggravantes sunt explicatu necessariæ, nempe quando inducunt censuram, vel reservationem, vel quando confessarius jure interrogat. Sed ex illo non sequitur tales circumstantias esse *per se* necessarias confessioni.

Resp. ad secundum. Catechismus Rom. sic intellectus nimis probat. Exinde enim sequeretur obligatio confitendi circumstantias etiam valde minuentes, quod nemo dixit unquam ; unde debemus fateri, inquit S. Alphons. de Ligorio, hic mentem Catechismi non satis intelligi.

Resp. ad tertium. *Nego conseq.* Exinde siquidem non sequitur circumstantias mutantes esse *per se* declarandas, sed tantum *per accidens*, quando scilicet confessarius interrogat : jus enim habet interrogandi quando id necessarium aut utile putat, vel ad medicinam, vel ad restitutionem imponendam ; estque tunc pœnitenti obligatio fatendi, quod negabat proposit. damnata.

Objicies 2. Licet Concilium Tridentinum nullam mentionem faciat circumstantiarum notabiliter aggravantium, illarum tamen mentionem facit implicitam contentam in rationibus : ergo nihil concludi potest ex silentio Concilii.

Resp. *Nego ant. — Prob. ant.* Concilium declaravit sacerdotem esse judicem et medicum ; sed, ut confessarius tanquam judex, rectum ferat judicium, pœnamque culpæ proportionatam infligat, et tanquam medicus congruentem præbeat medicinam, statum pœnitentis probe noscere debet ; *subsumo :* atqui statum pœnitentis probe noscere nequit, nisi declarentur circumstantiæ notabiliter aggravantes : ergo, etc.

Resp. 1. *Ad primam min. cum distinctione.* Debet ferre judicium rectum circa numerum, speciem et quidditatem peccati mortalis, *conc.;* circa gradus malitiæ peccati mortalis, *nego.* Hoc enim est impossibile, ex dictis. *Item* debet ministrare pœnam et medicinam, secundum numerum, speciem et quidditatem peccati, proportionatam relative et secundum quid, *conc.;* absolute et secundum omnes gradus malitiæ, *nego,* ut dicemus infra ubi de satisfactione. Unde

Resp. 2. *Ad subsumpt. Nego.* Nam, sicut in sacro tribunali non est servanda omnimoda æqualitas in pœnitentia injungenda, sic nec in notitia de statu pœnitentis comparanda, sed sufficit notitia quæ ex specie peccati consurgit, ut dicit S. Thomas.

Inst. Licet circumstantia aggravans non constituat novum peccatum *formaliter,* constituit tamen novum peccatum *æquivalenter :* ergo ex mente Concilii declarari debet.

Prob. ant. Actus malus per illam circumstantiam tantam habet malitiam, quantam habent duo vel plura peccata numero distincta, imo aliquando majorem quam circumstantia speciem mutans, ut videtur in furto 100 nummorum in loco profano, et in furto unius nummi in loco sacro : ergo necessario aperienda est in confessione.

Resp. *Nego ant.* Ad probat. *distinguo.* Circumstantia aggravans tantam habet malitiam, quantam habent duo vel plura peccata numero distincta, seorsim sumpta, *conc.;* quatenus auget malitiam jam specificatam, *nego.* Ad hoc enim requireretur ut hæc circumstantia novam afferret diversam malitiam peccato; atqui non affert novam diversam malitiam cum tantum auget malitiam ejusdem jam specificatam; quia sic se habent gradus malitiæ actus voluntatis humanæ, sicut gradus perfectionis charitatis ejusdem voluntatis; actus vero amoris perficitur in ratione charitatis per gradum remissiorem, et tunc specificatur, ita ut gradus intensiores non addant novam speciem bonitatis, sed augeant tantum eamdem bonitatem in sua specie;

ita circumstantia aggravans malitiam peccati in sua specie auget, sed non affert novam malitiam, nec consequenter æquivalet novo peccato mortali : ergo, etc.

Objicies 4. *Absurda.* Nam ex nostra doctrina sequeretur quod : 1° qui cum matre rem habuisset, satisfaceret dicendo : *Commisi incestum;* 2° qui aures, nasum, manus hominis amputasset, satisfaceret dicendo : *Graviter vulneravi proximum;* 3° qui concubuisset tota nocte cum meretrice, satisfaceret dicendo : *Fornicatus sum;* 4° qui furatus esset 10,000 nummorum, satisfaceret dicendo : *Furatus sum in materia gravi,* etc.; atqui quam hæc sint absurda et sanæ morali repugnantia, nemo non sentit. Ita Billuart.

Resp. *Nego sequel.* Ad *primum* enim, quia probabilius est nova species incestus. Ad *secundum,* quia exinde secuta sunt plurima damna mutilato. Ad *tertium,* quia actus turpes voluntatis et corporis multiplicati sunt. Ad *quartum,* quia quantitas furti est ordinarie declaranda, ut imponatur restitutio; sed si pœnitens dignus fide diceret : *Furatus sum in re gravi, sed totum jam restitui,* nescio cur quantitatis furti declaratio urgeretur. Ergo ex allatis nihil concluditur contra nostram doctrinam.

CONCLUSIO II.

Pœnitens non tenetur peccata dubia confiteri, nequidem ut dubia : 1° *si positive dubitet de* peccato; 2° *si positive dubitet de* qualitate; 3° *at vero tenetur confiteri si dubitet de* confessione, *sive dubium sit negativum, sive positivum.*

Prima pars est communissima contra Tutioristas; secunda est probabilior; tertia est certa.

Prob. prima pars. Tum quia qui in utramque partem positive dubitat utrum actionem alioquin de se mortiferam egerit, potest prudenter judicare se non fecisse, et sic deponere dubium; si enim nemo debet alium habere

malum nisi probetur, quare seipsum haberet malum sine probatione? tum quia nemo subjicitur legi, nisi probetur ut sit subjectus legis; sed qui potest probare se non peccasse, non est subjectus legi confessionis : ergo, etc.; tum quia quisque potest licite se conformare opinioni vere probabili : ubi vero dubium de peccato est positivum, opinio est vere probabilis : ergo, etc.

Cæterum, ait S. Alphons. de Ligorio, si quis in articulo mortis dubitet an peccatum grave commiserit, sciens se nunquam ab illo tempore fuisse confessum, tenetur vel absolutionem sacramentalem recipere, vel actum contritionis cum voto confessionis elicere, non quidem vi præcepti confessionis, sed ad fugiendum damnationis periculum. Nec tenetur illud peccatum dubium confiteri, quia, cum non sit materia necessaria, sicut contritio sine voto confessionis remittit venialia, ita et hujusmodi mortalia dubia.

Prob. secunda pars. 1° Ex Trident.[1], peccata sunt confitenda non uti sunt in conscientia, dubia, ut dubia, certa, ut certa, sed *omnia peccata mortalia quorum conscientiam habent;* sed qui dubitat utrum peccatum sit mortale, non habet conscientiam, id est, cordis scientiam peccati mortalis, conscientia enim dubia non est conscientia, nec judicium, sed suspensio judicii.

2° Ex eodem Trident.[2], Ecclesia nihil aliud exigit quam ut... *ea peccata confiteantur quibus se... Deum suum offendisse meminerit;* sed dubitare non est meminisse, sed potius non meminisse : ergo, etc.

3° Non est pro debito dubio certum onus imponendum; atqui peccatum dubium est debitum dubium : ergo, etc.

Dices : S. Thomas[3] docet quod *quando aliquis dubitat de aliquo peccato an sit mortale, tenetur illud confiteri dubitatione manente :* ergo, etc.

Resp. *Nego conseq.* Nam S. Doctor, inquit S. Alphons.

[1] Sess. 14, cap. 5. — [2] Ibid. — [3] In 4, dist. 21, quæst. 2, art. 3, ad 3.

de Ligorio, non loquitur de illo qui post serium examen deponit dubium per rationes allatas, sed de illo qui conscientiam certam efformare non valet. Patet ex verbis S. Doctoris *dubitatione manente*, et ex aliis : *Debet judicium sacerdotis expectare, cujus est discernere inter lepram et lepram.* Loquitur ergo de dubiis quæ scientia et examine explodi possunt.

Cæterum in praxi, ordinarie loquendo, suadenda est confessio dubiorum.

Dixi *ordinarie,* nam excipiuntur : 1° scrupulosi; 2° pœnitentes timoratæ conscientiæ, cum non soleant deliberate lethaliter peccare, nec a Deo sine magno conatu recedere. Hinc Dominus dixit S. Theresiæ : *Nemo me amittit, nisi certo id cognoscat.*

Conjecturæ autem quod homo pius plenum non præbuerit consensum ad mortale sunt : 1° si pluries habuerit propositum non peccandi mortaliter; 2° si quando magis advertit, terreatur, continuo repellat, statimque dubitet an commiserit; 3° si meminerit se timide processisse; 4° si statim post factum advertit ad malitiam quam ante non cognoverat; 5° si nesciat an vigilans aut dormiens aliquid egerit; 6° si cum habuit occasionem peccatum patrandi, ab illo tamen se abstinuerit.

Prob. tertia pars, id est, *sive dubium sit negativum de* confessione, *sive positivum, pœnitens tenetur confiteri :* Nam ubi peccatum est certe commissum, certa quoque est obligatio illud confitendi; sed obligatio certa non extinguitur per satisfactionem incertam, ut fuse probavimus in tract. *de Legibus :* ergo, etc.

Adverte tamen quod si quis post serium examen confessus sit, et postea dubitet an aliquod peccatum ante diu patratum omiserit, non tenetur ad confitendum; ratio est quia, cum actus legis impletivus rite positus fuerit, censetur positus sicut de jure ponendus erat; alias non esset finis anxietatibus.

Quæres : *Utrum peccatum confessum ut dubium, debeat iterum confiteri, si postea cognoscatur certum?*

Resp. *Cum distinctione.* Si agatur de dubio circa existentiam facti, debet iterum confiteri ; ratio quia, licet peccatum fuerit directe remissum, non fuit tamen expositum prout erat in conscientia, nec explicata fuit substantia peccati, quæ consistit in ejus cognita gravitate. *Ita communiter.*

Si dubium versetur circa qualitatem peccati, multo *probabilius* non debet iterum confiteri, etsi dubium afficiat quoque confessarium. Ratio est, quia ex una parte, pœnitens sufficienter manifestavit suum peccatum prout erat in conscientia et nunc est : et ex altera parte, non est necesse ad valorem Sacramenti, ut confessarius manifeste sciat peccatum esse mortale. Ita S. Ligorius, Suarez, Sanchez, Bonacina et alii.

CONCLUSIO III.

Si pœnitens possit peccati speciem et ejus circumstantias necessario aperiendas declarare absque sui complicis manifestatione, tenetur complicem occultare; quod si absque manifestatione complicis non posset peccati proprii speciem et circumstantias necessario aperiendas declarare, potest et tenetur complicem manifestare, modo urgeat præceptum confessionis, et sine gravi incommodo non possit adiri alter confessarius cui complex sit ignotus.

Prob. prima pars. Non licet sine legitima causa infamare proximum ; atqui non est legitima causa complicem in confessione infamandi, dum sine ejus manifestatione crimen et ejus circumstantiæ aperiri possunt : ergo, etc.

Hinc confessarii ex officio tenentur monere pœnitentes, ne complicem suum manifestent, eosque graviter corripere, dum id faciunt, cum veram detractionem committant mortalem ex genere suo, a qua per solam ignorantiam, vel

bonam fidem, vel etiam inadvertantiam inculpabilem excusari possunt.

PROB. SECUNDA PARS. Ex institutione divina species peccatorum debent aperiri in confessione; atqui sæpe species peccatorum non possunt aperiri absque complicis declaratione, v. gr. incestus cum matre, vel sorore unica, cognitis confessario: ergo in tali casu necesse est personam complicis declarare Confessario, qui tenetur servare sigillum pro utroque.

Dixi in conclusione, *quando urget præceptum confessionis*, etc. Nam si commode possit differri confessio, aut fieri alteri sacerdoti cui ignota est persona complicis, differenda est et alteri sacerdoti facienda.

DICES 1. Nunquam licet infamare proximum; sed qui in confessione declarat peccatum complicis, ipsum infamat: ergo, etc.

RESP. *Dist. ant.* Nunquam licet infamare proximum sine causa legitima, *conc.;* cum tali causa, *nego ant.;* et sic ad minorem. Nam, ut ait Div. Thom.[1]: *Et si quidem verba, per quæ fama alicujus diminuitur, proferat aliquis propter bonum aliquod necessarium, debitis circumstantiis observatis, non est peccatum, nec potest dici detractio.* Hic autem non declarat personam complicis, nisi propter bonum necessarium, nempe propter integritatem confessionis jure divino necessariam.

INST. Detractio est intrinsece mala: ergo in nullo casu licita.

RESP. *Dist. ant.* Detractio formalis, *conc.;* materialis, *nego ant.:* quando autem revelatur peccatum proximi ex legitima causa, *non est detrahere per se et formaliter loquendo*, ait Div. Thomas citatus, *sed solum materialiter, et quasi per accidens.* Alias reus judici ex officio interroganti aperiens socios criminis, reus esset detractionis, quod falsum est, cum potius exerceat actum justitiæ publicæ.

[1] 2 2, quæst. 73, art. 2.

Præterea socius criminis jus amisit ad suam apud confessarium famam.

Dices 2. Dum confessarius peccatum suum deponere non potest, quin sigillum confessionis alteri confessario revelet, non tenetur peccatum illud declarare : ergo a pari, etc.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod pœnitens confitendo peccatum suum non amisit jus ad famam, cui juri (utpote naturali) debet cedere præceptum divinum integritatis confessionis : ergo si confessarius non possit peccatum suum declarare, quin declaret peccatum sui pœnitentis, non tenetur, imo non potest suum peccatum declarare; sed complex peccando amisit jus ad famam, quando aliter confessio non potest esse integra.

Quæres : *An pœnitens teneatur declarare in confessione personam, quæ licet non sit complex, est tamen objectum, seu occasio criminis?*

Resp. Tenetur, si confessio non possit esse integra sine illius personæ declaratione; sic qui sororem per vim defloravit, tenetur sororem manifestare, quamvis non sit culpabilis, aliter enim incestum non potest declarare; quod si vero confessio possit esse integra sine illius personæ manifestatione, non potest ipsam manifestare; sic qui sororem gravidam (quam confessarius novit innuptam) percussit, non potest declarare graviditatis circumstantiam, nisi percutiendo procuraverit abortum, vel intenderit ipsum : tunc tenetur illam manifestare, sine qua non potest esse integra confessio. Hæc resolutio est Div. Bernardi, opusc. *De Formula honestæ vitæ*, dicentis : *De nullo prorsus sinistre loquaris, nisi in confessione, et hoc ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum.*

CONCLUSIO IV.

Infirmus, qui subita vi morbi obmutescit, potest absolvi absque confessione, modo coram sacerdote det aliqua doloris signa, vel ipsa, antequam obmutesceret, dederit coram uno saltem adstante, ea de re testimonium ferente. Est communis.

Prob. 1 Ex Concil. Carthagin. IV[1]: *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, et accipiat Pœnitentiam; et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, et infundatur ori ejus Eucharistia.*

2. Rituale Rom. jussu Pauli V editum, de tali infirmo ait : *Si confitendi desiderium, sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.*

Ratio est, quia in casu proposito reperitur confessio generica et confusa, quæ ex voluntate Christi nobis ex praxi universalis Ecclesiæ manifestata, sufficit instante articulo mortis.

Quæres : *An talis infirmus omni sensuum usu destitutus possit absolvi, si nulla signa externa pœnitentiæ, vel desiderii absolutionis dedit, neque coram sacerdote, neque coram aliis?*

Resp. *Cum distinct.* Vel talis christiane vixit, vel non, quo casu, vel erat hæreticus, schismaticus, apostata, etc., vel non.

Si non vixit christiane (quales sunt hæretici publici, schismatici, apostatæ, etc.), non est concedenda, sed prorsus deneganda absolutio. Nam eis deneganda est absolutio, quorum voluntas in malo obfirmata non præsumitur mutata; atqui peccatorum, de quibus loquimur, voluntas non præsumitur mutata : ergo ipsis deneganda absolutio.

Si christiane vixit, multi negant etiam tunc posse absolvi

[1] Can. 76.

propter defectum materiæ sensibilis, sine qua stare non potest Sacramentum.

Econtra alii communiter affirmant posse eum absolvi, et, si potest, sub hac conditione : *si es capax*. Ratio eorum est, quia potest absolvi moribundus etiam pravæ vitæ, dum quispiam testatur ipsum signa aliqua doloris dedisse; ergo a fortiori potest absolvi, qui vitam duxit christianam, in qua absolutionis desiderium, saltem in articulo mortis, includitur; cum vita christiana, quam duxit, sit signum probabilius ac certius voluntatis confitendi, quam signa doloris æquivoca, quæ dat moribundus, qui vitam in peccatis et pravis habitibus peregit.

Si non vixit christiane (quales sunt concubinarii, qui in ipso criminis actu, v. gr. duelli, adulterii, vocis et sensuum usum amittunt), quidam dicunt non esse concedendam, sed prorsus denegandam absolutionem. Nam, inquiunt, eis deneganda est absolutio, quorum voluntas in malo obfirmata non præsumitur mutata ; atqui peccatorum de quibus loquimur, voluntas non præsumitur mutata : ergo ipsis deneganda est absolutio.

At immerito; nam, ut mentem meam aperiam, dico cum Melchiore Cano, part. 6, relectione *de Pœnitent. : In praxi hujus Sacramenti habendam esse potius rationem eorum quæ ad mores et salutem animarum pertinent, quam ad metaphysicas, sive speculativas quæstiones* propter quas moribundus ille, cujus ait Div. August.[1] : *In fide christiana jam nota voluntas est,* non debet sine absolutione dimitti.

Ratio, inquit S. Alphonsus est quia, *si licite absolvi potest et debet ægrotus sensibus destitutus..., sic etiam potest et debet absolvi homo catholicus, etiamsi in actuali peccato sensibus destituatur. Pro hoc enim etiam merito præsumi potest quod ipse in proximo periculo suæ damnationis constitutus cupiat omni modo suæ salutis consulere.*

[1] Lib. 1, *de Adulterin. conjugiis,* cap. 26.

Quæres 2. *Quot sint causæ a materiali confessionis integritate excusantes?*

Resp. Sunt *quatuor*.

Prima est *naturalis oblivio inculpabilis*, quia nemo tenetur ad impossibile; si tamen illius postea recordetur pœnitens, tenetur illud confiteri, ut statuit Alexander VII in damnatione hujus propositionis : *Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ aut aliam ob causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere;* quam propositionem Clerus Gallicanus censura notavit his verbis : *Hæc propositio est temeraria, erronea, et confessionis integritati derogat.*

Dixi *oblivio inculpabilis :* quia si foret culpabilis, v. gr. defectu sufficientis examinis, teneretur repetere totam confessionem, utpote nullam, et sese accusare de illa oblivione peccaminosa.

Secunda est *ignorantia invincibilis*, qua quis putat, id quod reticet, non esse peccatum, cum tamen sit ex parte rei mortale. *Ratio est,* quia qui peccata sua non novit, perinde se habet ac si ea non commisisset.

Dixi *invincibilis;* si enim ignorantiam vincere debuerit ac potuerit, commisit sacrilegium, teneturque totam confessionem repetere, imo et omnes subsequentes, nisi in his, hujus sacriligii factus inculpabiliter immemor, bona fide deinceps processerit, quia in hoc casu fuerunt formaliter integræ.

Tertia est *moralis impotentia*, sive hæc oriatur a confessario, sive a pœnitente. *Ratio est,* quia præceptum confessionis integræ faciendæ, utpote positivum, non obligat in casu moralis impotentiæ.

Hinc, ab integritate materiali confessionis excusantur:

1° Mutus, si per gestus vel scripturam non possit omnia declarare peccata; secus, si possit, quia qui tenetur ad finem, tenetur ad media.

2° Milites, dum instat pugna, et navigantes, dum immi-

net naufragium : si tamen ex eo periculo evaserint, omnia peccata sua sigillatim tenentur confiteri.

3° Moribundus, dum adest periculum imminens ne vel ipse, vel ejus confessarius usum loquelæ subito amittat.

4° Sacerdos, dum peccatum suum confiteri nequit absque fractione sigilli confessionis.

5° Extraneus, cujus idioma a confessario non satis bene percipitur, modo instet necessitas confitendi, nec adsit alius sacerdos.

Quarta est *grave damnum*, sive temporale, sive spirituale confessioni *extrinsecum*, vel sibi, vel confessario imminens, ut grave periculum morbi contagiosi, etc.

Dixi *damnum confessioni extrinsecum* : nam damnum confessioni *intrinsecum*, ut confusio pœnitentis, vel jactura bonæ opinionis apud confessarium, non excusat; quia hæc incommoda nata sunt sequi ex confessione, et nihilominus, iis non obstantibus, Christus præcepit confessionem.

§ II.

De secreto seu sigillo confessionis.

Nota. Ut omnia, quæ spectant sigillum confessionis, clare et distincte elucidentur, diversas quæstiunculas instituemus; itaque

Quæres 1. *Quid sit sigillum confessionis?*

Resp. Est *strictissima et indispensabilis obligatio servandi sub secreto, quæ in confessione sacramentali fuerunt accepta.*

Dicitur 1° *obligatio;* inducta a triplici jure :

1° A jure naturali, quo tenemur stare promissis : pœnitens enim peccata sua declarat sub pactione tacita secreti, quod confessarius tacite spondet, hoc ipso quod audit confessionem. Præterea infamare proximum vetat jus naturale : sed ex revelatione confessionis factæ plerumque infamaretur pœnitens : ergo, etc.

2° A jure divino positivo : *Quia,* ut ait Synodus Senonen-

sis, ann. 1524, *eodem jure prohibetur revelatio confessionis, quo jure præcipitur ipsa confessio, quæ est de jure divino a Christo instituta; nam si licitum esset in aliquo casu sacerdoti revelare peccatum sibi dictum in confessione, enervaretur præceptum divinum de confessione facienda: quia nemo esset, qui vellet suum peccatum occultum propriæ famæ denigrativum sacerdoti detegere et revelare.*

3° A jure ecclesiastico, ut habetur in jure[1]: *Caveat omnino sacerdos, ne verbo, vel signo, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem.*

Hinc qui violat sigillum, triplex committit peccatum: unum injustitiæ erga pœnitentem, ratione fidelitatis promissæ; aliud sacrilegii contra reverentiam Sacramento debitam, et licet peccatum injustitiæ possit esse veniale ex levitate materiæ, tamen peccatum sacrilegii semper est mortale, cum sit graviter injuriosum Sacramento, quod reddit odiosum; tertium detractionis, si peccatum est occultum.

Dicitur 2° *indispensabilis;* quia hæc obligatio tanta est, ut, sine expresso consensu pœnitentis, nunquam, nequidem post mortem pœnitentis, nec ullo prorsus casu, nequidem periculi propriæ vitæ, vel gravissimi damni Reipublicæ, regni, vel animarum, liceat vel minimum peccatum, ex confessione cognitum, neque directe, neque indirecte, facto nimirum, vel signo aliquo detegere. *Ratio est,* quia infractio sigilli directe pugnat contra finem institutionis Christi, cum, ut ait Synodus Senon. citata, *talis revelatio peccati esset a præcepto de facienda confessione retractativa.* Quandoque tamen datur levitas materiæ in fractione indirecta, quando scilicet periculum est remotum.

Dixi *sine expresso consensu pœnitentis;* quia cum obligatio sigilli sit in favorem pœnitentis, potest cedere juri suo pœnitens, qui, cum non possit cedere juri complicis, nunquam dare potest facultatem revelandi peccatum ipsius. Porro talis consensus debet esse *expressus,* nec sufficit

[1] Cap. *Omnis utriusque sexus.*

interpretativus; alias confessio redderetur valde onerosa et odiosa.

Dices 1. Integritas confessionis est juris divini, et tamen potest quis in aliquo casu ab ea dispensari: ergo, licet sigillum sit juris divini, potest dari casus, in quo sacerdos potest ab eo dispensari.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod ex Scriptura et Traditione certum sit perfectam contritionem sufficere ad salutem sine confessione, quando urget necessitas: at neque ex Scriptura, neque ex Traditione habemus quod in aliquo casu possit infringi sigillum confessionis.

Dices 2. Obligatio servandi secreti naturalis cessat, dum ejus revelatio est necessaria ad impediendum grave damnum Reipublicæ vel innocentis: ergo in iisdem casibus cessat obligatio sigilli sacramentalis.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod grave damnum Reipublicæ vel innocentis sit majus malum quam revelatio secreti naturalis; proinde dum alterutrum imminet, non amplius urget obligatio secreti: at nullum est tam grave damnum, quod præponderet fractioni sigilli confessionis, quæ ex Dei præcepto necessaria est ad reconciliationem hominis cum Deo.

Inst. Bonum privatum debet cedere bono publico; atqui sigillum confessionis est in bonum privatum pœnitentis: ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Nam spectat totius Ecclesiæ commodum et salutem; unde malum quod ex ejus infractione in universam redundaret Ecclesiam, præponderat cuilibet bono, quod fingeretur posse inde sequi.

Dicitur 3° *in confessione sacramentali,* id est, in confessione ordinata ad absolutionem sacramentalem, etiamsi non recipiatur ob pœnitentis indispositionem, aut aliam causam.

Hinc 1° non oritur sigilli sacramentalis obligatio, sed solum naturalis, cum aliquis alteri aliquid tradit sub con-

fessionis sigillo; quia non pro libitu, sed ex sola confessione sacramentali oritur hæc sacra obligatio.

Hinc 2° Non contrahitur obligatio sigilli ex confessione quæ solum fit ex joco, vel ex intentione inducendi confessarium in peccatum, de qua intentione omnino certum esse necesse est. *Ratio est,* quia non est confessio sacramentalis.

Quæres 2. *Quinam teneantur ad sigillum?*

Resp. Ad sigillum tenentur omnes et singuli qui ex confessione sacramentali immediate vel mediate, licite vel illicite, verbis vel signis aliquam sigilli materiam noverunt. Tales sunt :

1° Confessarius etiam fictus, interpres, superior a quo postulata est licentia absolvendi a casibus reservatis, doctor qui fuit consultus a confessario : secus, probabilius, si sit a pœnitente.

2° Qui confessionali vicinus, etiam inculpabiliter aliquid audivit, vel qui ex vultu, aut gestu sive sacerdotis, sive pœnitentis quidpiam conjecturavit; imo, secundum multos, is qui alterius confessionem scriptam invenit, legit, vel legi audivit. *Ratio* horum est, quia res, ad quoscumque pervenit, cum onere suo transit.

Quæres 3. *Quid respondere debeat sacerdos qui a judice interrogatur de auditis in confessione?*

Resp. Debet simpliciter affirmare, etiam cum juramento, si opus sit, se nescire pœnitentem tale scelus commisisse, nec mentitur. *Quia,* ut ait Div. Thom.[1], *debet existimare, quod intentio præcipientis est, si sciat ut homo. Etsi etiam exprimeret de confessione interrogatus, non deberet dicere, quia non est subjectus superiori suo, nisi ut homo : hoc autem non scit ut homo, sed ut Deus,* id est, ut Dei minister, cujus vices gerit.

Quæres 4. *Quænam cadant sub sigillo ?*

Resp. Omnia omnino, etiam minima, quæ fuerunt sacra-

[1] In *Supplem.*, quæst. 11, art. 1, ad 2.

mentaliter deposita, et nata sunt reddere confessionem vel levissime odiosam; quia quidquid fuit sacramentaliter depositum, ab ipsomet Sacramento manet sigillatum.

Hinc 1° cadunt sub sigillo omnia peccata, sive mortalia, sive venialia, *saltem in specie;* sive secreta, sive publica, et omnes peccatorum circumstantiæ; imo et peccatorum objecta, ut si quis confiteretur se occidisse talem puellam gravidam, non solum homicidium, sed etiam graviditas puellæ caderet sub sigillo.

Dixi *saltem in specie;* quia sigilli non censetur infractor, qui pœnitentem venialia sibi confessum esse generatim dicit, cum nemo ad confessionem accedat, nisi saltem peccata venialia deponere velit; si tamen plurium confessiones exceperit, et dicat : *Talis mihi sola venialia confessus est,* tunc sigillum violat, quia tacite innuit alios sibi mortalia confessos fuisse.

2° Omnes defectus sive naturales, sive morales pœnitentis; *item,* ejus indispositio ad recipiendam absolutionem, pœnitentia imposita, abusus qui regnant in monasterio, capitulo, tali parochia, etc.

3° Peccata, imperfectiones, defectus complicis pœnitentis, aut cujusvis alterius personæ ex confessione cognitæ : horum enim omnium manifestatio de se nata est reddere confessionem exosam.

Quæres 5. *An confessarius extra confessionem possit loqui cum pœnitente de auditis in ejus confessione?*

Resp. Non posse, nisi ex consensu pœnitentis formali, expresso et omnimode libero; quia hæc agendi ratio pœnitenti est molesta.

Dixi *extra confessionem*, quia in confessione confessarius potest et quandoque debet objicere pœnitenti relapso, quod sibi non satis caveat.

Quæres 6. *An liceat extra confessionem uti notitia per confessionem acquisita?*

Resp. Licet, si possit fieri sine ullo pœnitentis grava-

mine, et indirecta sigilli infractione : secus, nunquam licet; ideo Clemens VIII mandat ut *superiores caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur,* decreto dato anno 1594.

Resolves 1. Posse confessarium orare pro pœnitente, emendare suam negligentiam, vel nimiam severitatem, quam ex confessione intelligit esse aliis nocivam; *item* recedere ab eo loco, in quo per confessionem novit sibi insidias, vel necem parari, et fugere, occasione aliunde suscepta; *item* abstinere a celebratione Missæ, cum novit per confessionem, vinum ad Missam paratum esse veneno infectum, modo tamen pœnitens inde nullo gravamine vel rubore afficiatur, ex quo Sacramentum redderetur odiosum.

Resolves 2. Non licere confessario, ob solum peccatum in confessione auditum, pœnitentem male habere; privare suffragio ad aliquem electionem, vel officio, quamvis sit ad nutum amovibile; famulum furem dimittere, repellere a Matrimonio innodatum impedimento dirimente per solam confessionem cognito, etc.

Dixi *ob solum,* etc.; quia si esset alia ratio legitima et extra confessionem cognita, sufficeretque ad hæc illis deneganda, confessarius posset illis denegare : *Ex multis aliis causis,* ait Div. Thom.[1], *redditur quis indignus ad prælationis officium, quam ex peccato, sicut ex defectu scientiæ, vel ætatis, vel alicujus hujusmodi : et ideo qui contradicit, nec suspicionem de crimine inducit, nec confessionem revelat.*

Quæres 7. *Utrum ipsemet pœnitens ad sigillum teneatur?*

Resp. Licet pœnitens habeat obligationem secreti naturalis circa ea, quæ revelare nequit sine injusto damno confessarii, aut contra rationabilem ejus voluntatem; tamen non habet obligationem sigilli sacramentalis, quod est in favorem solius pœnitentis.

Imo Gregor. XV, Bulla *Universi Dominici gregis,* data

[1] In *Supplem.*, quæst. 11, art. 1, ad 4.

anno 1023, jussit ut pœnitentes, quæ in tribunali pœnitentiæ ad turpia a confessariis sollicitantur, ipsos denuntient locorum Ordinariis, gravique censura notat confessarios qui docuerint non teneri pœnitentes ad talem declarationem faciendam.

Quæres 8. *An absolvi possit pœnitens renuens confiteri peccatum, quod ab eo fuisse commissum novit sacerdos extra confessionem?*

Resp. Si confessarius certo sciat delictum pœnitentis, vel quia vidit, vel audivit, vel accepit a duobus testibus omni exceptione majoribus, et nullam habeat rationem dubitandi pœnitentem sui peccati oblitum fuisse, vel alteri jam declarasse, vel justam habere causam illud reticendi, debet pœnitentem repellere; quia indigne petit absolutionem : atqui indigne petenti denegandum est Sacramentum.

Quod si illud peccatum resciverit ab uno tantum, vel a pluribus, sed non plena fide dignis, aut præsumpserit aliquam ex causis supra relatis adesse retinendi, potest et debet absolvere, quia pœnitens pro et contra se testificatur.

Quæres 9. *Quas pœnas incurrat infractor sigilli?*

Resp. Nullam ipso facto incurrere, sed, ex can. *Omnis utriusque sexus,* potest et debet a judice superiori *non solum a sacerdotali officio deponi, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudi.* Has pœnas esse solum ferendæ sententiæ manifestum est ex his verbis : *deponendum, detrudendum decernimus.*

Nota: Plures Theologi hic varias ad praxim inutiles congerunt quæstiones.

1° *Utrum sit de essentia confessionis, ut sit secreta?* Certum est enim, ex Trident.[1], Christum secretam confessionem instituisse, et publicam permisisse.

2° *Utrum confessio facta per litteras, aut internuntium absenti sacerdoti, et absolutio ab eo missa ad pœnitentem absentem, nulla sit, vel solum illicita?*

[1] Sess. 14, cap. 5.

Certum est enim, post decretum Clement. VIII, anno 1602, non tantum illicitam, sed et invalidam esse : nam, etsi jure divino non esset irrita, quod non admittimus, maxime quando absolutio datur absenti, ut diximus, cum egimus de forma pœnitentiæ : tamen Ecclesia præsentiam ministri et pœnitentis ita necessariam esse voluit, ut ejus defectu declaret inhabiles, et ministros ad absolutionem dandam, et fideles ad confessionem faciendam.

3° *Utrum confessio, quæ fit signis, vel scripto dato sacerdoti præsenti cum hac generali accusatione :* Accuso me de peccatis omnibus, quæ in hac charta legisti, *sit illicita et invalida?*

Certum est enim, extra casum necessitatis, esse illicitam, cum sit contra praxim Ecclesiæ universalem, et confessio talis non sit *fortis et lacrymabilis.* Non videtur tamen, quod sit invalida, cum semper sit vera confessio.

4° *Utrum ille qui non habet confessarium sui idiomatis, teneatur alteri confiteri per interpretem?*

Certum est enim, ex Div. Thom.[1], quod *quando non possumus uno modo, debemus, secundum quod possumus, confiteri;* et ideo qui, urgente præcepto, non potest per se confiteri, tenetur per interpretem, qui lege sigilli tenetur, sicut et ipse confessarius.

5° *Quid sentiendum de confessionibus quæ generales vel extraordinarias vocant?*

Certum est enim : 1° Quandoque illas esse necessarias ad præcedentes confessiones sacrilegas invalidasque reparandas.

2° Quandoque illas esse utiles, cum nempe fiunt humilitatis et fervoris causa, vel quando quæstio est de statu vitæ eligendo; in hoc tamen casu integritas materialis non est in præcepto.

3° Quandoque esse noxias, propter periculum scrupulos excitandi, vel inutiles narrationes iterum succernendi.

[1] *Supplem.*, quæst. 9, art. 3, ad 2.

CAPUT V

DE SATISFACTIONE.

Nota 1. Satisfactio, secundum vim nominis, est omnis actio qua quis facit quantum debet, sive solvendo debitum, sive respondendo expectationi de se conceptæ, sive etiam se defendendo et excusando in quantum potest. Hic vero pro solutione debiti contracti ex offensa Dei sumitur, et duplex est : *una*, quæ sponte a pœnitente suscipitur, estque actus virtutis pœnitentiæ; *altera*, quæ a confessario injungitur, estque pars integralis Sacramenti, et hæc

Definitur : *Voluntaria pœnæ a confessario injunctæ toleratio ad reparandam injuriam Deo per peccatum illatam, expungendamque pœnam temporalem.*

Dicitur 1° *voluntaria*, per acceptationem; coacta enim non posset Deo placere.

Dicitur 2° *pœnæ toleratio;* quia materia satisfactionis sunt opera pœnalia sive interna, sive externa, sive etiam aliunde præcepta ; quæ opera, ex Concil. Trident.[1], revocantur ad jejunium, eleemosynam et orationem : ubi

Nota 2. Per *jejunium* intelligitur omnis corporis afflictio.

Per *eleemosynam*, intelliguntur omnia opera misericordiæ, sive corporalis, sive spiritualis.

Per *orationem*, omnes actus religionis.

Dicitur 3° *pœnæ injunctæ a confessario;* quia hæc sola est sacramentalis.

Dicitur 4° *ad reparandam*, etc., ut ostendatur effectus satisfactionis proximus, quem effectum producit ex opere operato, cum satisfactio sit instituta a Christo ; eoque majorem illum vel minorem producit, quo major vel minor est pœnitentis dispositio. His positis,

Nota 3. Totum hoc caput duobus absolvemus articulis,

[1] Sess. 14, cap. 6.

in quibus resolvemus : 1° utrum satisfactio sit necessaria, 2° utrum confessarius debeat satisfactionem imponere et pœnitens eam acceptare. Deinde quasdam quæstiones ad satisfactionem spectantes solvemus.

ARTICULUS I.

UTRUM SATISFACTIO SACRAMENTALIS SIT NECESSARIA.

Negant Novatores, Lutherani et Calvinistæ asserentes : 1° dimissa culpa, totam pœnam dimitti ; 2° homines non posse Deo satisfacere per pœnas susceptas, vel a confessario injunctas, sed eas esse tantum utiles ad vitæ novæ custodiam et aliorum exemplum, contra quos

CONCLUSIO.

Remisso peccato quoad culpam, non semper remittitur tota pœna temporalis.

Prob. 1. *Exemplis* eorum qui, post condonatam sibi a Deo culpam et pœnam æternam, pœnis temporalibus fuere castigati.

1° Exemplo Israelitarum, qui in vindictam peccati obmurmurationis jam remissi ad precem Moysis, in deserto perierunt, et terra promissa exclusi sunt, dicente Domino Moysi : *Dimisi juxta verbum tuum... attamen... non videbunt terram pro qua juravi Patribus eorum*[1].

2° Exemplo Davidis, qui, post veniam impetratam sui adulterii et homicidii, fuit punitus morte filii : *Dominus*, ait Propheta, *transtulit peccatum tuum : verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur*[2].

Prob. 2. *Ex perpetua et constanti Patrum traditione* dicentium cum Gregor. Magno[3] : *Delinquenti Dominus nequa-*

[1] Num. XIV, 20, 22, 23. — [2] II Reg., XII. — [3] Lib. IX *Mor.* cap. XXXIV, alias XVII.

quam parcit, quia delictum sine ultione non deserit; aut enim ipse homo hoc in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Sic David, etc.

Ad hanc traditionem attendens, Concil. Trident.[1] definivit : *Si quis, post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, et reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ in hoc sæculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit, anathema sit.*

Prob. 3. *Ratione theologica* quam apprime suppeditat idem Tridentinum[2] dicens : Sanæ et divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab ea in gratiam recipiantur qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerunt, aliter vero qui semel a peccati et dæmonis servitute liberati, et accepto Spiritus Sancti dono, scientes templum Dei violare et Spiritum Sanctum contristare non reformidaverint; et divinam clementiam decet ne ita nobis absque ulla satisfactione peccati dimittantur, ut, occasione accepta, peccata leviora putantes... in graviora labamur.

Dixi *tota,* quia aliquando tam vehemens est contritio pœnitentis, ut plenam a Deo indulgentiam obtinet, et tota pœna remittatur.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Ezechiel cap xviii dicitur : *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis... vita vivet, et non morietur : omnium iniquitatum ejus non recordabor :* ergo Deus non punit ea peccata pœna temporali.

Resp. *Nego conseq.* Intelligitur enim ille textus de remissione, seu non recordatione peccati quoad culpam et pœnam æternam, ut constat ex his verbis : *vita vivet,* nempe vita supernaturali gratiæ, *et non morietur,* morte æterna; nam pœnitentia non præservat a morte temporali : hoc autem

[1] Sess. 6, can. 30. — [2] Sess. 14, cap. 8.

non impedit quin Deus recordetur peccati ad sumendum de eo aliquas pœnas temporales in satisfactionem, ut probavimus ex Scriptura, quæ Scripturæ non potest esse contraria.

Inst. 1. Sacramentum Pœnitentiæ tollit pœnam æternam: ergo etiam tollit pœnam temporalem, quæ est minor.

Resp. *Nego conseq.* Pœna æterna tollitur, deleto peccato quoad culpam, quia illa pœna est incompatibilis cum amicitia Dei, qua donatur homo pœnitens; pœna vero temporalis est compatibilis cum amicitia Dei, et ideo non necesse est ut remisso peccato tollatur.

Inst. 2. Pœna peccati mortalis est æterna : ergo, ea remissa, nulla remanet pœna temporalis.

Resp. *Nego conseq.* Quia pœna æterna mutatur in temporalem, hoc sensu quod peccator ante susceptionem Sacramenti erat dignus pœna æterna; suscepto vero Sacramento, vel elicito actu contritionis perfectæ, dignus est tantum pœna temporali, cum sit amicus Dei.

Inst. 3. Apostolus ait[1] : *Nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu;* at si superesset ipsis aliqua pœna luenda, aliquid damnationis ipsis foret : ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Nam per *damnationem* intelligit mortem æternam; at in homine justificato nihil remanet damnatione seu morte æterna dignum. Præterea ille textus litteraliter intelligitur de Baptismo, qui, cum sit Sacramentum *regenerationis,* culpam pariter et omne debitum pœnæ expungit : e contra, Pœnitentia est sacramentum sanationis, ad quam *sine magnis* fletibus et laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus, ait Concil. Trident.[2].

Objicies 2. Christus abunde pro nobis satisfecit : ergo superfluæ sunt nostræ satisfactiones.

Resp. *Nego conseq.* Utrumque enim verum est, et Christum pro nobis superabunde satisfecisse, et necessarias esse nostras satisfactiones, non quidem ut suppleatur aliqua

[1] Rom. VIII, 1. — [2] Sess. 14, cap. 2

insufficientia satisfactionum Christi, sed ut pretium illarum nobis applicetur; unde sunt conditio sine qua Christus non nobis applicaret meritum suæ passionis.

Inst. 1. Ergo remissio peccati non est gratuita; pugnat enim gratuita remissio cum obligatione luendæ pœnæ temporalis; atqui falsum consequens, dicit enim Apostolus[1]: *Justificati gratis, per redemptionem quæ est in Christo Jesu:* ergo, etc.

Resp. *Nego illatum.* Plena enim et gratuita censetur peccati remissio, cum præcipuum debitum, reatus scilicet culpæ et pœnæ æternæ, gratuito relaxatur, et insuper datur gratia pœnitentiæ, sine qua satisfactiones nostræ nullius essent ad vitam æternam valoris.

Objicies 3. Sublata causa, tollitur effectus; atqui culpa est causa omnis pœnæ : ergo, etc.

Resp. *Nego maj.* Quæ in multis deficit, v. gr., sublata est causa auxiliorum gratiæ, nempe mors Christi : ergo et auxilia gratiæ. Sublata est causa vulneris, ergo et vulnus; quæ conclusiones sunt evidenter falsæ.

Objicies 4. Div. Ambros.[2] ait : *Lacrymas Petri lego, satisfactionem non lego :* ergo, dimissa culpa, non remanet pœna temporalis.

Resp. *Nego conseq.* Div. enim Ambrosius per *satisfactionem* intelligit excusationem, addit enim : *quod defendi non potest.* Unde sensus est : Petrus agnovit crimen, non excusavit, non defendit.

CONCLUSIO II.

Pœnalis satisfactio non est tantum ad vitæ novæ custodiam, et aliorum exemplum, ut Novatoribus placet, *sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et satisfactionem pro pœna temporali peccatis quoad culpam remissis debita.*

Prob. 1. *Ex Scriptura.* Daniel. IV dicitur : *Peccata tua eleemosynis redime :* et Luc. III : *Facite fructus dignos pœ-*

[1] Rom. III, 24. — [2] Lib. X *in Luc.*, num. 88.

nitentiæ. ergo Scriptura, præter novitatem vitæ, exigit opera laboriosa, quibus inest vis redimendi peccata et quidem de *condigno*, si fiant ab homine justo.

Prob. 2. *Ex Div. August.* (ut alios Patres prætereamus[1]), qui dicit[2] : *Non sufficit mores in melius commutare, et a factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfaciat Deo per pœnitentiæ dolorem, cooperantibus eleemosynis.* Et serm. 57 *de Tempore*, addit : *Parum est peccatorem pœnitere, nisi pœnitentiam peregerit.* Ergo, ex ipso, pœnitentiæ laboribus, tanquam pretio oblato, nostra peccata redimuntur.

Hinc Concil. Trident.[3] definit : *Si quis dixerit, pro peccatis quoad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis, et patienter toleratis vel a sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis aut aliis pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam, anathema sit.*

Dices 1. Pœnitentia sacramentalis est tantum ad novæ vitæ custodiam, et exemplum aliorum : ergo ei non inest vis redimendi peccata.

Prob. ant. Ex Div. Chrysost., homil. *de Pœnitent.*, dicente : *Propter hoc imponit nobis pœnam, non de peccatis sumens supplicium, sed ad futura nos corrigens :* ergo est tantum ad vitæ novæ custodiam.

Resp. *Nego conseq.* Vult duntaxat Div. Chrysost. Deum nobis non imponere pœnas tantum ad vindictam, sed etiam ad nostram emendationem, ut patet ex verbis quæ antecedunt : *Ne peccantes*, ait, *et inulti manentes nos efficeremur deteriores, non remisit supplicium; propter hoc imponit pœnam*, etc.

Dices 2. Homo non potest satisfacere Deo : ergo, etc.

[1] Tertull., lib. *de Pœnit.*, cap. 6; Origen., hom. XV *in Levit.*; S. Amb., lib. VII *in Luc.*; S. Hieron., *in Joel.* — [2] Serm. L, inter L. — [3] Sess. 14, can. 13.

Prob. ant. Offensa Dei est objective infinita, satisfactio vero hominis plane finita : ergo homo non potest satisfacere Deo.

Resp. *Dist. conseq.* Non potest satisfacere Deo quoad pœnam temporalem, *nego;* quoad culpam et pœnam æternam, *subdist.* : ad strictos justitiæ apices, *conc.;* ex condigno, licet non quoad strictos justitiæ apices, *nego conseq.* Itaque si homo justus potest mereri de condigno vitam æternam, quidni poterit satisfacere de condigno pro pœna temporali peccatis debita?

ARTICULUS II.

UTRUM CONFESSARIUS POSSIT ET TENEATUR IMPONERE PŒNITENTIAM PŒNITENTI, ET PŒNITENS TENEATUR IPSAM ACCEPTARE.

CONCLUSIO I.

Confessarius potest et tenetur imponere pœnitentiam pœnitenti.

Conclusio est articuli præcedentis consectarium, et de fide quoad primam partem.

Prob. *Ex Concil. Trident* dicente[1] : *Debent sacerdotes, quantum Spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et pœnitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere; ne si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum pœnitentibus agant, lævissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem.*

Quam doctrinam deinceps[2] idem Concilium sanxit his verbis : *Si quis dixerit claves Ecclesiæ esse datas tantum*

[1] Sess. 14, cap. 8. — [2] Can. 15.

ad solvendum, non etiam ad ligandum, et propterea sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium et contra institutionem Christi, anathema sit.

Hinc patet : 1° Patres Concilii ratum habuisse in Ecclesia Christi semper custoditum fuisse claves Ecclesiæ a Christo fuisse concessas non tantum ad solvendum, verum etiam ad ligandum per salutares et convenientes satisfactiones; 2° Confessarium teneri, ut judicem et medicum, imponere pœnitentibus satisfactionem per se loquendo peccatis condignam; ut judici quidem incumbit illi pœnas infligere delictis commensuratas, et ut medico præscribere pharmaca idonea tam morbis contractis curandis quam in posterum vitandis.

Hinc notanda sunt hæc verba : *pro qualitate criminum, et pœnitentium facultate*, id est conditione, statu, ætate, sexu, valetudine, paupertate, imo et dispositione pœnitentis; unde S. Anton.[1] ait : *Debet confessor dare talem pœnitentiam, quam credat verisimiliter illum implere, ne ipsam violando deterius ei contingat.*

Ratio theologica resolutionis est, quia satisfactio est pars integralis Sacramenti; at minister, quantum potest, tenetur procurare integritatem Sacramenti : ergo, etc.

Objicies : Pœnitens potest sponte pœnitentiam assumere : ergo non necesse est ut imponatur a sacerdote.

Resp. *Nego conseq.* Quia voluit Christus ut imponatur, hoc ipso quod instituit sacramentum Pœnitentiæ per modum judicii punitivi. Deinde satisfactio a sacerdote injuncta operatur *ex opere operato;* suscepta vero *ex opere operantis* tantum. Quare Div. Thom.[2] de satisfactione a sacerdote injuncta, ait : *In ea operatur vis clavium, ita quod amplius valet ad expiandum peccatum, quam si proprio arbitrio homo faceret idem opus.*

Inst. Satisfactio non est pars materialis integralis Sacramenti : ergo non agit *ex opere operato.*

[1] 3 p., tit. XVI, cap. 21. — [2] *Quodl.* 3, p. 12, art. 1.

Prob. ant. Materia Sacramenti debet præmitti formæ; atqui satisfactio non præmittitur formæ : ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Materia essentialis, *conc.;* integralis, *nego maj.;* satisfactio actualis est tantum pars integralis Sacramenti, sed acceptio satisfactionis et voluntas satisfaciendi est essentialis; unde præmittitur formæ, ut omnia præscribunt Ritualia.

CONCLUSIO II.

Pœnitens tenetur pœnitentiam a confessario injunctam acceptare.

Prob. Ex can. *Omnis utriusque sexus*, ubi dicitur : *Omnia sua peccata confiteantur fideliter et injunctam sibi pœnitentiam studeant pro viribus adimplere.*

Ratio est, quia obligatio præcipiendi et debitum obediendi sunt essentialiter correlativa, adeo ut unum sine altero esse nequeat : ergo si gravis sit confessarii obligatio pœnitentiam imponendi, gravis est pœnitentis eamdem acceptandi.

Objicies : Sententiam judicis arbitri nemo tenetur acceptare et exequi; atqui sacerdos est judex arbiter : ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Quia Sacerdos non est arbiter habens potestatem judicandi ex electione pœnitentis, sed ex sua ordinatione et Ecclesiæ auctoritate.

Inst. Is cui aliquis se submittit libere, est judex arbiter; atqui pœnitens confessario se submittit libere : ergo, etc.

Resp. *Dist. maj.* Is cui aliquis se submittit libere ita ut ejus sententiæ refragari possit, est judex arbiter, *conc.;* secus, *nego maj.;* at licet pœnitens se libere submittat alicui confessario in particulari, ipsumque præ cæteris eligat, tamen non potest ejus sententiæ refragari, cum agat nomine et auctoritate Dei.

Solvuntur quædam quæstiones Satisfactionem spectantes.

Quæres 1. *Quotuplex sit satisfactio sacramentalis?*

Resp. Duplex : vindicativa et medicinalis.

Vindicativa est ea quæ datur præcise ad præterita peccata vindicanda... *Medicinalis* est quæ datur præcipue ad peccata in posterum præcavenda.

Quæres 2. *Quænam sint satisfactiones medicinales?*

Resp. Sunt eæ quæ peccatorum causas ad radices resecant, malos habitus tollunt, occasiones peccandi removent, et pœnitentis emendationem pariunt. Quare Rituale Romanum ait : *Contrarias peccatis pœnitentias injungat confessarius, velut avaris eleemosynas; libidinosis jejunia, vel alias carnis afflictiones; superbis humilitatis officia; desidiosis devotionis officia,* etc.

Circa has pœnitentias unusquisque videat Rituale diœcesis, in qua commoratur : hic tamen, ex instructione quam S. Carolus Borromæus dat confessario in *Instruct. Sacramenti Pœnitentiæ,* aliquid referre necessarium duxi in gratiam confessariorum, qui librum instructionum non habent.

Pœnitentiam, inquit, *injunget* (confessarius) *pro culpæ et personæ ratione;* ita ut superbis humilitatis opera, etc.

Atque hæc quidem pœnitentiæ genera a sanctis viris accepta, ecclesiasticæque disciplinæ interpretibus, pro peccatorum ratione adhiberi poterunt.

Ut pœnitens vestium sericarum usu, auri ornamento, conviviorum apparatu, venatione aliquo certo tempore abstineat.

Ut egentibus hominibus cibum suppeditet ac ministret; pedes item lavet.

Ut peregrinos, pro facultatum ratione, hospitio excipiat.

Ut in publica domo hospitali, locove pio aliquot dies operam navet.

Ut visitet qui in carcere sunt, eosdem consoletur, et cum per facultates potest, alat certo præstituto tempore.

Ut se per aliquot dies in monasterium aliquod, aliumve semotum locum abdat, ubi pœnitens vivat.

Ut aliquot diebus carne aut vino item abstineat.

Ut certis diebus, præsertim feria quarta, sexta et sabbato jejunet : vel etiam vescatur solum pane, et aquæ potu utatur.

Ut certo aliquo tempore non equitet.

Ut, si facultates suppetunt, certam pecuniæ, aut frumenti, aut vini quantitatem in eleemosynam pauperibus Christi conferat.

Ut genibus flexis, aut etiam brachiis extensis in modum crucis, certo tempore et hora præfinita, ante crucem aliamve sacram imaginem in ecclesia oret.

Ut humi aliquandiu jaceat, cubetve.

Ut flagella certis præscriptis diebus sibi adhibeat.

Ut cilicium aliquot dies induat.

Ut religiosam aliquam peregrinationem suscipiat, sancteque conficiat.

Ut statutos Psalmos pœnitentiales, aliasque pœnitentiales preces pie recitet aliquot dierum spatio.

Ut certas ecclesias, puta stationales, vel præcipuæ devotionis visitet.

Cæterum confessarius debet inprimis curare ut pœnitentiæ sint medicinales et præservativæ, maxime quæ retrahant pœnitentem ab occasione proxima et prava consuetudine. Sciatque quod satis rationabilis sit causa non imponendi gravem pœnitentiam indispositio pœnitentis, memor hujus S. Antonini[1] : *Etsi sacerdos non potest gaudere de omnimoda purgatione ejus* (pœnitentis) *saltem gaudeat quod liberatum a gehenna transmittit ad purgatorium.* Hinc S. Thomas de Villanova[2] : *Hoc judicio meo ita proficies, si facilem unam* (pœnitentiam) *injunxeris, acriorem consuleris.*

Quæres 3. *An per illa verba* : Quidquid boni feceris et

[1] 3 p., tit. XVI, cap. 20. — [2] Serm. fer. VI post Dom. *Lætare.*

mali sustinueris, *eleventur ad effectum satisfactionis omnia bona opera pœnitentis, licet non imposita?*

Resp. *affirmat.* cum communi post S. Thomam[1]. Ratio, quia Ecclesia non frustra, sed ad hoc præcipit illa verba proferri.

Quæres 4. *An pro pœnitentia imponi possit opus alias debitum?*

Resp. *affirm.* Nam Ecclesia potest imponere quidquid est bonum opus meritorium et pœnale; atqui opus alias debitum non cessat esse meritorium et pœnale, et consequenter satisfactorium : ergo, etc.

Hoc tamen non expedit passim fieri, sed spectata solum fragilitate pœnitentis, vel maxime ad retrahendum illum a prava consuetudine, et assuefaciendum in præceptis implendis.

Hinc, nisi pateat intentio confessarii vel per verba, vel ex circumstantiis, aut natura operis, non censetur imposuisse opus alias debitum.

Quæres 5. *An si pœnitens post absolutionem statim deferat aliud peccatum, necesse sit illi novam imponere pœnitentiam?*

Resp. *affirm.* Nam cum nova requiratur absolutio, ut dictum est supra, nova etiam requiritur satisfactio : sed, etsi possit opus alias debitum imponi pro satisfactione, non potest tamen eodem titulo satisfactionis sacramentalis . ergo. Ita S. Ligor., Bonac., Croix, etc.

Quæres 6. *Quandonam pœnitens teneatur implere pœnitentiam?*

Resp. Tenetur implere tempore a confessario præscripto; nam determinatio temporis in præcepto includitur. Hinc quando blasphemis, v. gr., imponitur ut subito terram osculentur, aut eleemosynam erogent, aut brevem recitent orationem, tenentur statim, blasphemia prolata, illam pœnitentiam exequi.

[1] *Quodlib.* 3, art. 8.

Quod si tempus non fuerit a confessario determinatum, tenetur pœnitens ipsam implere quamprimum commode fieri potest; adeo ut, qui illam ex gravi negligentia notabiliter differret, mortaliter peccaret; nam integritas Sacramenti, ratio debiti et medicinæ quam continet pœnitentia, executionem celerem exigunt.

Dicendum tamen quod si abesset periculum relabendi, dilatio quindecim diebus, vel etiam uno mense minor, non esset mortalis, prout fert sententia communis.

Quæres 7. *Utrum pœnitens satisfactionem sacramentalem implere possit in statu peccati mortalis?*

Resp. *cum distinctione.* Vel satisfactio est compossibilis cum peccato, in quod relabitur vel non. *Si primum,* ut quando jejunium, eleemosyna injungitur pro satisfactione sacramentali, huic satisfit etiam post relapsum in peccatum *Si secundum,* tunc pœnitens satisfactionem non implet, sicuti cum injunctus est actus charitatis per aliquot dies, intereaque odium concipitur a pœnitente cum proximo suo, injunctæ non satisfacit pœnitentiæ, quia incompossibilis est cum peccato commisso.

Curandum est tamen ut impleatur in statu gratiæ; quia alias impediretur effectus secundarius pœnitentiæ, nimirum satisfactio pro pœna temporali, cum solus justus, et amicus Dei ipsi possit satisfacere, ideoque plures id habent ut veniale.

Quæres 8. *Utrum pro culpis gravibus possit injungi pœnitentia gravis, sed sub levi obligatione?*

Resp. *affirm.* Ut tenet communior sententia. Ratio, quia vis obligandi oritur ex intentione legislatoris; atqui confessarius pœnitentiam imponit quatenus est legislator in sacro tribunali : ergo, etc.

Hoc tamen passim fieri non debet, nisi in casu intensissimæ contritionis, vel infirmitatis, vel quando id clare postulat bonum spirituale pœnitentis.

Quæres 9. *An pœnitens suæ pœnitentiæ immemor ie-*

neatur repetere confessionem ut novam recipiat pœnitentiam?

Resp. *Probabilius negat.* Quia ex una parte non tenetur iterum confitendi peccata quæ directe fuerunt remissa; ex altera parte, quia nihilominus non obtineretur scopus intentus : nam vel novam reciperet absolutionem, vel non; *si prius,* nova pœnitentia esset utique hujus posterioris Sacramenti pars, non autem prioris; *si posterius,* hæc nova pœnitentia non esset pars prioris Sacramenti, siquidem, Sacramento judicioque transactis, sacerdos jam non est minister, neque judex, neque legislator : ergo, etc.

Quæres 10. *Utrum possit injungi pœnitentia applicanda aliis, v. gr. defunctis?*

Resp. *affirm.* Quia non applicatur secundum valorem quem habet ex opere operato, sed secundum eum quem habet ex opere operantis.

Quæres 11. *An pœnitentia possit per alium persolvi?*

Resp. Non potest, quia, ex Concil. Trident., satisfactio debet esse actus pœnitentis; pœnitentia autem ab alio impleta non est actus pœnitentis : ergo, etc. Hinc Alexand. VII hanc proposit. damnavit : *Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.*

Ubi notanda sunt hæc verba : *propria auctoritate :* confessarius enim ex justa causa potest pœnitenti concedere ut pœnitentiam *vindicativam* ex parte impleat per alium, quam opinionem probat *communio Sanctorum,* juxta quam unus pro alio satisfacere potest, dummodo sit in charitate, ut opera ejus satisfactoria esse possint.

Dixi *vindicativam;* nam si pœnitentia sit medicinalis, quæ nimirum pœnitenti præscribitur ad sanandos pravos animi affectus, nec de licentia confessarii potest persolvi per alium, quia medicina ab uno sumpta non potest alteri prodesse; neque enim ex jejunio unius caro alterius domatur, nec ex actibus unius alius bene agere consuevit.

Nota. Quod si ageretur de satisfactione extrasacramentali, sibi meretur agens, sed non sibi satisfacit. Ratio est, quia in solutione debiti attenditur quantitas pœnæ, dicit S. Thomas[1], et in merito, charitatis radix. Et ideo qui ex charitate meretur, saltem merito congrui sibi meretur; non autem qui pro alio satisfacit, quia illa quantitas pœnæ non sufficit ad utrumque peccatum.

Quæres 12. *An pœnitentia ab uno confessario imposita possit ab alio mutari?*

Resp. Ob justam et evidentem causam potest mutari in tribunali pœnitentiæ, sive ab eodem, sive ab alio confessario[2], ubi dicitur : *Ad illud, quod ultimo quærebatur, utrum sacerdotes possint facere commutationes jejuniorum, vel alterius satisfactionis ad petitiones ipsorum pœnitentium, credo quod sic, dum tamen discrete, et propter causam et circa subditos suos; alias non.*

Dixi 1° *ob justam et evidentem causam :* v. gr. si imposita fuerit, *clave errante,* vel quia fuit imprudentissime imposita, vel excessus est notabilis, vel circumstantiæ ita sunt mutatæ, ut pœnitentem efficiant pœnitentiæ adimplendæ impotentem.

Dixi 2° *sive ab eodem, sive ab alio confessario;* quia uterque parem habet jurisdictionem. Si tamen pœnitentia sit pro reservatis imposita, tunc nec licite nec valide potest mutari, nisi a sacerdote, qui in reservata habet jurisdictionem.

Dixi 3° *in tribunali Pœnitentiæ;* quia hæc mutatio est actus judicialis ; ergo debet exerceri in tribunali, et quidem cum cognitione causæ, ut plures volunt ; unde dicunt pœnitentem, qui alium adit confessarium, ut immutetur pœnitentia imposita, debere ipsi peccata sua saltem graviora iterum declarare ; idem præstare debet, qui eumdem adit confessarium non amplius memorem peccatorum, pro quibus pœnitentiam imposuit.

[1] 3 p., quæst. 13, art. 3, ad 3. — [2] Can. *Presbyter.*, dist. 81.

Alii vero satis probabiliter negant existentiam hujus obligationis, quia in commutatione non instituenda est præcise comparatio inter peccata et satisfactionem, sed inter qualitatem pœnitentiæ et impotentiam pœnitentis, quod judicium bene fit quin repetatur confessio.

Nota : Facta commutatione, semper potest pœnitens eligere primam pœnitentiam, ut communiter tenent doctores.

Quæres 13. *Utrum necesse sit necessitate Sacramenti, ut satisfactio ante absolutionem implcatur?*

Resp. *negat.* Sed perinde est, sive ante, sive post absolutionem impleatur ; constatque :

1° Ex praxi Ecclesiæ, quæ in assignandis naturis Sacramentorum errare non potest.

2° Auctoritate Summorum Pontificum Sixti IV, qui hanc Petri de Osma doctrinam damnavit : *Pœnitentes non sunt absolvendi, nisi peracta prius pœnitentia eis injuncta;* et Alexand. VIII, qui inter plures propositiones hanc damnavit: *Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit, non politia aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex et præscriptio, natura rei idipsum quodammodo dictante.*

Per illam praxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus.

Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, et multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

Cum vero Quesnellus eamdem doctrinam renovasset prop. 87ª : *Modus plenus sapientia, lumine et charitate est dare animabus tempus portandi cum humilitate, et sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ et contritionis, et incipiendi ad minus satisfacere justitiæ Dei antequam reconcilientur*, Clemens XI eam denuo profligavit[1]. Post hæc tamen pseudosynodus Pistoriensis non verita est eumdem errorem instaurare propos. 35ª, quam

[1] In *Const.* data anno 1470.

Pius VI, in Constitut. dogmatica *Auctorem fidei*, iterum confixit.

3° Quia satisfactio in re est tantum pars integralis Sacramenti : ergo non debet necessario præmitti parti essentiali, qualis est absolutio.

Quæres 14. *Quid sit pœnitentia canonica?*

Resp. Ea est quæ per Canones pro certis peccatis erat decreta, et quæ quatuor stationes decurrendas complectebatur, nempe : fletus, auditionis, substrationis et consistentiæ.

Fletus erat statio eorum qui, ab ingressu ecclesiæ exclusi, sacco induti et cinere conspersi, extra portam ecclesiæ genibus provoluti, fideles templum ingredientes orabant, ut apud Deum et Ecclesiam pro ipsis intercederent.

Auditio erat statio eorum qui, intra portas ecclesiæ, post catechumenos admittebantur ad audiendas divinas Scripturas et conciones, quibus peractis, exire tenebantur cum catechumenis ante mysteriorum celebrationem.

Substratio erat statio eorum qui, intra templi ambitum, nempe a portis usque ad ambonem, substrati et genuflexi, varias manuum impositiones suscipiebant, multisque pœnis ac laboribus onerabantur et castigabantur, postea, cum cathecumenis ab ecclesia pellebantur.

Consistentia erat statio eorum qui, cum populo fideli, ad finem usque Sacrificii persistebant, sed Eucharistiæ perceptione erant privati.

Quæres 15. *Utrum pœnitentibus imponi possit pœnitentia canonica?*

Resp. *negative.* Quia jamdiu ab Ecclesia sublata est.

Quæres 16. *Quotuplex sit pœnitentia publica?*

Resp. Duplex, nempe : *publica cum solemnitate,* v. gr., stando ad fores ecclesiæ cum cereo accenso; et *publica sine solemnitate,* peracta scilicet coram iis qui scandalum passi sunt, v. gr., ut quis retractet calumnias, sermones contra fidem, religionem, bonos mores, etc.

Quæres 17. *An imponi possit et debeat pœnitentia publica?*

Resp. 1. Pro peccatis occultis nulla debet imponi pœnitentia publica, quia est contra praxim Ecclesiæ et infamativa pœnitentis.

Resp. 2. Possunt et debent interdum publici et scandalosi peccatores a solo Episcopo, vel de solius Episcopi consilio et auctoritate obligari ad aliquam pœnitentiam cum solemnitate publica; ita Concil. Trident.[1] dicit: *Apostolus monet publice peccantes palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice et in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos, commotosque fuisse non sit dubitandum : huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publice injungi oportet... Episcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire.* Soli ergo Episcopo reservata est illa commutatio, nec ab inferioris ordinis sacerdotibus fieri potest absque licentia Episcopi. Hæc Concil. Trident. disciplina recepta est in Conciliis provincialibus Gallicanis post Tridentinum celebratis : Burdigalensi, an. 1583[2]; Bituricensi, an. 1584[3]; etc.

Resp. 3. Pœnitentia publica sine solemnitate potest et debet imponi pœnitentibus : nam scandalum necessario tolli debet, et injuria illata reparari.

Nota tamen. 1° Non esse permiscendam, ut passim permiscent Jansenistæ, pœnitentiam *sacramentalem,* sive secreta sit, sive publica ut supra, a Christo præcepta, omnibusque necessaria, et pœnitentiam *canonicam* seu *cæremonialem,* quæ, utpote disciplinaris, nec perpetua, nec constans, sed diversa fuit pro diversitate temporum, locorum, circumstantiarum, ac denique penitus antiquata.

2° Non esse pariter confundendam, prout idem novatores et pistorienses confundunt, pœnitentiam *canonicam* cum *publica,* quæ a simplici sacerdote imponi potest, et

[1] Sess. 14, cap. 8. — [2] Cap. 12 *de Pœnit.* — [3] Can. 11.

semper viguit in Ecclesia Dei, ut patet ex præfato Concil. Trident.

3° Pœnitentiam vero *canonicam,* nonnisi sæculo tertio labente ex occasione hæresis novatianorum institutam fuisse, et adversus tria tantum crimina, nimirum idololatriam, mœchiam et homicidium; nec omnibus indiscriminatim, sed certis tantum individuis in jus adductis et juridice convictis imponebatur.

4° Accurate secernendam esse praxim Ecclesiæ universalis circa pœnitentiam *canonicam* a praxi et disciplina ecclesiarum particularium. Nunquam enim universalis Ecclesia *suos* fecit canones qui vulgo *pœnitentiales* nuncupantur : nam, excepto Concilio Nicæno I, quod tres canones edidit contra solos apostatas a religione christiana, et lapsos in idololatriam, nullum aliud œcumenicum Concilium invenies quod canones pœnitentiales fecerit.

5° Pœnitentiam, qualis nunc viget, ut notat Petavius, magis esse consonam temporibus apostolicis, quam illa quæ postea invaluit, a sanctis quidem Episcopis instituta cum majori vel minori severitate, pro temporum necesitate et indole populorum pro quibus fuerat constituta. Hæc dicta sint pro minus cautis, qui fraudibus Ecclesiæ perturbatorum decepti, specie zeli antiquam disciplinam ad cœlos extollunt; præsentis vero Ecclesiæ deplorant tenebras et labefactatam fidem, quasi Ecclesia Dei senesceret, et vera non esset sponsa Christi, qui semper renovat juventutem suam.

Quæres 18. *Utrum utile sit confessario noscere Canones Pœnitentiales?*

Resp. *affirm.* Nam Div. Carolus, *in instruct. Confessorum,* dicit : *Quando pœnitentiam canonibus antiquis præscriptam non imponet,* (confessarius) *eam tamen pœnitenti significabit, ut ad contritionem eum moveat, et leviorem injunctam pœnitentiam ipse ardentius exequatur, motus videlicet ex hodiernæ Ecclesiæ benignitate, qua antiquioris disciplinæ rigor mitigatur.*

Ideo illos Canones, a S. Carolo ex variis collectionibus descriptos, ac pro ratione Decalogi dispositos, hic exhibere operæ pretium duxi in favorem confessariorum, quorum plures id a me petierunt, ut in tomulo portatili eos semper præsentes habere possint.

CANONES POENITENTIÆ

Spectantes peccata contra I Decalogi præceptum commissa.

Qui a fide catholica desciscens, intimo summoque prævaricationis suæ dolore affectus, ad Ecclesiam redierit, pœnitentiam aget annis 10.

Qui dæmoni immolaverit, in pœnitentia erit annis 10.

Qui, more gentilium, elementa coluerit; qui, vel in segetibus faciendis, vel ædibus extruendis, vel arboribus serendis, vel nuptiis contrahendis, inanem signorum fallaciam observaverit, pœnitentiam aget annos duos, feriis legitimis.

Nota. Feriæ legitimæ, *sunt secunda, quarta et sexta, canonum legibus, pœnitentiæ jejuniique in pane et aqua consecratæ.*

Qui cum Judæo cibum sumpserit, pœnitens erit decem dies, pane et aqua victitans.

Qui auguriis et divinationibus servierit, quive incantationes diabolicas fecerit, pœnitens erit annos septem.

Mulier incantatrix pœnitentiam aget annum; vel, ut alio canone cavetur, annos septem.

Qui herbas medicinales cum incantationibus collegerit, pœnitentiam aget dies viginti.

Qui magos consuluerit, quive domum suam conduxerit, aliquid arte magica exquirendi causa, in pœnitentia erit annos quinque.

Qui ædes magicis cantionibus lustrat, aliudve tale admittit, et qui ei consentit, quive consulit, in pœnitentia erit annos quinque.

Qui tempestatum immissor erit, pœnitentiam aget annos septem, tres in pane et aqua; qui vero crediderit, participesve fuerit, annum unum per legitimas ferias.

Si quis ligaturas aut fascinationes fecerit, pœnitens erit annos duos per legitimas ferias.

Si quis sortilegus fuerit, pœnitentiam aget dies quadraginta.

Si quis in codicibus, aut in tabulis, sorte ducta, res futuras requisierit, pœnitens erit dies quadraginta.

Respiciens furta in astrolabio, annis duobus.

Si quis clericus, vel monachus, postquam Deo voverit, ad sæculum redierit, pœnitentiam aget annos decem, quorum tres in pane et aqua.

Canones spectantes peccata contra II Decalogi præceptum.

Quicumque sciens pejeraverit, 40 dies in pane et aqua, et septem sequentes annos pœniteat, et nunquam sit sine pœnitentia, et nunquam in testimonium recipiatur; et post hæc communionem recipiat.

Qui perjurium in Ecclesia fecerit, pœnitentiam aget annos decem.

Qui sciens pejerat domini impulsu, pœnitens erit quadragesimas tres, et ferias legitimas; dominus autem, quia præcepit, quadraginta dies in pane et aqua, et septem sequentes annos.

Si quis sciens pejeraverit, aliosque in perjurium induxerit, pœnitens erit dies quadraginta in pane et aqua, et septem sequentes annos; et tot perjuria jejunabit, quot homines in perjurium induxerit.

Si quis per cupiditatem perjurium fecerit, carinam in pane et aqua jejunet : *item*, si quis per cupiditatem pejeraverit, omnes res suas vendet, et pauperibus distribuet, et monasterium ingressus jugi se pœnitentiæ subdet.

Nota : Carina, *vocatur jejunium in pane et aqua per*

40 *dies; dicitur ab aliis*, carena, carentena, et quadragena.

Si quis coactus, necessitateque aliqua impulsus, perjurium commiserit, in pœnitentia erit quadragesimis tribus.

Item, si quis coactus pejeraverit, pœnitens 40 diebus pane et aqua victitet, ac præterea omnibus sextis feriis.

Si quis seductus, ignorans, et postea cognoscit, pœnitentiam aget annum unum, vel quadragesimas tres, vel dies quadraginta.

Qui compellit alium, ut falsum juret, 40 dies in pane et aqua, et septem annos in pœnitentia erit.

Si quis jusjurandum, quo se regi et domino suo adstrinxerit, violaverit, in monasterio pœnitentiam aget omnibus diebus vitæ suæ.

Si quis se jurejurando obstrinxerit, ut cum aliquo litiget, nec pacem cum eo reconciliet, pœnitentiam aget dies 40, in pane et aqua, per annum a sacra communione segregatus : ad charitatem vero celeriter redeat.

Si quis per capillum Dei, aut per caput ejus juraverit, si semel nesciens fecerit, pœnitens aqua et pane septem dies victitet; si secundo ac tertio monitus idem fecerit, dies quindecim.

Si per cœlum, aut per aliam aliquam creaturam, dies item quindecim.

Si quis blasphemat, tamdiu pœnitens erit, quamdiu impœnitens permansit.

Si quis Deum, vel B. Mariam Virginem, vel aliquem sanctum publice blasphemaverit, pro foribus ecclesiæ diebus Dominicis septem, in manifesto, dum Missarum solemnia aguntur, stet : ultimoque ex illis die, sine pallio et calceamentis, ligatus corrigia circa collum, septemque præcedentibus feriis sextis in pane et aqua jejunet, ecclesiam nullo modo tunc ingressurus. Singulisque item septem illis diebus Dominicis, tres aut duos, aut unum pauperem pascat, si potest; alioquin alia pœnitentia afficiatur, recusans.

Ecclesiæ ingressu interdicatur; in obitu ecclesiastica careat sepultura; dives a magistratu mulctetur pœna solidorum quadraginta, alioquin triginta, seu viginti.

Canones spectantes peccata contra III Decalogi præceptum.

Qui opus aliquod servile die Dominico festoque fecerit, pœnitentiam aget tres dies in pane et aqua.

Qui die Dominico opus terrenum fecerit... dies septem pœnitentiam aget.

Si quis ante ecclesias, vel die festo saltationes fecerit, emendationem pollicitus, pœnitentiam aget annis tribus.

Si quis pransus Missæ interfuerit, pœnitens erit dies tres in pane et aqua.

Si quis sacram comunionem sumpserit post aliquam vel minimam degustationem, pœnitentiam aget dies decem in pane et aqua.

Si quis in ecclesia confabuletur, cum divina fiunt, pœnitens erit dies decem in pane et aqua.

Si quis jejunia a sancta Ecclesia indicta violaverit, pœnitentiam aget dies viginti in pane et aqua.

In Quadragesima carne, sine inevitabili necessitate, vescens, in Paschate non communicet, ac præterea a carne abstineat.

Qui in Quadragesima jejunium violaverit, pro una die pœnitentiam aget dies septem.

Si quis jejunium quatuor Temporum non custodierit, pœnitens erit dies 40 in pane et aqua.

Canones spectantes peccata contra IV Decalogi præceptum.

Qui parentibus maledixerit, quadraginta dies pœnitens sit in pane et aqua.

Qui parentes injuria affecerit, tres annos.

Qui percusserit, annos septem.

Qui expulerit, tamdiu pœnitens, quamdiu in impietate permanserit.

Si quis contra Episcopum, pastorem, et patrem suum insurrexerit, in monasterio omnibus diebus vitæ suæ pœnitentiam aget.

Si quis contra Episcopum conspiraverit, gradu suo amovebitur.

Si quis Episcopi sui, aut ministrorum ejus, vel parochi sui præcepta contempserit, vel irriserit, pœnitentiam aget dies 40 in pane et aqua.

Canones spectantes peccata contra V Decalogi præceptum.

Qui presbyterum occiderit, pœnitentiam aget annos duodecim.

Si quis presbyter presbyterum occiderit, pœnitentiam aget annos viginti octo.

Si quis presbyterum armis contra se irruentem occiderit, pœnitens erit annos decem.

Si quis patrem aut matrem, fratrem aut sororem occiderit, toto vitæ suæ tempore non suscipiat corpus Domini, nisi in obitu : abstineat a carne et vino, dum vixerit; jejunet secunda, quarta et sexta feria; si autem nolenti accidit, decem annis pœniteat judicio sacerdotis.

Qui voluntarie filium suum aut filiam suam, vel germanum aut germanam suam occiderit, quinque annis extra metas ipsius terræ exsul fiat; deinceps viginti annis pœniteat.

Quæ mulier filios suos necarit, peracta septenni pœnitentia, in monasterium detrusa, monasticam vitam perpetuo regulariter aget.

Si quæ mulier, post partum, filium, filiamve sponte interfecerit, pœnitentiam aget annos duodecim, et nunquam erit sine pœnitentia.

Paupercula, si ob difficultatem nutriendi id fecerit, annos septem.

Si quæ mulier sponte abortum fecerit, pœnitentiam aget tres annos; si nolens, quadragesimas tres.

Item, mulier partum suum perdens voluntarie ante quadringinta dies, pœnitens erit annum unum; si post quadraginta dies, annos tres; si vero postquam editus est in lucem, tamquam homicida.

Quæ, sceleris occultandi causa, filium necarit, pœnitentiam aget annos decem.

Qui nolens filium oppresserit, si post baptismum, pœnitentiam aget dies 40 in pane et aqua, oleribus et leguminibus: abstinebit ab uxore dies totidem; deinde pœnitens erit tres annos per legitimas ferias. Si ante baptismum, 40 dies, ut supra, et quinquennii præterea pœnitentiam explebit.

Cujus parvulus sine baptismo negligentia moritur, tres annos pœniteat, unum in pane et aqua.

Cujus filius sine confirmationis sacramento moritur, parentes, quorum negligentia id factum est, pœnitentiam agent annos tres.

Si quis, explendæ causa libidinis, vel odii meditatione, ut non ex eo soboles nascatur, homini aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non possit generare, aut concipere, homicida teneatur.

Qui uxorem occiderit, aut monasterium ingrediatur pœnitentiam perpetuam acturus, aut cuncta negotia secularia dimittens, perpetuo abstineat a carne, sagimine, vino, medone, mellina, cerevisia, exceptis diebus Resurrectionis et Nativitatis Domini, uxorem non ducat, etc., in fine tantum vitæ Eucharistiam accipiat.

Si mulier maritum suum, causa fornicationis, venena interfecerit, aut quacumque arte perimere faciat, sæculum relinquat, et in monasterio pœniteat.

Qui mortem sibi consciverit, pro eo nulla in Missa commemoratio fiat, neque cum Psalmis cadaver ejus sepeliatur.

Si quis sponte hominem occiderit, ad januam ecclesiæ semper erit; et in obitu communionem recipiet : si casu necarit, pœnitentiam aget annos septem.

Si quis hominem necare voluerit, neque hoc scelus patrare potuerit, ut homicida pœnitentia afficietur.

Si quis per iram subitam, aut per rixam, hominem necaverit, pœnitentiam aget annos tres.

Si quis, jussu domini, homcidium perpetrarit, dies 40 in pane et aqua, et præterea septem annos sequentes per legitimas ferias jejunabit.

Qui homicidii auctor fuit, ob consilium quod dedit, erit in pœnitentia quadraginta dies in pane et aqua, cum septem sequentibus annis.

Si quis sine causa homicidium fecerit, pœnitens erit quadraginta dies in pane et aqua; quinquennio communione privabitur; a cibis abstinebit arbitrio sacerdotis.

Qui homicidio, quod postea factum est, consenserit, pœnitentiam aget annis septem; tres in pane et aqua.

Si quis aliquem vulneraverit, vel ei aliquod membrum præciderit, pœnitentiam aget decem annorum per legitimas ferias : si cicatrix gravis est, et vulneratum deformem reddit, quadraginta etiam dies pœnitebit in pane et aqua.

Si quis ictum proximo dederit, nec nocuerit, tridui pœnitentiam aget in pane et aqua; clericus, unius anni, et mensium sex.

Si quis aliquem per iram percutiens, debilitaverit, soluta medicamenti impensa, si laicus est, pœnitens erit quadraginta dies in pane et aqua : si clericus, duas quadragesimas : si diaconus, septem mensibus : presbyter, uno anno.

Si quis fratri suo, quem oderit, reconciliari non vult, tamdiu in pane et aqua pœnitentiam aget, donec reconcilietur.

Canones spectantes peccata contra VI Decalogi præceptum.

Si laicus solutus cum femina soluta concubuerit, pœnitens

erit annos tres, et quanto sæpius, tanto majori pœnitentia afficietur.

Uxor viro conscio mœchata, ne in obitu quidem communicabitur : si dignam pœnitentiam egerit, post decem annos sacram communionem sumet.

Si quis uxorem nolentem adulterium perpetrare coegerit, pœnitentiam aget dies quadraginta in pane et aqua, et septem præterea annos, e quibus unum in pane item et aqua.

Vir solutus, si cum alterius uxore adulterium commiserit, pœnitentiam aget annos septem, mulier quinque.

Mulier soluta cum alterius marito adulterium patrans, pœnitentia afficietur decennali.

Si quis maritus semel lapsus est, pœnitentiam aget annos quinque; si sæpius mœchatus est, in fine vitæ est conveniendus; sique promisit se cessaturum, dabitur ei communio.

Si quis uxorem simul et concubinam habuerit, in pœnitentia erit annos septem et amplius, pro ratione culpæ.

Qui cum uxore sua turpiter concubuerit, pœnitens erit quadraginta dies.

Si quis adolescens cum virgine peccaverit, pœnitentiam aget annum unum.

Qui puellam, aut mulierem libidinose obtrectaverit, si clericus est, quinque dies; si laicus, tres dies pœnitentiam aget : monachus vel sacerdos, a ministerio suspensus, pœnitens erit dies viginti.

Si quis in balneis cum muliere se laverit, pœnitentiam aget triduo.

Qui concupierit virginem, quam postea uxorem duxerit, pœnitientiam aget annum unum per legitimas ferias; si vero non duxerit, annos duos per legitimas ferias.

Vidua, quæ stuprum admiserit, pœnitentiam aget annum unum, et præterea altero anno dies jejuniorum, *feriis nempe legitimis*.

Cum duabus sororibus fornicatus, pœnitentiam aget toto vitæ suæ tempore.

Qui incestum fecerit (*non ita enormem*) ei alii annorum duodecim, alii quindecim, alii decem, alii septem annorum pœnitentiam constituunt.

Quicumque sacerdos spiritualem filiam violaverit, dignitatis honorem amittet, et perpetuam pœnitentiam aget.

Qui monialem violaverit, pœnitens sit annis 10.

Presbyter, si fornicationem admiserit, sponte confessus, pœnitentiam aget annos decem.

Qui cum brutis coierit, pœnitentia afficietur annorum decem, et diuturniori etiam, pro personæ conditione.

Qui contra naturam coierit; si servus est, scopis castigabitur, et pœnitebit annos duos; si liber est, et matrimonio junctus, annos decem : si solutus, annos septem : pueri, dies centum : laicus matrimonio junctus, si in consuetudine habet, annos quindecim : clericus, de gradu amotus, ut laicus pœnitentiam aget; qui cum fratre tale scelus admiserit, ab omni carne abstinebit, pœnitensque erit annos quindecim : si clericus, diuturniori et graviori pœnitentia afficietur.

Mulier in se, aut cum altera fornicans, pœnitentia afficietur duorum annorum. Vir in se inquinans, primo, dies decem; si iterum, dies viginti; si tertio, dies triginta : si puer, dies quadraginta; si major, quindecim annis, dies centum.

Qui complexu feminæ vel osculo polluitur, pœnitentiam aget dies triginta : qui contactu inverecundo, menses tres.

Qui concupiscit mente, sed non potuit, dies decem pœnitentiam aget.

Qui turpiloquio, aspectuque polluitur negligens, nec vero peccare voluit, pœnitentiam aget dies viginti : si vero impugnatione tentationis et cogitationis inquinatur, pœnitebit item dies viginti.

Quicumque lenocinium exercuit, pœnitentiam aget annos

duos per legitimas ferias : item sacram communionem no accipiet nisi in fine.

Si quæ mulier cerussa, aliove pigmento se oblinit, u aliis viris placeat, pœnitentia afficiatur annorum trium.

Canones spectantes peccata contra VII Decalogi præceptum

Qui furatus est aliquid de ecclesiæ supellectili, vel the sauro, quod sustulit, reddet : et tres carinas cum septen sequentibus annis pœnitebit.

Qui sacras reliquias furatus est, illis restitutis, septen carinas jejunabit.

Pecuniam ecclesiasticam furatus, quadruplum reddet si qui item de ministerio ecclesiæ aliquo modo surripuerit pœnitens erit annos septem.

Sacrilegus rerum ecclesiasticarum invasor, tres anno communione privabitur; ac præterea sine esu carnis e potatione vini usque ad septennium pœnitens permanebit

Qui ecclesiam incenderit, aut incendio consenserit, res titutione facta, pœnitentiam aget annos quindecim.

Si quis malo studio, vel odio, ulciscendæ injuriæ causa incendium commiserit, committive jusserit, aut incendiari auxilium, vel consilium scienter dederit, excommunicetur mortuus, christiana sepultura carebit. Nec vero absolve tur, nisi damnum, pro facultatibus, resarcierit, juretque s imposterum tale facinus nunquam admissurum.

Si quis sepulchrum violaverit, pœnitens erit annos sep tem, e quibus tres in pane et aqua.

Qui sepulcrum infregerit, ut defuncti sepulti vestiment furaretur, pœnitens erit annos duos per legitimas ferias.

Qui de oblationibus, quæ ecclesiis factæ sunt, aliqui retinuerit, pœnitens erit dies quadraginta in pane et aqua

Qui decimam sibi retinuerit, aut dare neglexerit, qua druplum restituet, et pœnitentiam aget dies viginti in pan et aqua.

Qui, hospitalis domus administrator, aliquid de adminis

tratione subtraxerit, restituet quod abstulit, pœnitensque erit annos tres.

Qui pauperem oppresserit, ejusque bona abstulerit, reddet ei suum, et pœnitens erit dies triginta in pane et aqua.

Clericus furtum capitale faciens, septennii pœnitentiam explebit; laicus quinquennii, et quod furatus est, reddat.

Qui effregerit noctu alicujus domum, ut aliquid auferret, pretium reddet, et pœnitentiam aget annum in pane et aqua; si non reddit, annos duos.

Si quis furtum de re minori semel aut bis fecerit, restituta re, pœnitentiam aget annum unum.

Qui rem inventam non reddit, furtum committit : idcirco tanquam de furto pœnitentiam aget.

Si quis usuras accipit, rapinam facit, ideoque quicumque illas exegerit, pœnitentiam aget annis tribus, uno in pane et aqua.

Canones spectantes peccata contra VIII Decalogi præceptum.

Qui affirmaverit verum esse quod falsum est, pœnitentiam aget ut adulter; ut homicida, qui sponte id facinus admiserit.

Qui falso testimonio consenserit, pœnitens erit annos quinque.

Qui proximo falsum crimen objecit, pœnitentia afficitur ut falsus testis.

Qui proximo peccatum imputavit, priusquam eum arguerit, primum illi satisfaciens pœnitentiam aget tres dies.

Si quis contra proximum lingua lascivus erit, tridui pœnitentia expiabitur.

Si quis murmuraverit, judicio sacerdotis pœnitentiam aget pro culpæ gravitate.

Si quis convicium manifestum fratri intulerit, diuturna expiabitur pœnitentia, pro modo peccati.

Si quis facile detraxerit, falsumque in hoc dixerit, pœnitens erit dies septem in pane et aqua.

Qui falsitatem fraudemve in ponderibus et mensuris admiserit, pœnitens erit in pane et aqua dies viginti.

Falsarius, in pane et aqua pœnitentiam agat, quamdiu vivit.

Canones spectantes peccata contra IX Decalogi præceptum.

Rem alienam nefarie concupiscens, avarusque, pœnitens erit annis tribus.

Qui aliena concupiscit, furtum est : qui aliena rapere cupit, rapina est : qui res Ecclesiæ furari appetit, sacrilegium est ; ideo cum nefarie concupiscendo graviter peccet, ut peccati mortalis pœnitentiam aget, sacerdotis arbitratu.

Qui rem aliquam proximi pretiosam invenire cupit, ut illam sibi retineat, mortale peccatum concipit, cujus pœnitentiam aget, ut supra dictum est de furto.

Canones spectantes peccata contra X Decalogi præceptum.

Si quis concupiscit fornicari : si Episcopus, pœnitens erit annos septem : si presbyter, quinque : si diaconus vel monachus, tres, e quibus unum in pane et aqua : si clericus, aut laicus, annos duos.

Si quis in somnis ex immundo desiderio polluitur, surgat, et cantet Psalmos pœnitentiales, et dies triginta pœniteat.

Si clericus, aut laicus ex mala cogitatione, concupiscentiaque semen effuderit, pœnitens erit dies septem.

CANONES POENITENTIÆ

DE SEPTEM PECCATIS CAPITALIBUS.

Pro capitali mortalique crimine pœnitentia septem annorum indicitur, nisi peccati gravitas, et personæ status severiorem, diuturnioremve pœnitentiam requirat.

Pro capitali crimine pœnitentiam aget laicus annos qua-

tuor; clericus, quinque; subdiaconus, sex; diaconus, septem; presbyter, decem; episcopus, duodecim.

Sacerdos imprudenter ebrius factus, pane et aqua pœnitentiam agat dies septem; si negligenter, dies quindecim; si per contemptum, dies quadraginta.

Diaconus et alius clericus ebrius factus, arbitrio sacerdotis pœnitens erit.

Monachus ebrius, pane et aqua mensibus tribus : si clericus, viginti dies.

Laicus ebriosus graviter arguatur, et pœnitentiam agere a sacerdote cogatur.

Qui, humanitatis gratia, alium inebriare cogit, pœnitentiam aget dies septem : si per contemptum, dies triginta.

Qui ad bibendum invitat plus quam naturæ satis est, pœnitentiam agat.

Qui præ ebrietate et crapula vomitum fecerit; si presbyter aut diaconus, pœnitentiam agat dies quadraginta : si monachus, aut clericus, dies triginta : si laicus dies quindecim, abstineatque a vino, et carne dies tres.

Si quis, gulæ causa, ante horam legitimam jejunium fregerit, duos dies pœnitentiam aget in pane et aqua.

Si quis nimio cibo se ingurgitaverit, ut inde dolorem senserit, unum diem pœnitentiam aget in pane et aqua.

CANONES POENITENTIÆ

DE VARIIS PECCATIS.

Si quis sacerdos Missam canit, neque communicat, per annum pœnitentiam agat, nec vero interea celebret.

Sacerdos excommunicatus, si celebrat, tribus annis pœnitens sit, hebdomadisque singulis feria secunda, quarta, et sexta, a vino et carnibus jejunet.

Sacerdos sacerdotii gradu ordineque in perpetuum amotus, si celebrare audeat, privatur communione corporis et

sanguinis Jesu Christi usque ad ultimum diem, et in excommunicatione est, Viaticum tantum in fine sumens.

Si gutta sanguinis Christi in terram cadit, sacerdos in pœnitentia sit quinquaginta diebus; si super altare, et ad pannum unum transit, diebus duobus; si usque ad tres, diebus novem. Si incaute dimisit, quamvis nihil nefandi acciderit, tribus mensibus a sui muneris administratione amovetur.

Si per ebrietatem Eucharistiam evomit; si laicus est, quadraginta diebus; si clericus, sexaginta; si Episcopus, nonaginta diebus; si infirmus, pœnitentiam agat diebus septem.

Sacerdos qui interest clandestinis desponsationibus, per triennium ab officii sui administratione amovetur.

Qui legata pia Ecclesiæ non solvit, uno anno pœnitens erit per legitimas ferias.

Qui vir faciem suam transformaverit habitu muliebri, et mulier habitu viri, emendationem pollicitus, annis pœnitens sit tribus.

Infirmos aut vinctos visitare negligens, pœnitentiam aget dies decem, pane et aqua victitans.

Hic esset disserendum de Satisfactione per suffragia et indulgentias; verum, ne nimium de Pœnitentia intercidatur materia, hoc argumentum per appendicem tractandum remittimus ad calcem hujusce dissertationis.

CAPUT VI.

DE MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIÆ.

Nota. Circa ministrum sacramenti Pœnitentiæ errarunt protestantes, qui quemlibet fidelem clavium potestatem a Christo accepisse contendunt; waldenses, wicleffitæ, et flagellantes, qui potestatem absolvendi tribuebant laicis probis, denegabant vero sacerdotibus malis; nonnulli sub

finem sæculi elapsi perturbatores Ecclesiæ, qui dicebant tum approbationem episcopalem ad valide excipiendas confessiones non consistere in jurisdictione, sed in solo *capacitatis* et *idoneitatis* testimonio; tum omnes confessarios vi ordinis absolvere posse, si non licite, saltem valide, ab omni peccato reservato, quorum synodus Pistoriensis errores secuta est.

Igitur sex hic nobis sunt resolvenda : 1° quis sit minister sacramenti Pœnitentiæ; 2° an, præter potestatem Ordinis, requiratur jurisdictio in ministro Pœnitentiæ; 3° an requiratur approbatio ordinarii; 4° an ordinarii possint sibi casus reservare; 5° quibusnam debeat minister Pœnitentiæ concedere, vel denegare absolutionem; 6° quænam sint dotes confessarii : quatuor articulis.

ARTICULUS I.

QUIS SIT MINISTER SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

CONCLUSIO.

Solus sacerdos est minister sacramenti Pœnitentiæ. Est de fide contra wicleffitas, waldenses et lutheranos.

Prob. Illi soli sunt ministri Pœnitentiæ, quibus Christus dixit[1] : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,* etc.; atqui solis sacerdotibus Christus dixit : *Quorum remiseritis,* etc., ut constat ex perpetua traditione Ecclesiæ[2], ad

[1] Joan. XX.

[2] Hinc S. Ambrosius : *Jus hoc solis permissum sacerdotibus est* (*de Pœnit.*, lib. I, cap. 2, n. 6). — S. Basilius : *Peccata iis confiteri necesse est, quibus mysteriorum Dei concredita est dispensatio* (Interrog. 288). — S. Leo : *Sic divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia* Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri (*Epist.* CVIII, cap. 1). Ita S. Chrysostomus, Origenes, Tertul., Cyprianus, quibus consonant Ritualia omnia latina et Eucologia græca, quæ in reconciliatione peccatorum solos Episcopos vel sacerdotes appellant.

Ad valorem autem absolutionis a ministro pravo datæ constat ex dictis in Tract. *de Sacram. in genere,* cap. 4, § 2, punct. 1.

quam attendens, Concil. Trident. sic definit[1] : *Si quis dixerit sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere, aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum :* Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt; *quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata... anathema sit.*

Dices 1. Cap. Jacob. iv dicitur : *Confitemini alterutrum peccata vestra :* ergo omnes, etiam laici, confessionem excipere possunt.

Resp. *Dist. conseq.* Laici excipere possunt confessionem vel humilitatis, vel reconciliationis mutuæ causa factam, cum nempe alter in alterum peccavit, quomodo plures Patres interpretantur hunc textum Jacobi, *conc.;* confessionem sacramentalem, *nego conseq.* Laicus enim non habet potestatem clavium, confessio autem sacramentalis fit propter absolutionem.

Itaque qui textum Div. Jacobi de confessione sacramentali interpretantur, sic ipsum reddunt cum Cornelio a Lapide : *Confitemini alterutrum,* id est confitemini homines hominibus vobis similibus, non tamen omnibus, sed iis quibus a Christo demandata est absolvendi potestas, id est sacerdotibus, juxta illud Petri iv : *Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei;* quod intelligitur de solis sacerdotibus; ex quo patet verba Div. Jacobi exponenda esse apposite ad subjectam materiam et officium cujusque.

Inst. Laicus et mulieres Baptismum conferre possunt in necessitate : ergo et Pœnitentiam conferre possunt.

Resp. *Nego conseq.* Argumentum enim a pari non valet in his quæ pendent a sola Christi voluntate, quæ fuit ut

[1] Sess. 14, can. 10.

quilibet in necessitate possit baptizare, non absolvere, ut habemus ex solemni Ecclesiæ traditione.

Prob. conseq. Pœnitentia peccatori adulto non minus est necessaria quam Baptismus infantibus : ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Ratio est, quia infantes nonnisi per Baptismum salutem obtinere possunt ; at Pœnitentia suppleri potest per contritionem perfectam cum voto Sacramenti.

Dices 2. In antiquis Conciliis, Patribus et historiis ecclesiasticis legitur pœnitentes, necessitate urgente, apud diaconos exomologesin, id est confessionem fecisse : ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Pœnitentes, necessitate urgente, apud diaconos confessionem cæremonialem, qua pœnitentes dimittebantur a stadio pœnitentiæ canonicæ, et Ecclesiæ reconciliabantur, faciebant, *conc.;* sacramentalem in ordine ad absolutionem, *nego ant.;* nullum enim reperies qui diaconis concedat jus absolvendi sacramentaliter a peccatis.

Inst. Cap. *Fures,* tit. *de Furtis,* dicitur : *Fures et latrones, si in furando et deprædando occiduntur, visum est pro eis non esse orandum,* quia nempe in peccato mortali mortui sunt ; *sed si comprehensi aut vulnerati presbytero vel diacono confessi fuerint, communionem eis non negamus :* ergo confessio potest fieri diacono.

Resp. *Dist. conseq.* Confessio non sacramentalis, *conc.;* sacramentalis, nempe in ordine ad absolutionem, *nego conseq.;* ibi enim confessio sumitur pro signo manifestativo contritionis perfectæ, qua quis redditur capax recipiendæ Eucharistiæ, ubi deficit sacerdos qui absolutionem largiatur.

ARTICULUS II.

DE REQUISITIS, PRÆTER POTESTATEM ORDINIS, AD VALIDE ABSOLVENDUM IN MINISTRO PŒNITENTIÆ.

Nota. Duo requiruntur : jurisdictio, quæ limitari potest per reservationem, et approbatio. Hinc tres paragraphi.

§ I.

De Jurisdictione.

Nota. **Duplex est** potestas : una Ordinis, altera jurisdictionis.

Potestas ordinis est potestas remittendi peccata, sacerdoti in sua ordinatione collata. Hæc est incompleta, nec potest exire in actum, nisi compleatur per potestatem jurisdictionis ab Ecclesia collatam.

Potestas jurisdictionis est auctoritas qua sacerdos tanquam judex potest in actu secundo ferre sententiam absolutionis in subditum; et duplex est, scilicet ordinaria et delegata.

Potestas ordinaria est ea quæ alicui competit ratione officii curam animarum habentis.

Potestas delegata est ea quæ habetur tantum ex commissione ordinariam habentis. His positis,

CONCLUSIO.

Præter potestatem ordinis, requiritur in sacerdote, ut valide absolvat, jurisdictio ordinaria vel delegata.

Conclusio est certa et fidei proxima, ita ut opposita, ut FALSA, TEMERARIA, ERRONEA, et Concilio Trident. CONTRARIA, a Pio VI, in Const. *Auctorem fidei*, sit notata.

PROB. *Ex Concil. Trident.* quod ait [1] : *Quoniam igitur natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* Ergo Concilium supponit aliquos esse

[1] Sess. 14, cap. 7.

sacerdotes, qui nec ordinariam, nec delegatam habent potestatem jurisdictionis, quæ tamen ex eodem Concilio requiritur : ergo, præter potestatem ordinis, etc.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Quilibet sacerdos in sua ordinatione accipit potestatem absolvendi a peccatis, his verbis : *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,* etc. Ergo potestas ordinis sufficit ad valide absolvendum.

RESP. *Dist. ant.* Accipit potestatem absolvendi inchoatam, *conc.;* completam, *nego ant.* Neque enim ulla potestas est completa ex parte termini, nisi assignentur subditi; et cum Ecclesiæ sit assignare subditos, ipsa censetur immediate jurisdictionem actualem et completam conferre, cum conferatur tantum radicalis et inchoata in ordinatione. Ita Concil. Trident.[1] : *Quamvis,* inquit, *Presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen sancta Synodus, nullum, etiam regularem, posse confessiones sæcularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale Beneficium, aut ab episcopis per examen, si illis videbitur necessarium, aut alias idoneus judicetur, et approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis et consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus.*

INST. 1. Quilibet sacerdos vi characteris sacerdotalis constituitur judex : ergo accipit jurisdictionem.

RESP. *Dist. ant.* Constituitur judex in actu primo, *conc.;* in actu secundo, *nego ant.* Equidem sacerdos, vi suæ ordinationis, accipit potestatem judicium ferendi, quæ non potest exire in actu, nisi cum assignantur subditi in quos judicium ferre valeat : hæc autem subditorum assignatio dat potestatem judicium ferendi completam et in actu secundo.

[1] Sess. 23, cap. 15.

Inst. 2. Inde sequitur sacerdotes non habere a Christo, sed ab Ecclesia auctoritatem absolvendi a peccatis ; falsum consequens : ergo, etc.

Resp. *Nego sequel. maj.* Sequitur enim duntaxat Ecclesiam assignare subditos in quos sacerdotes potestatem suam valeant hic et nunc exercere.

Objicies 2. Apostoli, vi verborum istorum : *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis, peccata,* etc., habuerunt completam potestatem remittendi peccata : ergo eamdem potestatem completam accipiunt sacerdotes vi eorumdem verborum.

Resp. *Nego ant.* Nam Apostoli, præter suam ordinationem, indiguere speciali missione, quam his verbis acceperunt : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos,* etc.

Quæres 1. *Quinam possint delegare ad audiendas confessiones?*

Resp. Ii omnes, et soli, qui habent ordinariam jurisdictionem, prout definivit Bonifac. VIII[1].

Hinc 1° Summus Pontifex in omnes fideles illam habet.

Hinc 2° Episcopus in omnes diœcesanos ; generales ordinum in omnes totius ordinis religiosos ; provinciales in suæ provinciæ subditos ; abbates exempti in suos pariter subditos jurisdictionem delegare possunt. Item parochi possunt delegare in suos parochianos, sed tantum eos sacerdotes, qui fuerint ab Episcopo diœcesano approbati.

Quæres 2. *An delegatus possit subdelegare?*

Resp. negative. Quia ejus solius est delegare, qui habet ordinariam jurisdictionem. Legatus Papæ excipitur a jure[2], propter excellentiam Papæ delegantis.

Quæres 3. *Qualis debeat esse jurisdictio delegata?*

Resp. Requiritur, ut sit formalis et expressa ; nec sufficit interpretativa, aut præsumpta ; quia talis jurisdictio tunc non adest, sed tantummodo adesset sub conditione, nempe, si postularetur.

[1] Cap. 7 *de officio Ordinarii*, in 6. — [2] Cap. 62 *de Appellationibus.*

QUÆRES 4. *An aliquando defectum jurisdictionis suppleat Ecclesia?*

Resp. affirmative, modo hæc tria simul adsint (et in articulo mortis, etiam præsente approbato, saltem quoad validitatem):

1° Quod Confessarius habeat titulum saltem coloratum, hoc est, titulum habentem speciem veri, licet a parte rei nullus sit, v. gr. collatio Beneficii parochialis, sed invalida propter aliquem defectum occultum, sive ex parte conferentis, sive ex parte accipientis, v. gr. propter simoniam, excommunicationem, etc.

2° Quod adsit error communis moraliter invincibilis, ita ut communiter, et non tantum ex errore unius vel alterius, sacerdos putaretur habere jurisdictionem, vel titulum. *Ratio est,* quia error communis facit jus.

3° Quod defectus sit juris ecclesiastici, non vero divini; v. gr. si absolvens non esset sacerdos. *Ratio est,* quia Ecclesia non potest concedere, nequidem transeunter, potestatem Ordinis, nisi per ordinationem.

Dixi 1° *in articulo mortis;* nam, licet ex Tridentino contrarium deducere videatur probabilior sententia, tamen ne defectu jurisdictionis et approbationis aliquis pereat in Ecclesia Dei, sufficienter eruitur ex consuetudine intentionem esse ejusdem Ecclesiæ quod in casu extremæ necessitatis omnes sacerdotes, licet interdicti, suspensi, excommunicati, hæretici et schismatici, possint a quocumque peccato absolvere.

Dixi 2° *etiam præsente approbato;* ratio est quia in casu extremæ necessitatis Ecclesia tollit omnem reservationem, et supplet jurisdictionem in favorem moribundi, ne, scilicet, hac occasione quis pereat in Ecclesia Dei. Etenim, nisi suppleatur jurisdictio, absolvens non approbatus, præsente approbato, periret moribundus, cum invalide absolveretur: ergo, etc.

Dixi 3° *satem quoad validitatem;* nam, præsente appro-

bato, peccaret graviter absolvendo non approbatus, exceptis in senquentibus casibus :

1° Si approbatus non posset vel non vellet absolvere; 2° si approbatus esset nominatim excommunicatus; 3° si in aliena diœcesi tantum approbatus; 4° si moribundus approbato abhorreret confiteri; 5° si approbatus superveniret jam incœpta confessione; 6° si approbatus fuerit complex moribundi in peccato turpi.

Quæres 5. *Utrum liceat absolvere cum jurisdictione dubia seu probabili?*

Omissis doctorum opinionibus,

Resp. *affirmative.* Si sit causa gravis necessitatis, aut magnæ utilitatis; ratio quia tunc præsumitur Ecclesiam supplere velle jurisdictionis defectum. *Negative* autem si non adsit causa gravis, quia tum deficiente causa, deficit prudens præsumptio. Sed prudenti deficiente præsumptione voluntatis Ecclesiæ, esto valida sit absolutio in gratiam pœnitentis, sacerdos peccaret illam impertiendo.

Quæres 6. *An sacerdos nullam, neque ordinariam, neque delegatam habens jurisdictionem, possit licite valide absolvere a peccatis venialibus, et mortalibus jam confessis?*

Resp. ad 1um, *negat.* ex Decreto Innocent. XI, anno 1679. — Ad 2um pariter *negat.* Quia jurisdictio non minus est necessaria in minoribus causis, quam in majoribus; atqui jurisdictio pertinet ad Ecclesiam, quæ tum illam non concedit, cum tales confessiones prohibeat.

§ II.

De Approbatione.

Nota. Approbatio ante Concilii Trident. celebrationem definiebatur : *Authenticum Episcopi testimonium, quo aliquis sacerdos ad audiendas confessiones idoneus declaratur, si ei jurisdictio concedatur.* Nunc vero definitur :

Authenticum Episcopi testimonium, quo sacerdos ad confessiones audiendas idoneus declaratur ac deputatur.

Ratio hujus discriminis est, quod ante Concil. Trident. celebrationem, approbatio erat distincta et separata a jurisdictione; Episcopi quos judicabant idoneos excipiendis confessionibus approbabant, relicta cura Parochis cui voluerint inter approbatos jurisdictionem conferendi, quam Summus Pontifex conferebat regularibus in omnes fideles; sed hæc disciplina a Concil. Trident. mutata fuit, ita ut jurisdictio ab Episcopi approbatione amplius non distinguatur, sed eo ipso quo Episcopus approbat, jurisdictionem confert; alias non posset intelligi quomodo approbatio posset limitari, revocari, etc. Itaque

CONCLUSIO.

Præter potestatem Ordinis et jurisdictionis, requiritur in sacerdote tum regulari, tum sæculari non habente Beneficium parochiale, approbatio ordinarii, ut valide absolvere possit.

Prob. *Ex* capite citato *Trident.*[1], quod hoc novum jus instituit, his verbis : *Decernit sancta Synodus nullum, etiam Regularem, posse confessiones sæcularium, etiam sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale Beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur necessarium, aut alias idoneus judicetur, et approbationem, quæ gratis datur, obtineat, privilegiis et consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus.* Quibus postremis verbis Concilium revocat omnia privilegia, quibus SS. Pontifices concesserunt regularibus facultatem audiendi fidelium confessiones, non obtenta prius Episcoporum licentia et approbatione.

Dices 1. Defectus approbationis reddit absolutionem solum illicitam : ergo non invalidam.

[1] Sess. 23, cap. 15 *de Reform.*

Resp. *Nego ant.* Cujus falsitas manifesta est, ex his Concilii verbis : *nullum posse confessiones audire;* hic autem vox *posse* sumitur pro defectu auctoritatis.

Inst. Potestas Ordinis et jurisdictionis est potestas completa remittendi peccata : ergo non requiritur necessario approbatio.

Resp. *Nego conseq.* Enimvero requiritur approbatio, non qua compleatur potestas jurisdictionis, sed tanquam conditio sine qua non confertur jurisdictio, quæ cum pendeat ab Ecclesia, potest ipsam conferre sub conditione approbationis ab ordinario obtinendæ.

Dices 2. Regulares a Summo Pontifice habent potestatem absolvendi a peccatis sine necessitate approbationis : ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Privilegia enim regularium sunt revocata quoad hoc a Concil. Trident., ut constat ex Pio IV[1], dicente : *Omnia illa et singula privilegia, exemptiones, immunitates, facultates... in quibus illa statutis et decretis Concil. Trident. contrariantur, ipso jure revocata, cessata et annulata; ac ad ipsius Concilii terminos atque limites reducta sint et esse censeantur.*

Inst. In Gallia, Concil. Trident. non est receptum : ergo in Gallia regulares non indigent approbatione qua ante non indigebant.

Resp. *Nego ant.* Nam statutum illud Concil. Trident. est receptum, ut constat ex pluribus Conciliis provincialibus[2], et ex Comitiis generalibus anni 1625; unde Alexand. VII hanc propositionem : *Concil. Trident. non obligat regulares in Gallia ad obtinendas approbationes ab Episcopis, ut confessiones sæcularium audire possint, neque ex illius Concilii auctoritate privilegia regularium restringi possunt, cum id in Gallia receptum non sit præterquam in decisionibus fidei,* damnavit ut *falsam, temerariam, scanda-*

[1] Bulla *in Principis Apost.*, data ann. 1563. — [2] Conc. Rothomag., Burdigalense, Tolosanum, Narbonense.

losam, in hæresim et schisma inducentem, sacro Concil. Trident. et sedi Apostolicæ injuriosam.

Quæres 1. *Utrum valide absolvat Regularis approbatus ab Episcopo, insciis, vel repugnantibus suis superioribus?*

Resp. Litem adhuc esse sub judice. Illicitas, ac sacrilegas fore hujuscemodi absolutiones, uno ore fatentur doctores, atque theologi. Verum cum de validitate controversia sit inter eos, probabilior videtur sententia, quod Regularis sacerdos sic approbatus invalide etiam absolvat.

1. S. Thomas, quodlib. 10, art. 10, ad 3, sic docet : *Religiosus vi voti obedientiæ cum se ipsum prælato subjecerit, quantum ad generalem dispositionem vitæ suæ non habet proprium velle, vel nolle; sed tenetur in omnibus ab ejus voluntate, ac beneplacito dependere, nec sine ejus consensu* munus nullum, *licet* sanctum *sibi arrogare.*

2. Angelico doctori consentit S. Antoninus, 3 p., tit. XVII, c. 10, scribens : *Religiosus non debet audire confessiones etiam illorum qui habent licentiam eligendi sibi confessarium quemcumque, etiamsi habeat a Papa, sine auctorite sui superioris; quia sine suo superiore velle, et nolle non habet.* Inde invaliditatem talis absolutionis deducunt P. Paulus a Lugduno, Concina, Patuzzi, aliique Theologi etiam benigniores, ut Navarrus, Tamburinus, Lezana, Miranda, etc.; validumque videtur hæc sententia fulcimentum habere ex eo, quod Julius III, in suis Bullis privilegiorum ordinibus Prædicatorum ac S. Benedicti concessorum, declarat omnes omnino facultates prædictorum Ordinum Religiosis, maxime ad confessiones tum Regularium, tum sæcularium audiendas, sine superiorum suorum consensu jam concessas, aut in posterum concedendas : *Nullas esse, atque irritas, nulliusque roboris vel momenti fore et esse, nullisque suffragari posse.*

3. Litteræ demum Episcopales exprimere solent sacerdotis Regularis ministerium confessionis injungi *de consensu suorum superiorum;* quæ clausula bene notanda est

ut conditio *sine qua non*. Igitur in praxi prævalere debet hæc sententia, cum ratio clamet, tutiorem partem esse tenendam quando agitur de valore Sacramenti.

Quæres 2. *Quænam sint circa approbationem observanda?*

Resp. Sequentia ut certa tenenda.

1° Approbatio debet esse formalis et expressa, Concilium enim requirit ut obtineatur; unde non sufficit approbatio petita et injuste denegata, ut definivit Alexand. VII propositione decima tertia.

2° Approbatio debet obtineri ab Episcopo loci in quo confessiones audiuntur.

Hinc 1° Approbatus in una diœcesi, non potest in alia audire confessiones sine approbatione Episcopi diœcesani; ita Clement. X[1].

Hinc 2° Regularis approbatus in una Diœcesi potest in ea subditos alterius diœcesis, in qua non est approbatus, absolvere, etiam a casibus reservatis in diœcesi pœnitentis, modo non sint reservati in diœcesi confessarii : ita declaravit Clement. X, constit. *Superna*, in qua excipit : *Nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam diœcesim pro absolutione obtinenda, migrasse.*

Hinc 3° Licet parochus possit etiam licite absolvere suum diœcesanum in alia diœcesi in qua non est approbatus, modo id fieri possit absque scandalo, quia habet in ipsum ordinariam jurisdictionem ab approbatione non pendentem; tamen regularis non potest, ex Constitutione *Superna:* ratio est, quia jurisdictio delegata pendet ab approbatione Episcopi diœcesani.

3° Approbatio potest valide ad quædam loca, personas et tempora restringi ad libitum approbantis, ut constat ex damnatione oppositæ propositionis ab Alexandro VII.

4° Approbatio semel data valide revocari potest, etiam sine justa causa; nullo enim jure talis revocatio est irrita.

5° Generaliter approbatus ad sæcularium confessiones

[1] Constitutione *Superna.*

audiendas, non censetur approbatus ad audiendas confessiones monialium eidem Episcopo subditarum; sed eget quoad hoc speciali Episcopi approbatione; nec approbatus ad audiendas confessiones monialium unius monasterii, censetur approbatus respectu monialium alterius monasterii, ut statuit Clem. X, constit. *Superna* supra cit.

6° Parochus, vi officii sui, non potest extra parochiam suam valide absolvere subditos alterius parochiæ sine licentia Episcopi, saltem tacita, qualis censetur adesse, cum Episcopus non contradicit consuetudini contrariæ, quam scit vigere.

§ III.

De Reservatione.

Nota. Casuum reservatio est *restrictio potestatis absolvendi a certis peccatis, facta potestate absolvendi ab aliis.* Unde patet reservationem *immediate* afficere confessarium et *mediate* pœnitentem. Dum e contra censuram *immediate* afficere pœnitentem, et *mediate* confessarium, quatenus censura est pœna personæ ipsius delinquentis inhærens.

CONCLUSIO.

Quilibet superior, qui jurisdictionem suam conferre valet, habet jus sibi reservandi casus a quibus inferiores sacerdotes non possint absolvere.

Prob. Est definita contra novatores a Trident.[1], his verbis : *Si quis dixerit Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere quominus sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit.*

Ratio est, quia superiores ecclesiastici possunt, pro libitu, jurisdictionem denegare : ergo et ipsam restringere.

[1] Sess. 54, cap. 7 et can. 11.

Hinc propositiones 44ª et 45ª Synodi Pistoriensis, doctrinam reservationum temerantes, fuerunt, profligatæ in Const. *Auctorem fidei*, ut falsæ, temerariæ, etc.

Hinc sequitur Summum Pontificem posse sibi reservare casus in universa Ecclesia, et Episcopos in sua quisque diœcesi, cum hac differentia, quod omnes casus papales, duobus tantum exceptis [1], habeant annexam excommunicationem, non vero episcopales.

Cum autem omnes casus reservati, tum summo Pontifici, tum Episcopis, enumerentur et referantur in omnibus diœcesanis ritualibus, hinc in ipsis enumerandis non immoramur.

Quæres 1. *Quænam requirantur, ut peccatum censeatur reservatum.*

Resp. Requiruntur quatuor.

1° *Ut sit mortale in sua specie :* quia frustra venialia reservarentur, cum sint materia confessionis libera. Hinc si peccatum non pertingat ad malitiam mortalem, defectu sufficientis consensus, vel gravitatis materiæ, non est reservatum.

Dixi, *in sua specie :* quia non reservatur peccatum *de se* veniale, quod fit mortale per aliquam advenientem circumstantiam, v. gr. scandali.

2° *Ut sit externum :* quia, licet peccatum internum possit, non tamen consuevit reservari ; quia reservatio peccatorum internorum ad animarum regimen non videtur necessaria, hinc nunquam reservantur, nisi exprimatur in statuto.

3° *Ut sit in sua specie consummatum :* quia reservatio, cum sit odiosa, est stricta interpretationis. Hinc reservato homicidio, non reservatur gravis, ex animo occidendi, percussio, nisi mors sequatur ; vel nisi aliud in statuto exprimatur, quomodo provocatio ad duellum, jure communi reservatur, etiamsi non sequatur conflictus.

4° *Ut sit a pubere commissum :* nam ex communi peccata

[1] S. Ligor., lib. VI, num. 580.

impuberum non sunt reservata, nisi exprimantur in statuto : sic percussio clerici, vel religiosi ab impubere facta reservatur Episcopo[1].

Quæres 2. *Qua ratione fit casuum reservatio?*

Resp. Reservantur quædam atrociora peccata, tum ut pœnitentes de illis majorem concipiant horrorem et ab eis retrahantur; tum et maxime ut monita et remedia opportuniora, quæ nonnisi a pastoribus applicari possunt, recipiantur.

Quæres 3. *An ignorantia invincibilis reservationis, ab ea incurrenda excuset?*

Resp. *Cum distinctione.* Si nulla censura peccato sit annexa, ignorantia invincibilis non excusat a reservatione, cum reservatio confessarium et non pœnitentem immediate afficiat.

Si casus reservatus cum censura conjungitur, *si casus sit papalis,* ignorantes excusantur. *Ratio,* quia casus papales reservantur immediate propter censuram a qua invincibilis ignorantia excusat, ut dicemus ubi *de Censuris;* et ideo cum peccatum separari non possit a censura, sublata censura, tollitur reservatio peccati.

Si casus sit Episcopalis, non excusatur a reservatione per ignorantiam, licet excusetur a censura, quia censura separari potest a peccato, sicut circumstantia separatur ab ejus facto.

Quæres 4. *An peccata dubia censeantur reservata?*

Resp. Auctor Collationum Andegavensium, nullam esse reservationem, si grave ac fundatum sit dubium, sive juris, nempe quod peccatum sit mortale, vel reservatum; sive facti, nempe peccatum fuisse perpetratum. *Ratio est,* quia odia non sunt amplianda, sed restringenda.

Quæres 5. *Quinam absolvere possint a reservatis?*

Resp. Potest ipse reservans, ejus successor, superior, et quivis alius, qui ab illis hanc facultatem obtinuit; quia hi

[1] Cap. ult. *de Sentent. excomm.*

habent jurisdictionem vel ordinariam, vel delegatam erga peccata reservata.

Circa potestatem delegatam sequentia sunt necessario observanda :

1° Episcopi possunt suos subditos absolvere ab omnibus peccatis Papæ reservatis, quamdiu sunt occulta, nec ad forum contentiosum deducta ; id enim eis concedit Concil. Trident.[1] : imo possunt absolvere a publicis, quando subditi habent impedimentum canonicum recurrendi ad Papam[2].

2° Habens facultatem absolvendi a casibus Papæ reservatis, non ideo potest absolvere a casibus Episcopo reservatis. Clement. X, constitut. *Superna.*

3° Habens facultatem absolvendi ab omnibus casibus et censuris Episcopo reservatis, non ideo habet facultatem absolvendi a casibus Papæ reservatis, a quibus Episcopus per accidens, aut propter impedimentum canonicum, potest absolvere, ut docet *Rituale Tullense,* p. 146.

4° In articulo mortis nulla est reservatio : *Atque ideo,* inquit Trident.[3], *omnes sacerdotes* sive approbati, ut fert praxis, sive non, *quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt;* sed id recte, si absit confessarius approbatus, ut habet Rituale Rom., et quamvis sic absolutus si convalescat, teneatur pro censuris adire superiorem, vel ejus delegatum, ut mandatum ejus suscipiat, non tenetur tamen sic recurrere pro peccatis reservatis quia ab eis directe fuit absolutus, cum nulla tunc sit reservatio.

Porro per articulum mortis intelligitur morale periculum mortis, ut constat ex cap. *Eos qui,* de Sent. excomm.

Quæres 6. *An confessarius absolvere possit a peccato non reservato in propria diœcesi, sed commisso in alia diœcesi ubi reservantur?*

[1] Sess. 34, cap. 6 *de Reform.* — [2] Cap. ult. *de Sent. excom.* — [3] Sess. 14, cap. 7.

Resp. *affirmat.* Nam omnes ex quacumque diœcesi confluentes ad confessarium in diœcesi in qua est approbatus, fiunt ejus subjecti in foro pœnitentiæ, (nisi tales pœnitentes ad se migraverint in fraudem reservationis) et potest illos absolvere ex tota sua jurisdictione; atqui sua jurisdictio non est arctata circa hujusmodi peccatum : ergo.

Dixi *nisi migraverint in fraudem reservationis,* id est, ut omittam pene infinitas doctorum interpretationes, principalem finem obtinendi absolutionem, vitandique judicium proprii pastoris; non autem si migraverint ob alium honestum finem, puta negotii causa, vel indulgentiæ, vel ut peritiorem obtineat confessarium, vel ut commodius et citius expediat, et alia hujusmodi [1].

Quæres 7. *Utrum sublata sit reservatio alicujus peccati reservati ex oblivione inculpabili omissi in confessione facta sacerdoti habenti potestatem absolvendi a reservatis?*

Resp. Extra tempus Jubilæi non est sublata, nisi confessarius pœnitenti manifestaverit se habere intentionem a reservatis absolvendi. *Ratio est,* quia non est satisfactum fini reservationis, qui est, ut convenientia remedia, et satisfactio debita pro tali peccato imponatur a superiore, vel ejus delegato : ergo, licet peccatum sit remissum indirecte, eo quod unum peccatum non possit remitti sine alio, tamen illud peccatum debet iterum confiteri superiori, vel ejus delegato, ut de eo habeatur remissio directa.

Dixi 1° *extra tempus Jubilæi :* quia tempore Jubilæi Papa tollit omnem reservationem erga eos qui confitentur in ordine ad lucrandam indulgentiam, et confessarius præsumitur tunc habuisse intentionem tollendi omnem censuram et reservationem; Decretum Tullense [2] excipit casum sacrilegæ confessionis.

Dixi 2° *nisi confessarius pœnitenti manifestaverit,* etc. Quia forma Sacramenti operatur, juxta intentionem proferentis, et non ultra : ergo, etc.

[1] S. Ligor., lib. VI, num. 589. — [2] Num. 7, § 8.

Quæres 8. *An sublata sit reservatio peccati reservati invalide confessi superiori vel ejus delegato?*

Resp. Sublata est, sive confessio facta sit superiori, sive facta sit ejus delegato.

Ratio, quia legis in utroque casu finis reservationis est consecutus.

Quæres 9. *Ad quid teneatur confessarius, qui, non habens in reservata potestatem, ab aliquo ex ignorantia vel inadvertentia absolvit?*

Resp. Tenetur pœnitentem ad se citius revocare, si id fieri possit absque scandalo, aut pœnitentis gravamine, aut etiam absque gravi suo incommodo, et illum monere, ut sibi quærat remedium ab alio habente potestatem in reservata : quod si hoc medio uti non possit, post peractam peccati sui pœnitentiam, rem divinæ misericordiæ committere debet; quia cum pœnitens bona fide confessus sit, remissionem peccati sui per sacram communionem, vel per subsequentem, cum debitis conditionibus, confessionem, saltem indirecte, obtinebit.

Quod si confessarius ordinarie confessionem illius pœnitentis excipiat, postulet a superiore facultatem absolvendi a tali peccato reservato, et ubi primum pœnitens ad sacrum tribunal accedet, illum poterit absolvere, facta saltem generaliter accusatione ultimæ confessionis.

Quæres 10. *An aliquando simplex confessarius possit absolvere a reservatis etiam extra mortis articulum?*

Resp. Potest a quibus vis peccatis indirecte, quando adest impedimentum recurrendi, ne per litteras quidem, ad superiorem, et urget gravis causa confitendi. Ratio, inquit S. Ligorius, quia pia mater Ecclesia et quilibet superior non censetur velle obligare ad aliquid moraliter impossibile vel ad tantum incommodum subeundum.

Dixi 1° *a quibusvis peccatis,* etiam Papæ et cum excommunicatione reservatis.

Dixi 2° *indirecte* a reservatis et *directe* a non reservatis;

unde : 1° necesse est ut pœnitens confiteatur aliquod veniale saltem, vel mortale jam confessum ; unde 2° pœnitens debet postea se sistere habenti potestatem in reservatos, ut *directe* absolvatur a reservatis, et superioris mandatum suscipiat.

Dixi 3° *quando adest impedimentum*, v. gr. ob infamiam, vel scandalum, nisi sacerdos celebret, vel communio fiat, etc.

Dixi 4° *et adsit gravis necessitas*, puta præceptum confessionis vel communionis implendum, timor ne pœnitens remaneat diu in statu peccati mortalis[1].

Quæres 9. *An Episcopi possint absolvere peregrinos a peccatis reservatis proprio Episcopo cum censura quam in propria diœcesi incurrerunt?*

Resp. *negative*[2]. Hoc patet ex duplici declaratione S. C. Concilii[3] et Benedicti XIV[4]. Ratio est, quia Episcopi sunt independentes ab invicem, et ideo jus habent ut nemo a casibus sibi reservatis cum censuris absolvat sine licentia a seipsis concessa[5].

QUÆSTIO SPECIALIS.

De absolutione proprii complicis in peccato turpi.

Quæres 1. *Quid intelligatur per peccatum turpe?*

Resp. Intelligitur omne factum vel dictum turpe et mutuum inter sacerdotem et complicem, quod ex utraque parte sit grave peccatum contra sextum præceptum.

Dicitur 1° *omne factum vel dictum*, sive sit copula sive non, sive tactus, sive colloquium.

Dicitur 2° *inter sacerdotem*, cum voluerit absolvere, et *pœnitentem*, sive sit mulier, sive vir.

Dicitur 3° *mutuum*, sine quo non esset complicitas.

[1] Ita S. Ligor., lib. VI, num. 585. — [2] Contrarium tenent Bonacina, Cellator andegav. *De casib. reserv.*, coll. 3; Collet, *de Censur.* — [3] Sub die 24 jun. 1714, et 24 nov. 1712. — [4] Declarat. 21 aug. 1752, et *de Synod. diœces.*, lib. V, cap. 5, num. 9. — [5] S. Ligor., lib. VI, num. 294, dub. 8.

Dicitur 4° *ex utraque parte grave peccatum,* quia Bulla Benedict. XIV[1] intelligenda est de peccato gravi.

Quæres 2. *Quomodo intelligatur hæc reservatio?*

Resp. Sic intelligi debet : 1° quod nullus Confessarius possit, excepto probabilius in articulo mortis, absolvere complicem suum in peccato turpi, sub pœna excommunicationis Papæ reservatæ ipso facto incurrendæ. Non tamen incurrit excommunicationem, qui tantum audit et non absolvit.

2° Quod Confessarius careat omni jurisdictione in complicem, donec hic ab alio fuerit absolutus a peccato turpi. Quo peccato deleto, jam cessat prohibitio, et reviviscit jurisdictio sacerdotis in alia peccata pœnitentis.

Expedit tamen ut sacerdos abstineat audire complicem in confessione, tum propter dignitatem Sacramenti, tum propter ministerium sacerdotis[2].

Quæres 3. *Utrum Episcopus absolvere possit ab excommunicatione lata in complicem suum absolventes, si casus sit occultus?*

Resp. Cum Episcopi nonnisi ex privilegio Concilii Trident. possint absolvere a casibus Papæ reservatis, quando sunt occulti, distinctione opus est : vel agitur de locis ubi Tridentinum est receptum, vel de aliis. *Si primum,* Resp. *affirmative; si secundum,* Resp. *negative;* non enim fas est ut fruantur privilegiis, qui onera repellunt[3].

ARTICULUS IV.

DE OFFICIIS MINISTRI SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

Nota. Officia ministri Pœnitentiæ spectari possunt vel intra vel post confessionem. Sacerdos in sacro tribunali debet infirmos et desolatos suscipere et sustinere; morbos

[1] *Sacramentum pœnitentiæ,* 1 junii 1741, et Constit. *Apostolici muneris,* 8 febr. 1741. — [2] Ita S. Ligor., lib. VI, num. 555, et communiter. — [3] Ita Suarez, Sanch., Salmant., S. Ligor., et alii communiter.

curare et præcavere, ignaros docere et judicare delinquentes. Porro, juxta quadruplex hoc officium, quatuor illi competunt dotes, nempe *patris*, ad quem spectat charitas; *medici*, ad quem spectat prudentia; *doctoris*, ad quem spectat scientia; *judicis*, ad quem spectant scientia status pœnitentis, fortitudo et integritas, et tandem quid ipsi incumbat post confessionem; de quibus sigillatim brevi penicillo dicemus. Unde

§ I.

De officio Patris.

QUÆRES : *Ad quid tenetur Confessarius ex officio Patris?*

RESP. Confessarius, ut pater, magna charitate et sincera directione erga pœnitentes procedere debet, tum in principio, tum in actu, tum in fine confessionis. Et

1° Quidem *in principio* benigne debet omnes sive pauperes, sive rudes, sive peccatores, imo istos ardentius excipere, memor hujus S. Francisci Salesii : *Les riches trouvent toujours des confesseurs; mais les pauvres en manquent souvent.* Et eo majori charitate accendatur, quo magis animas peccatorum coinquinatas esse deprehendit, exemplo Christi dicentis : *Discite quid est : misericordiam volo, et non sacrificium : non enim veni vocare justos, sed peccatores*[1].

2° *In actu confessionis* longe majorem ostendere debet charitatem, inquit S. Alphonsus de Ligorio. Caveat igitur ne se impatientem vel tædio affectum exhibeat, nec admiratione percelli videatur de peccatis quæ narrantur, ne pœnitens ruborem suffundat; sed patienter et amanter usque ad finem audiat, ne memoria pœnitentis elabentur peccata, nisi interrogatio sit brevis, rara et necessaria : remittat *ordinarie* in finem reprehensiones opportune faciendas, ne forte deterritus pœnitens aliquod peccatum retineat, et post correctiones animum pœnitentis statim erigat.

3° *In fine confessionis*, post paterna monita, pœnitentem

[1] Matth. IX, 13.

sive absolutum, sive non, sic e sacro tribunali charitative remittat, ut quantocius redire potius desideret, quam timeat.

§ II.

De officio Medici.

Quæres : *Ad quid teneatur Confessarius officio medici?*

Resp. Confessarius, ut prudens medicus, apta debet applicare remedia in sui pœnitentis infirmitatibus curandis, ut diximus ubi de satisfactione, pro necessitate, ingenio et conditione pœnitentis, contraria contrariis opponendo, ad quod plurimum juvat diuturna lectio librorum spiritualium, oratio, exercitia spiritualia, maxime propria experientia; ideoque pie et sancte vivat ipse.

Interdum memoria retineat illud quod ait Benedict. XIV[1] Confessarii admonitiones concionibus ipsis esse efficaciores. Sciat interea quod ad alios pœnitentes qui ipsum circumstant, non debeat attendere, tum quia melius est, ait S. Franciscus Xaverius[2], paucorum confessiones rite factas audire, quam multorum inordinatas et sine fructu : ipse enim Confessarius pro ipso tantum pœnitente, non pro aliis rationem est Deo redditurus.

§ III.

De officio Doctoris.

Quæres 1. *Ad quid teneatur Confessarius officio doctoris?*

Resp. *Labia sacerdotis custodient scientiam et legem requirent ex ore ejus*[3]. Hæc autem scientia quæ omnes alias scientias complectitur, facit ut *ars artium* sit *regimen animarum*[4]; unde S. Franciscus Salesius dicit officium audiendi confessiones esse omnium maximum et difficillimum.

Est omnium *maximum*, inquit S. Ligorius[5], quia est omnium scientiarum finis, nempe salus æterna.

[1] Bulla *Apostolica.* — [2] Tursellinus in *Vita S. Xaver.*, lib. VI, cap. 17. — [3] Malach. II, 7. — [4] S. Greg. Mag. — [5] In *Praxi confessar.*

Est omnium *difficillimum*, tum quia requirit omnium scientiarum, officiorum atque artium notitiam; tum quia scientia theologiæ moralis complectitur innumeras materias inter se diversas, magnaque ex parte constat legibus positivis et sacris canonibus. Præterea quælibet harum legum redditur difficilis ratione circumstantiarum, quæ casus dissimiles efficiunt, et ideo resolutiones diversificant.

Hinc S. Doctor noster concludit : *Affirmo in statu damnationis esse, qui sine sufficienti scientia ad confessiones excipiendas se exponit.*

Ut autem sciat confessarius quomodo alii aliter instruendi sint; alii aliter admonendi, conferat varia instructiones, Ritualia et monita ad Confessarios[1]. Interdum

Resolves 1. Confessarium teneri pœnitentes docere ea omnia quæ pertinent ad Sacramentum hic et nunc rite suscipiendum.

Resolves 2. Confessarium teneri docere pœnitentes quæ necessaria sunt ad vitam christianam peragendam, tum circa obligationes communes, tum circa obligationes particulares status, cum animadvertit eas a pœnitentibus ignorari.

Resolves 3. Per accidens et ex charitate Confessarium graviter teneri pœnitentem docere quæ scire debet, si aliter vel per se, vel per alios, addiscere non possit.

Hinc S. Alphons. de Ligorio[2] : *Dico enim quod Confessarius tenetur ex rigorosa obligatione charitatis pœnitentem disponere quantum valet... etiam multum temporis in hoc impendere debeat.* Sed

Quæres 2. *An semper admonendus sit pœnitens laborans ignorantia circa aliquam obligationem?*

Nota 1. *Certum est* pœnitentem esse admonendum quoties laborat ignorantia vincibili, quia cum ignorantia *vincibilis* sit culpabilis, pœnitens esset indispositus ad absolutionem, nisi talem propellat ignorantiam.

[1] Vide S. Gregor., *de Cura pastorali;* S. Ligor., *Praxis Conf.;* S. Carolum Borrom., Salvatori, etc. — [2] Lib. VI, num. 608.

Hinc monendus est quoties ipse interrogat de malitia alicujus rei; *ratio*, tum quia, ordinarie loquendo, talis interrogatio signum est conscientiæ dubiæ; nam qui certam habet conscientiam, invincibilique laborat ignorantia, de rei licitate aut validitate non interrogat; tum quia Confessarius interrogatus tenetur detegere veritatem; dissimulatio enim Confessarii esset erroris approbatio. Caveat tamen ne plus respondeat quam ab ipso requiratur, si videat pœnitentem in alio laborantem ignorantia invincibili, v. gr. si quis adstrictus voto simplici castitatis petat an suum matrimonium non obstante voto sit validum, et an teneatur reddere debitum conjugale, affirmet utrumque, sed taceat de obligatione non petendi, licet noverit matrimonium ob aliquod aliud impedimentum esse nullum[1].

Nota 2. *Certum est* pœnitentem esse admonendum quoties ex sua ignorantia invincibili damnum redundat contra bonum commune.

Ratio, quia minister a Republica constitutus, tenetur bonum publicum privato bono anteponere, ut tenet sententia communis cum S. Ligorio[2].

Hinc : 1° admonendus est parochus, qui falso et invincibiliter putat se esse sacerdotem, ob Sacramenta quæ invalide ministrantur, vel cum falsa, etsi bona fide, populum docet; 2° monendus est pœnitens de nullitate sui matrimonii, si illa sit publica; inde enim magnum oritur scandalum; 3° monendi sunt Episcopi, prælati, principes, gubernatores, confessarii, qui ex ignorantia etiam invincibili, perperam se gerunt circa collationem Beneficiorum, Sacramentorum, electionem ministrorum, etc.

Denique, ex Benedict. XIV[3], monendus est pœnitens, *si in iis versetur circumstantiis quæ, confessario dissimulante, peccatorem in pravo opere obfirmant, non sine aliorum scandalo, cum quis arbitretur ea sibi licere quæ ab iis*

[1] Ita S. Ligor., lib. VI, num. 616; Sanch., etc. — [2] Lib. VI, num. 615. — [3] In Bulla *Apostolica*, ann. 1749.

qui Ecclesiæ Sacramenta frequentant, impune exerceri animadvertit. His notatis,

Resp. *cum distinctione.* Vel pœnitens laborans ignorantia invincibili sive juris humani, sive divini, paratus est parere monitioni; vel non.

1° Si paratus est parere monitioni, adhuc perpendendum est utrum prudenter sperare possit ut monitio sit profutura vel obfutura, id est utrum majora sequi debeant incommoda ex admonitione, quæ si prævideantur, non tenetur Confessarius, imo non potest pœnitentem admonere. *Ratio* est, quia inter duo mala, minus est semper eligendum; atqui peccatum materiale quod committit pœnitens ratione ignorantiæ invincibilis, certo minus est quam v. gr. scandala, dissentiones et similia, quæ ex admonitione secutura prævidentur : ergo peccatum materiale permittendum est, et consequenter admonitio omittenda, ex illo S. Bernardi[1] : *Mallem aliquando tacuisse et dissimulasse quod agi perperam deprehendi, quam ad tantam reprehendisse perniciem.* Ita communiter. — Si vero pœnitens certo paratus sit parere, nihilque obstet admonitioni faciendæ tunc clamant, omnia jura pœnitentem esse admonendum.

2° Si vero pœnitens non est parere paratus, sive ignorantia invincibilis sit juris humani, sive divini, Confessarius potest, imo debet monitionem omittere, relinquendo pœnitentem in bona fide, et, si alias sit dispositus, illum absolvere.

Ita S. Ligor.[2] cum communi contra paucos. *Ratio prima*, quia inter duo mala, illud est vitandum, alio permisso, quod solum punit Deus, et a quo solo offenditur : ergo in concursu peccati materialis et formalis, magis est vitandum formale quod solum punit Deus et a quo solo offenditur. *Ratio secunda*, quia Confessarius debet bonum pœnitentis procurare : ergo debet, quoquo modo potest, illum a peccato formali retrahere; sed in casu, per admonitionem pœnitens

[1] Serm. XLII. — [2] Lib. VI, num. 610.

ex peccato materiali in peccatum formale induceretur : ergo illa omittenda est.

Excipiendus est casus in quo pœnitens brevi esset monitioni obsecuturus, quamvis in principio non acquiescat, ut ait S. Alphons. de Ligorio[1] : quia, licet pœnitens aliquando sit peccaturus formaliter, ex emendatione tamen multa subsequentur bona.

Hinc 1° si Confessarius non interrogatus prævidet pœnitentem non restiturum, si ipsi detegat nullitatem tituli quem validum esse putat, eum de nullitate monere non potest.

Hinc 2° si Confessarius noverit pœnitentem invalide contraxisse matrimonium ob impedimentum occultum, aut valide contracto supervenisse impedimentum ad usum matrimonii, et desperet de monitione, sitque periculum incontinentiæ, omittere debet monitionem : et sic de cæteris similibus.

Objicies 1. Confessarius est doctor : ergo tenetur vi sui officii docere ignorantes, et legem manifestare.

Resp. *Dist.* Confessarius est doctor simul et medicus *conc.;* est doctor tantum, *nego;* porro, ut medicus, cum prævidet monitionem vergere in ruinam pœnitentis, ab ea abstinere debet. Præterea, ut doctor, doctrina ejus concordare debet cum sapientia et charitate; sed in casu, doctrina quam pœnitentem doceret, esset neque secundum sapientiam, neque secundum charitatem.

Objicies 2. Ille monendus est, qui non laborat ignorantia invincibili; sed in casu, pœnitens non laborat ignorantia invincibili : ergo, etc.

Prob. min. Ignorantia invincibilis dicitur illa quæ nec potest, nec debet vinci ; sed ignorantia pœnitentis potest hic et nunc, et debet vinci, quandoquidem Confessarius paratus est ad instruendum, et pœnitens tenetur illum audire : ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Ad probationem Resp. Ad constituen-

[1] Lib. VI, num. 616.

dam ignorantiam invincibilem, non sufficit ut pateat via ad veritatem præcepti assequendam, nec ut res sit ex iis quæ quis scire tenetur, sed necessario requiritur dubitatio vel advertentia de obligatione, nam ignorantia invincibilis est illa *quæ studio superari non potest*[1]. Sed cum dubitatio de præcepto non occurrit, ignorantia studio certe superari non potest.

Objicies 3. Ille non est absolvendus, qui certe sufficienter non est dispositus; atqui pœnitens, de quo in quæstione, non est sufficienter dispositus : ergo non est absolvendus. *Major* patet,

Prob. min. Nolens acquiescere doctrinæ justæ præceptoque Confessarii, ostendit se obfirmatum in errore : ergo certe non est sufficienter dispositus.

Resp. *Nego min.* Ad probationem respondeo cum S. Alphonso de Ligorio[1] : qualisne indispositio in pœnitente attendi debet ut ei absolutio denegetur? num indispositio præsens, sive actualis, an futura sive interpretativa, scilicet quod si illi in tali occasione poneretur, peccaret? — Non quidem interpretativa, alias plurimi absolvi non possent. Igitur minime dici debet quod pœnitens est indispositus, sed quod esset indispositus, si moneretur.

Rationem hujus tradit Div. Thomas dicens[2] : *Contritus tenetur in generali velle magis pati quamcumque pœnam, quam peccare; sed in speciali descendere ad hanc pœnam vel ad illam non tenetur : quinimo stulte faceret, si quis seipsum vel alium sollicitaret super hujusmodi particularibus pœnis... aliquis non refugeret pati mortem pro Christo; sed si descenderet ad considerandum singulas pœnas, magis retraheretur.* Ergo Confessarius non debet descendere ad singularia vel futura, nec attendere ad dispositionem interpretativam quam pœnitens haberet, sed actualem quam habet; atqui pœnitens, de quo in quæstione, actualem dispositionem habet sufficientem : ergo, etc.

[1] S. Thom., 1 2, quæst. 76, art. 2. — [2] Loco cit. — [3] *Quodlib.* 1, art. 9.

Nota. Propter eamdem rationem monitio facienda debet omitti, si ex æquo dubium est an sit profutura vel obfutura.

§ IV.

De officio Judicis.

Quæres : *Ad quid teneatur Confessarius officia judicis?*

Resp. Confessarius, ut judex, prius conscientiam pœnitentis cognoscere debet, et, si pœnitens insufficientem præbeat suæ conscientiæ notitiam, illum interrogare; quod ut prudenter faciat, attendat ad sequentes regulas.

Regula prima. Debet interrogare de specie, numero et circumstantiis peccatorum speciem mutantibus, ut integritas Sacramenti procuretur.

Regula secunda. Adhibere debet diligentiam ordinariam tantum in interrogationibus faciendis, quia Confessarius gravius teneri nequit quam pœnitens.

Regula tertia. Non debet interrogare pœnitentes qui, licet rudes, satis videntur instructi et diligentes in dicendis peccatis; a fortiori eos qui sæpe confitentur et raro peccant.

Regula quarta. Melius est examinare singula quæ pœnitens dicit, quam omnia in finem reservare, tum ne pœnitens sua peccata iterare cogatur; tum ne multa memoria sacerdotis excidant.

Regula quinta. Caveat ne curiosis... interrogationibus quemquam detineat, præsertim juniores..., de eo quod ignorant imprudenter interrogans, ne peccare discant, ut ait Rituale Rom.

Regula sexta. Circa peccata conjugum ad debitum maritale, ordinarie loquendo, Confessarius non tenetur nec decet interrogare, nisi uxores, an illud reddiderint, modestiori modo quo possit, puta, an fuerint obedientes viris in omnibus; de aliis taceat, nisi interrogatus fuerit[1].

Regula septima. In delectu opinionum, sciat Confessarius,

[1] S. Ligor., *Praxis*, cap. 2, num. 41.

cum agitur de valore Sacramenti, tutiores opiniones esse semper amplectendas, extra casum necessitatis; in aliis autem casibus illas opiniones esse sequendas, quæ magis removent pœnitentem a periculo peccati formalis.

Postea causæ momenta discutiat, et deinde sententiam proferat sine personarum acceptione, absolutionem impertiendo vel differendo.

§ V.

De officio Ministri post confessionem.

Nota : Duplex est obligatio Confessarii post confessionem. Prima *per accidens* ad defectus commissos reparandos; secunda *per se* ad sigillum servandum. Diximus supra de sigillo, relinquitur ut de defectibus reparandis quasdam instituamus quæstiunculas; igitur

Quæres 1. *Quid præstare debeat Confessarius qui invalide absolvit pœnitentem?*

Nota : Certum est confessionem invalidam esse posse tum ex parte pœnitentis, tum ex parte sacerdotis, puta defectu jurisdictionis, formæ, intentionis, etc. Unde

Resp. Vel pœnitens jam recessit e sacro tribunali, vel non : Si non recessit, statim corrigendus est defectus, si possibile sit, vel pœnitens admonendus de nullitate.

Si jam recessit, vel est reversurus, vel non : si sit reversurus, in prima confessione erit corrigendus defectus, confessionem iterando, si opus sit, vel si peccata fuerint rite confessa, et horum Confessarius saltem in confuso meminerit, dicat pœnitenti ut conterat tam de præteritis quam de præsenti peccato, et absolutionem de omnibus faciat.

Si non est reversurus pœnitens, Confessarius, prius obtenta ab illo licentia, admoneat illum de invaliditate. Si licentia non obtinetur, sacerdos omnia Deo commendet. Sed

Quæres 2. *Utrum et quo jure Confessarius teneatur monere pœnitentem, cum erraverit circa valorem Sacramenti?*

Resp. *cum distinctione.* Vel erravit sine culpa, vel cum culpa; unde

1. Si erraverit sine culpa, vel cum culpa levi, non tenetur, ordinarie loquendo, cum gravi incommodo famæ, honoris, etc., nisi sit parochus, monere pœnitentem. Et quidem: 1° Confessarius delegatus non potest obligari ex justitia, ubi nulla aut levis tantum intervenit culpa; ex justitia siquidem non potest obligari citra culpam, qui non tenetur ex officio; 2° non tenetur ex charitate, quia charitas non obligat cum tanto incommodo. Ergo, etc.

Dixi 1° *ordinarie loquendo;* nam excipitur casus extremæ necessitatis, puta in articulo mortis vel in gravi periculo non amplius confitendi; tunc enim omnis Confessarius tenetur etiam cum gravi damno pœnitentem monere de nullitate absolutionis collatæ, ut dicunt Lugo, Salmanticenses, Sporer et alii cum S. Alphons. de Ligorio[1].

Dixi 2° *nisi sit parochus,* qui certe tenetur ex justitia reparare grave damnum subditorum, ut constat ex tract. *de Obligat. et Justitia.*

2. Si error est graviter culpabilis, duplex est sententia.

Prima sententia negat, tum quia hoc præceptum nequit obligare cum tanto incommodo; tum quia Confessarius non magis tenetur admonere de peccatis, quam tenetur pœnitens illa confiteri, si esset admonitus; atqui posita admonitione, pœnitens non teneretur illa declarare cum tanto incommodo: ergo nec Confessarius de illis monere. Ita Bonacina, S. Antonin., Sylvester, Navarr. et plures alii.

Secunda sententia nobis amplectenda *affirmat,* nisi sit ratio non monendi. Nam omnis Confessarius tenetur ex officio, et ex quasi-contractu cum pœnitente inito, rite ipsi ministrare Sacramentum; si ergo invalide ministraverit ex sua gravi culpa, tenetur etiam cum gravi suo damno, grave damnum pœnitentis reparare; et sic respondetur ad primam rationem oppositæ sententiæ. Ad secundam vero negatur

[1] Lib. VI, num. 619.

paritas inter pœnitentem et Confessarium : nam pœnitens non tenetur sua peccata declarare, quia sibi competunt alia media sibi providendi. At vero Confessarius non potest illum, quem sua gravi culpa non monuit, inscium relinquere privatum a gratia Sacramenti. Ita Lugo, Viva, Sporer, Elbel., S. Ligor.[1] et alii.

Dixi *nisi sit ratio non monendi,* puta : 1° si licentia peti nequeat, ex eo quod, si fiat monitio, gravis sequeretur offensio pœnitentis; 2° si pœnitens interim alteri confessus fuerit; 3° si sacram in bona fide sumpserit Eucharistiam, quæ in hoc casu justificat, ut dictum est in tract. *de Eucharistia.*

Quæres 3. *Utrum Confessarius teneatur defectum reparare, si error sit tantum circa accidentalia seu integritatem Sacramenti?*

Resp. 1. *negative,* si Confessarius in hoc negative tantum, quamvis culpabiliter, se habuerit, v. gr. si neglexerit interrogare de speciebus et numero peccatorum. *Ratio* est, quia Confessarius non tenetur procurare integritatem Sacramenti, nisi quatenus est minister et medicus, ut efformet judicium de statu causæ pœnitentis. Ergo, finito judicio, cessat illa Confessarii obligatio.

Resp. 2. *affirmative,* si positive et cum culpa gravi Confessarius induxerit pœnitentem ad integritatem non procurandam, supposita licentia pœnitentis, et si absque scandalo, et suo gravi incommodo id fieri possit. *Ratio prioris* est, quia ex jure naturali quisque debet tollere causam damni quam positive et culpabiliter posuit. *Ratio posterioris,* quia sicut grave damnum excusat pœnitentem ab integritate confessionis, ita et Confessarium[2].

Quæres 4. *Ad quid teneatur Confessarius qui positive deobligavit pœnitentem a restitutione facienda, vel e contra ad indebitam obligavit?*

Resp. *Dist.* Vel deobligavit paratum ad restituendum, aut

[1] Loc. cit. — [2] S. Ligor., *ibid.*

obligavit cum culpa gravi, v. gr. ex malitia, ignorantia vincibili, gravi negligentia, etc.; vel non.

Si primum, tenetur sub gravi reparare damnum inde secutum; quia fuit causa injusta et efficax hujusmodi damni, ut patet ex dictis in tract. *de Justitia*[1].

Hinc 1° si pœnitentem deobligaverit, tenetur vel intra vel extra confessionem ad monitionem etiam cum gravi suo damno; quod si pœnitens renitatur, vel interea factus sit impotens ad restituendum, qui secus restituisset, tenebitur ipse restituere creditori, cujus violati juris remanet causa injusta et efficax, invita sua retractatione.

Hinc 2° si pœnitentem obligavit ad restitutionem indebitam, tenetur pariter ex justitia errorem retractare : quod si pœnitens jam restituerit, tenetur ipsum compensare. Ita communiter.

Si secundum, id est, si culpabiliter sed cum culpa levi tantum pœnitentem obligavit, vel ab obligatione solvit, tenetur quidem ex justitia monitionem facere, sed cum levi incommodo tantum. *Ratio prioris*, quia quisque tenetur ex justitia tollere causam damni quam posuit, cum id facile potest. *Ratio posterioris*, quia non potest esse obligatio gravis, ubi culpa non est, vel est tantum levis.

Dixi *paratum ad restituendum;* nam si pœnitens non erat dispositus ad restituendum, si fuisset admonitus, Confessarius non tenetur de damno, quia, etsi fuerit causa injusta, non fuit tamen causa efficax damni.

Quæres 5. *Ad quid teneatur Confessarius qui negative se habuit non monendo pœnitentem de restitutione facienda?*

Nota. Obligatio Confessarii versari potest vel circa obligationem monendi, vel circa obligationem restituendi. Quo posito,

Resp. 1. *Quoad obligationem monendi*, vel id inculpabiliter omisit, et tunc non tenetur nisi sub aliquali tantum incommodo, ratione charitatis, ex supra dictis; vel culpabiliter

[1] Ubi *de Restitutione*.

id neglexit, et tunc tenetur cum majori suo incommodo ad admonitionem faciendam, ut eruitur ex principiis justitiæ. Ita S. Ligor., Elbel, etc.

Resp. 2. *Quoad obligationem restituendi.* Si inculpabiliter omiserit, illum omnes deobligant a restitutione. Si vero culpabiliter omittit,

Prima sententia docet Confessarium omnem teneri ad restitutionem, quia Confessarius ex officio debet instruere pœnitentem de suis obligationibus. Ita Navarr., Sayr., Fill., Medina.

Secunda sententia exonerat Confessarium delegatum, sed obligat parochum, eo quod ex justitia tenetur ille cavere ne subditi sui aliis damnum inferant. Ita Lessius, Antoine, Collet.

Tertia vero *sententia* communissima et probabilior absolute *negat,* et sic *prob.* Ille non tenetur ad restitutionem, qui, licet graviter peccaverit contra charitatem, non tamen peccavit contra justitiam; atqui Confessarius qui culpabiliter non monuit pœnitentem de restitutione facienda, peccando contra charitatem, non peccavit contra justitiam: ergo, etc.

Prob. min. Et quidem non peccavit contra justitiam, nec erga pœnitentem, nec erga tertium.

Nam Confessarius, qua talis, tenetur quidem ex officio monere pœnitentem de restitutione facienda in ordine ad spirituale pœnitentis, non vero in ordine ad temporale nec pœnitentis, nec alicujus tertii. Nam Confessarius constitutus est tantum ad bonum spirituale pœnitentis, non autem ad ejus bonum temporale; alias teneretur etiam ad restitutionem, quoties videns pœnitentem aliquod damnum in suis negotiis subeuntem, non admoneret, quod nemo dixit unquam.

Nec a fortiori tenetur aut procurare bonum aut avertere damnum temporale tertii, quocum nec pactum, nec conventio etiam tacita intervenit unquam. Habet quidem jus

ille tertius ut pœnitens sibi restituat, sed non habet jus ut Confessarius, qua talis, moneat pœnitentem de restitutione facienda. Ergo, licet silentium Confessarii sit causa negativa damni, non est tamen causa injusta; consequenter ex ea non oritur obligatio restituendi[1].

ARTICULUS V.

DE ABSOLUTIONE CONCEDENDA ET DENEGANDA.

CONCLUSIO.

Confessarius sub gravi peccato tenetur : *1° absolutionem concedere eis quos prudenter et cum certitudine morali, judicat esse contritos et rite dispositos;* 2° *eam denegare eis quos cognoscit carere contritione et debitis dispositionibus;* 3° *extra articulum mortis, absolutionem differre eis quorum dubia ei apparet contritio et dispositio debita, donec adsint signa conversionis moraliter certa.*

PROB. PRIMA PARS. Quia pœnitens vere contritus et integre confessus habet jus ad absolutionem : ergo non potest ipsi denegari absque gravi injustitia, qua non solum defraudatur jure legitimo, per debitam confessionem acquisito, sed et gratiis actualibus, quas intuitu Sacramenti percepturus fuisset ad futurorum peccatorum vitationem.

Hinc debet absolvi pœnitens :

1° Qui diu a peccatis abstinuit, etiamsi occasio peccandi non fuerit oblata;

2° Qui viriliter tentationibus urgentibus resistit;

3° Qui occasiones peccati caute fugit;

4° Qui laboriosis pœnitentiæ operibus sese exercet, et mandatis Confessarii cum omni humilitate obtemperare promptus est.

Nota. Conclusio tamen patitur exceptionem, cum scilicet Confessarius prævidet fore ut absolutionis dilatio magis sit

[1] Ita Croix, Elbel., Suarez, Billuart, etc., cum S. Ligor., lib. VI, num. 619.

pœnitenti profutura, quia cum majoribus dispositionibus illam deinde recipiet; tunc enim, ut medicus, potest per aliquot dies absolutionem differre, maxime si consentiat pœnitens.

PROB. SECUNDA PARS. Sacerdos peccatori non contrito, nec rite disposito, absolutionem indulgens, grave peccatum committit : 1° contra Deum, indigne violando Sacramentum, dando absolutionem defectu materiæ debitæ invalidam; 2° contra pœnitentem, quem sic exponit periculo damnationis æternæ, tum propter majorem peccandi licentiam, quam ex facilitate veniæ concipit; tum propter falsam securitatem, qua se vere absolutum confidit, cum tamen ligatus adhuc maneat, unde cordis obduratio ac impœnitentia finalis : ergo *videat diligenter sacerdos*, inquit Rituale Rom., *quando et quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio, ne absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces*, quales sunt :

1° Qui nulla dant signa doloris : tales sunt qui historice narrant peccata sua; *item*, qui præceptis Confessarii parere recusant, etc.;

2° Qui nolunt rem alienam restituere, debita solvere, damnum quodcumque resarcire, cum possunt, etc.;

3° Qui odia et inimicitias deponere, et inimicis reconciliari nolunt, licet nihil mali ipsis apprecari centies protestentur;

4° Qui occasionem proximam peccandi deserere recusant; unde Innocent. XI hanc proposit. damnavit : *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest et non vult omittere : quin imo directe et ex proposito quærit, aut ei se ingerit;*

5° Qui publicum dantes scandalum, illud tollere non curant, prout contingit mulieribus immodeste et luxuriose vestitis; illis qui componunt, vendunt, aut accommodant libros amatorios, contra fidem aut bonos mores; qui aleatoribus domum præbent, etc.

6° Qui nolunt abstinere ab usura, artibus et commerciis illicitis;

7° Qui ignorantia mysteriorum fidei voluntaria laborant, nec volunt curare illa addiscere; hi enim omnes carent contritione.

PROB. TERTIA PARS. Quia, extra periculum mortis, non licet uti materia dubia; alias sine necessitate Sacramentum exponeretur periculo nullitatis et profanationis : ergo extra periculum mortis Confessarius differre debet absolutionem eis quorum dubia ei apparet contritio.

Dixi *extra periculum mortis :* quia, juxta omnes, in tali casu licitum est uti materia dubia. Hinc, etiamsi dubia sit moribundi contritio, non debet ei differri absolutio, *modo promittat,* ait Rituale Tullense, *se omnia injuncta facturum, si ad sanitatem redierit.*

Hinc extra periculum mortis Confessarius debet differre absolutionem in octo casibus, paragraphis sequentibus enumerandis.

§ I.

De iis, qui ignorant doctrinam christianam.

CONCLUSIO.

Iis qui, etiam inculpabiliter, ignorant mysteria fidei quorum fides necessaria est necessitate medii, puta Trinitatis et Incarnationis; item *iis, qui ignorant mandata Dei et Ecclesiæ, vel obligationes sui status proprias, etiamsi sint parati ad ea quamprimum addiscenda, debet differri absolutio, donec illa didicerint.*

Ratio est, quia, ut ait S. Carolus in *Instruct. Confess.,* hæc omnia *sub reatu peccati mortalis scire tenentur :* ergo quamdiu ea ignorant, sunt absolutionis incapaces, sicut *patres et matres familias, qui suos filios, filias, servos et*

ancillas supra dicta doctrinæ christianæ capita addiscere non compellunt, ait Div. Carolus *ibidem.*

Dices : Nonnulli sunt senes, qui obliti mysteriorum Trinitatis et Incarnationis, ea, præ ætatis infirmitate, rursus discere non possunt; atqui tales debent absolvi : ergo, etc.

Resp. *Nego maj.* Quæ est de non supponente; nam nullus est adeo rudis, quin paulo ante absolutionem possit edoceri circa mysteria, de quibus agitur, cum non requiratur, ut memoriter ea reddat, sed satis sit, ut dicat ea se credere, ubi Confessarius ipsi ea per interrogationem proposuerit, v. gr. : *Credis tres esse Personas Trinitatis, credis,* etc. Ita *Rituale Tull.,* pag. 126.

§ II.

De iis qui æquivoca dant doloris signa.

CONCLUSIO.

Absolutio debet differri iis qui nonnisi omnino levia et æquivoca exhibent doloris signa, et humanissimis verbis a se dimittet confessarius; et tempus aliquod ipsis est assignandum, per quod ad confessionem diligentius se disponant.

Ratio est, quia signa doloris æquivoca non possunt prudenter judicari vera et sufficientia ad valorem et effectum Sacramenti. Satius est autem, si Confessarius sufficientia motiva proponendo pœnitentem disponat, illumque absolvat.

Dixi 1° *nonnisi omnino levia et æquivoca :* quia in sacramento Pœnitentiæ, cum materia sit moralis, moralis tantum certitudo requiritur, *nec oportet,* inquit S. Thomas[1], *quod omnis mensura sit omnino infallibilis... sed secundum quod est possibile in genere suo;* alias vix ullus posset absolvi. Porro, quid sit hæc moralis certitudo, explicat Catechismus Rom. dicens : *Si, audita confessione* (sacerdos)

[1] 1 2, quæst. 91, art. 9, ad 2.

judicaverit neque in enumerandis peccatis diligentiam, nec in detestandis dolorem pœnitenti omnino defuisse, absolvi poterit.

Dixi 2° *satius est,* etc. *Quoniam,* inquit Catechismus Rom., *sacerdoti maxime verendum est, ne semel dimissi amplius non redeant.* — Præterea quamplurimum sunt incapaces per se melius se disponendi; igitur omni conatu, omni zelo et charitate debet sacerdos imparatos disponere, et cum positive non sibi innotuerit pœnitenti omnino defuisse dolorem, ipsum absolvere poterit[1].

§ III.

De peccatore ex habitu, et relapsu.

Nota. Peccator relapsus in hoc distinguitur a peccatore ex habitu, quod peccator ex habitu proprie sit ille qui peccatum suum nondum confessus est, licet sæpius illud iteraverit; peccator autem ex relapsu sit ille qui, licet sæpius confessus fuerit peccatum, in idem tamen eodem modo relapsus est. Itaque

CONCLUSIO.

Peccator ex habitu potest, imo debet, ordinarie loquendo, absolvi, quamvis nulla emendatio præcesserit, modo eam serio proponat; at peccator ex relapsu qui nullam spem præbet emendationis, absolutione non est donandus, nisi post sufficientem et necessariam veræ pœnitentiæ probationem.

Prob. prima pars. Nam consuetudinarius, qui in prioribus confessionibus nunquam fuit correptus, aut admonitus de mediis adhibendis, etiamsi nullam emendationem præmiserit, modo serio eam proponat, potest statim absolvi, si nihil aliud obstet quam consuetudo. Ratio est

[1] S. Ligor., lib. VI, num. 459 et seqq.

quia Confessarius potest formare prudens judicium de pœnitentis legitima dispositione. Etenim

1° Ex una parte, talis pœnitens non est præsumendus ita malus, ut velit indisposite accedere ad Sacramentum; ex altera autem bene præsumitur dispositus, si confessio sit spontanea et sincera. Ergo, etc.

2° Hoc patet ex *Catechismo Rom.* supra relato.

3° Ex Rituali Rom. quod inter eos quibus differenda est absolutio non enumerat consuetudinarios : ergo censet illos esse absolvendos.

4° Quia sacramentum Pœnitentiæ non est tantum ad remittenda peccata commissa, sed etiam ad futura præcavenda. Præterea in foro confessionis creditur homini et pro se et contra se : ergo cum habeat signa ordinaria, debet absolvi.

PROB. SECUNDA PARS. Illi non est administrandum Sacramentum, de quo legitimus est dubitandi locus an ad illud legitime dispositus sit, an vera sit ejus conversio; atqui jure dubitari potest de hujusmodi peccatore quod ad Sacramentum rite dispositus sit, et quod vera sit ejus conversio : ergo, etc.

Prob. min. 1° *Ex natura habitus;* quia conversio consuetudinarii valde rara est ac perdifficilis, ut constat ex experientia et ex Patribus : ergo prius ex operibus probari debet, ut possit prudenter credi, cum jam pluries in promissis defecerit.

Prob. min. 2° *Ex natura relapsus;* quia qui fidem datam semper aut fere semper fefellerunt, non possunt, nisi ex operibus, prudenter judicari habere verum et efficax propositum non amplius peccandi; nam, ex S. Isidoro, *irrisor est, non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet.*

Porro, si relapsus non sit ex habitu causatus, sed a violenta tentatione, vel occasione non prævisa, tunc absolutio non est necessario differenda; censetur autem relapsus non causari ab habitu, quando quis raro relabitur, et non nisi

tentatione urgente, vel occasione non prævisa, et quæ alias fuisset vitata. Ita *Rit. Tullense*, pag. 130.

Dixi 1° *qui nullam spem præbet emendationis.* Nam si relapsus redeat cum eodem habitu pravo, non potest quidem absolvi, ut probavimus, et patet ex damnata ab Innocent. XI propositione in objectione infra relata.

At vero, quoties Confessarius potest sibi formare judicium prudens de dispositione pœnitentis, potest illum absolvere; sed quoties pœnitens recidivus redit afferens aliquam spem seriam emendationis, ut sunt conatus, media adhibita ad resistendum, diminutio relapsuum, vel extraordinaria signa suæ dispositionis, Confessarius potest formare prudens judicium de ejus dispositione; nam per ea tollitur suspicio de indispositione, quia bene contingere potest, quod pœnitens habuerit firmam voluntatem non relabendi, licet vi pravi habitus sit relapsus, ut patet ex S. Thoma dicente[1] : *Quod autem aliquis postea peccat vel actu, vel proposito, non excludit quin prima pœnitentia vera fuerit : nunquam enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium subsequentem : sicut enim vere cucurrit qui postea sedet, ita vere pœnituit, qui postea peccat.* Ergo relapsus non sunt semper signa falsi propositi, sed mutatæ voluntatis.

Dixi 2° *nisi post sufficientem,* etc., circa quod notandum est :

1° Commune esse apud doctores nullo modo expedire absolutionem differre, quando dilatio magis obfutura quam profutura esse debet pœnitenti.

2° Probe distinguendum esse inter recidivum ex infirmitate interna, et ex causa externa.

Si relapsus est ob *infirmitatem internam,* ut accidit in pollutionibus, delectationibus morosis, odiis, blasphemiis et similibus, raro expedit, inquit S. Alphonsus de Ligorio, absolutionem differre pœnitenti recidivo sufficienter dispo-

[1] 3 p., quæst. 84, art. 10, ad 4.

sito ut supra. Ratio *prima*, quia prava consuetudo, cum non habeat objectum externum, minus impellit ad peccatum; ratio *secunda*, quia, cum causa sit inseparabilis a peccatore, extirpatio illius *magis remedium præbetur contra peccata vitanda ex gratia, quam ex assuetudine nostrorum operum*[1]; atqui nihil efficacius ad obtinendam gratiam quam Sacramenti frequens receptio[2]: ergo, etc.

Si relapsus sit ex causa *extrinseca*, vide infra, *de occasione proxima*.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicies 1. Confessarius debet adhibere fidem pœnitenti detestanti peccatum consuetudinis, ac protestanti se in illud non amplius lapsurum : ergo debet illum absolvere.

Resp. *Nego ant.* Contrariatur enim definitioni Innocent. XI, qui damnavit hanc proposit. : *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere et proponere emendationem.* Quam propositionem Clerus Gallicanus anno 1700, confixit ut *erroneam, et ad finalem impœnitentiam ducentem.* Quia nec affulget spes, nec adest verum propositum.

Inst. 1. Confessarius fidem adhibet pœnitenti accusanti peccatum a se commissum : ergo a pari debet ipsi fidem adhibere, dum se esse conversum protestatur.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod pœnitens sua peccata certo novit, econtra sæpe cæcutit circa veras cordis sui dispositiones; ideo opus est eas probare potius operibus, quam verbis : necesse ergo est, ut sacerdos fructus emendationis exigat, nec credat æquivoco et fallaci doloris signo, nec promissioni emendationis, cui sponsor infidelis noscitur semper defuisse.

[1] S. Thom., *Suppl.*, quæst. 25, art. 1, ad 4. — [2] S. Ligor., lib. VI, num. 463.

Inst. 2. Peccatori relapso, in periculo mortis absolutio impertitur : ergo pariter sano est impertienda.

Resp. *Nego conseq.* Datur equidem absolutio moribundo, non quod ejus verba moralem de illius conversione certitudinem pariant, sed ex eo quod in casu urgentis necessitatis, uti liceat materia dubia in Sacramentis ad salutem necessariis necessitate medii.

Inst. 3. Potest illum, qui peccavit ex consuetudine, vere pœnitere, dum confitetur : ergo debet absolvi.

Resp. *Nego conseq.* Quia non sufficit quod lapsum interius pœniteat, ut possit absolvi, sed insuper Confessarius debet habere moralem certitudinem de illius conversione et depositione affectus ad peccatum, quod non habet ex verbis pœnitentis, sed ex ejus operibus, cum hactenus fidem fregerit.

Inst. 4. A militibus consuetudinariis recidivis non exiguntur prævia pietatis opera, ut beneficio absolutionis donentur : ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* A militibus, qui in eo loco versantur, in quo cum hoste pugnaturi sunt, *conc.;* tunc enim, cum sint in mortis periculo, minister materia dubia uti potest : a militibus, qui nondum sunt in eo loco, in quo pugnaturi sunt, *nego ant.;* tunc enim differri debet absolutio, donec ad eum locum, in quo cum hostibus pugnaturi sunt, aut ad alium vicinum pervenerint, monerique debent, ut per iter (quod tutum supponitur) temperent a peccatis, et identidem Deum orent, ut contritionis donum obtineant.

Inst. 5. Peregrini consuetudinarii recidivi non sunt in periculo mortis, et tamen, virtute peregrinationis, juxta praxim ordinariam, absolvuntur : ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Peregrini, qui longam ac difficilem peregrinationem suscepere, ac toto eo tempore temperarunt a peccatis, *conc. ant.;* de iis enim certitudo est moralis quod eos vere pœniteat, ac proinde absque absolutione dimitti non debent in suam patriam : peregrini, qui bre-

vem et facilem peregrinationem suscepere, nec dant aliquod signum extraordinarium, *nego ant.;* de iis enim non est certitudo moralis quod eos vere pœniteat, ac proinde jujubendi sunt ut in patriam reversi, Confessarium adeant, a quo absolvi poterunt, ubi sufficienti tempore emendationem operibus probaverint.

Dixi *nec dant aliquod signum extraordinarium :* nam, licet peregrinatio pia et spontanea sit per se signum extraordinarium, potest tamen fieri ut ex se non sufficiat ad prudens judicium efformandum de pœnitentis dispositione.

Objicies 2. Varia sequuntur absurda ex praxi per quam absolutio eis procrastinatur, qui implicati sunt peccandi consuetudine, a qua pluries admoniti non se retraxerunt : ergo, etc.

1° Enim ex hac dilatione forte pœnitens desperabit.

2° Contristabitur et turbabitur pax illius.

3° Insuper committitur periculo moriendi absque Sacramento.

4° Mulieres quamplurimæ de fama periclitabuntur, v. gr. si ea die, qua palam confitentur, ad sacram Synaxim non accedant; aut si benedictionem nuptialem non recipiant in templo, ad quod consanguinei, tum sponsi, tum sponsæ, confluxisse supponuntur.

5° Nonnunquam prætermittenda foret paschalis communio, quod tamen vix sine parochi aut aliorum scandalo, contingere potest.

6° Si differatur absolutio sacerdoti recidivo, populus fidelis præcepto de Missa festivis diebus quandoque non poterit facere satis.

7° Recessus ejusdem sacerdotis ab altari, erit scandalo universæ plebi.

Resp. *Nego ant.* et sic ad singula :

Resp. *ad primum.* Hoc esset per accidens; Confessarius enim quærit bonum pœnitentis, et rem totam Deo com-

mittit; interdum pœnitentem non potest penitus imparatum absolvere.

Resp. *ad secundum.* Justius est contristare hominem, quam Spiritum Sanctum, juxta illud Ephes. IV : *Nolite contristare Spiritum Sanctum.* Pax autem illa esset *irrita et falsa pax, periculosa dantibus, nihil accipientibus profutura,* ait Div. Cyprian., serm. *de Lapsis.*

Resp. *ad tertium.* Deum, in casu necessitatis, supplere Sacramenti effectum in pœnitente, qui alioquin eo quo par est modo dispositus est ad illud recipiendum; id patet ex praxi Ecclesiæ, quæ pro pœnitentibus et catechumenis ante Sacramenti receptionem mortuis offert Eucharistiæ sacrificium : *Pœnitentes,* ait Concil. Carthag. IV[1], *qui attente leges Pœnitentiæ exequuntur, si casu in itinere, vel in mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non possit, memoria eorum, et orationibus, et oblationibus commendetur* : ergo udicat eos in statu gratiæ decessisse. Aliunde pœnitens dici non potest, quem nullo modo pœnitet.

Resp. *ad quartum.* Periculum famæ non esse casum necessitatis, in quo solo minister uti potest materia dubia.

Resp. *ad quintum.* Concil. Lateran. facultatem concedere sacerdoti, ut communionem paschalem in aliud tempus differat, si dilationem saluti pœnitentis expedire judicaverit.

Resp. *ad sextum.* In casu de quo agitur, populum fidelem liberari a debito Missam audiendi; tunc enim nec physicam, nec moralem potestatem habet, ut ipsam audiat.

Resp. *ad septimum.* Illi scandalo mederi poterit impurus ille sacerdos sub obtentu alterius causæ, quæ tamen vera sit : v. gr. potest unum e pollicibus cultro leviter laceratum lineis involvere, eamque causam ostendere coram populo, cum quo alioquin in templo precari, et Vesperas cum Completorio cantare poterit. Præterea potest et debet vere pœnitere, et statim absolvi, si signa sint sufficientia.

[1] Can. 70.

QUÆRES 1. *Quænam sint illa signa extraordinaria cum quibus recidivus statim absolvi potest?*

RESP. Præcipua novem assignantur, et sunt

1° Major dolor expressus per lacrymas, suspiria, cordalia verba, etc.

2° Minor numerus peccatorum, quia tunc vera est spes emendationis, ut dictum est.

3° Studium adhibitum ad emendationem, v. gr. fuga spontanea occasionis, jejunia, et alia bona opera sponte suscepta.

4° Mediorum ad se emendandum selectio, aut sincera promissio hæc amplectendi, quibus tamen promissis caute credendum est.

5° Spontanea confessio, maxime si fiat pluribus superatis difficultatibus.

6° Motivum grave propellens, puta si peccator ad confessionem accedit motus concione, morte parentis vel amici, timore pestis, belli, naufragii, etc.

7° Confessio peccatorum prius culpabiliter omissorum.

8° Restitutio bonorum injuste detentorum prius facta quam accedat ad confessionem.

9° Si pœnitens post confessarii monita dicat se majorem adeptum fuisse notitiam suæ iniquitatis, vividius sentire suæ conditionis periculum, etc.

QUÆRES 2. *An impius, qui ex consuetudine semel in hebdomada peccabat mortaliter, ad absolutionem sufficienter dispositus censeri debeat, si semel tantum in mense in idem peccatum labatur?*

RESP. *affirm.* Siquidem vera conversio non excludit quodlibet peccatum futurum, ut diximus supra, maxime si causa relapsus sit interna : talis enim pœnitens magnam præbet spem perfectæ conversionis et grave motivum de sua legitima dispositione. Huic sententiæ concinnens,

Rituale Rom., tit. *de Sacram. Pœnit.*, consulit peccatori-

[1] 3 p., quæst. 84, art. 10, ad 4.

bus *recidentibus*, *ut sæpe, puta semel in mense, vel certis diebus solemnibus, confiteantur, et, si expediat, communicent* : ergo censet eos sufficienter ad absolutionem dispositos. Nam illis ut conantibus e cœno emergi, illud *Rituale* innuit festi solemnitatem rationem esse, quæ sacerdotem movere debeat, ut tum absolutionem, tum communionem iis concedat.

Quæres 3. *Utrum iterari debeant confessiones, quas quis, peccandi consuetudine implicatus, fecit, quasque absolutio semper subsecuta est ?*

Resp. Eas *ordinarie* iterari debere. *Ratio est*, quia prudenter conjicitur, in casu de quo agitur, nullam adfuisse contritionem, sine qua nullum est Sacramentum.

Dixi *ordinarie,* quia peccatum subsequens non semper arguit falsitatem confessionis præcedentis, ait Div. Thom.[1] Unde prudens Confessarius de ejus falsitate aut veritate judicabit ex circumstantiis, v. gr. ex neglectu remediorum præscriptorum, ex violentia tentationis, ex gravitate peccati, etc.

§ IV.

De occasione proxima et periculo peccati.

Nota 1. Occasio peccati est *id quod ad peccatum pertrahere potest :* multiplex est. Et quidem dividitur 1° in *remotam* et *proximam.*

Occasio remota *est ea quæ aliquando, sed raro, ad peccatum inducit;* quo sensu nulla ferme res est in mundo, quæ occasionem peccandi remotam non suppeditet; hanc non tenemur fugere, *alioquin deberemus de hoc mundo exire,* inquit Apostolus[2].

Occasio proxima *est ea quæ ordinarie ad peccatum impellit :* et duplex est : una *per se* et *naturalis,* alia *per accidens* et *personalis.*

[1] 3 p., quæst. 84, art. 10, ad 4. — [2] I Cor. v, 17.

Occasio proxima per se *est ea quæ ex natura sua et sine alio respectu inducit ad peccatum*, sive externum, sive internum, v. gr. familiaritas inter adolescentes et puellas, est occasio *per se* peccatorum impudicitiæ.

Occasio proxima per accidens *est ea quæ, licet bona in se, aut indifferens, tamen, considerata pœnitentis prava dispositione, inducit ad peccatum*, v. gr. munus judicis in judice ignorante.

2° Utraque vel est *voluntaria*, vel *involuntaria*.

Occasio voluntaria *est ea quæ deseri potest, etiam sine gravissimo incommodo;* sic potest deseri familiaritas cum mulieribus, officium ad quod quis est incapax, etc.

Occasio involuntaria, seu necessaria, *est ea quæ deseri non potest, vel physice*, ut si quis in carcere sit cum flagitiosa fœmina; *vel moraliter*, ut militia, respectu militis in ea frequenter peccantis.

3° Occasio iterum dividitur in *internam*, ut v. gr. inveterata consuetudo, aut certa complexio naturalis inducens ad peccatum; et in *externam*, id est, existentem extra ipsam hominis personam, ut v. gr. pravum consortium. Hæc communiter intelligitur nomine occasionis proximæ, ut notat Billuart[1].

Occasio proxima *externa* iterum dividitur in *continuam* et *interruptam*.

Occasio continua, sive quæ est *in esse*, est *ea quæ penes est peccatorem, quin necesse sit illam quærere*, v. gr. cum quis concubinam domi retinet; vel cum aliqua famula consentit quoties tentatur ab hero; vel cum quis injuste bona detinet aliena.

Occasio quæ non est *in esse*, seu interrupta, *ea est quæ penes non est hominem, sed illam quærere debet*, ut frequentatio puellæ, popinæ, chorearum et alia hujusmodi.

Nota 2. Periculum peccati *est aliquid inclinans seu disponens ad peccatum*. Ex illa definitione periculum et occasio

[1] *De Pœnit.*, diss. VI, art. 10.

videntur in unum reincidere: sunt tamen inter se distincta; nam *occasio* quædam est actus circumstantia sive interna, sive externa, ut diximus: *periculum* vero, (quod oritur a verbo Græco *peyra, experientia, tentatio*) est ipsamet tentatio, sollicitatio et allectio ad peccatum; unde occasio videtur esse causa, et periculum effectus occasionis.

Periculum dividitur in *proximum* et in *remotum*.

Periculum proximum, quod habet frequentem conjunctionem cum peccato.

Remotum, quod non habet conjunctionem frequentem cum peccato.

Periculum *proximum* aliud est *formale*, aliud *materiale*.

Periculum formale est illud quod hic et nunc, consideratis intrinsecis et extrinsecis circumstantiis, præter occasionem externam, est proxime conjunctum cum peccato, ita ut homo in eo constitutus, formaliter consentit et peccat.

Periculum materiale est illud quod *de se*, spectatis circumstantiis et occasionibus externis, solet esse cum peccato conjunctum, sed in casu non conjungitur ratione necessitatis, vel mediorum quibus utitur homo ad vitandum peccatum; unde fit ut tunc occasio sit proxima, et periculum *formale* remotum.

Periculum *formale* potest esse *certum*, vel *probabile*, vel *leve*.

Tunc est *certum* quando quis firmiter existimat in tali occasione se peccaturum, et illud est omnino vitandum. *Probabile*, quando certo quidem, sed ob prudens motivum, vel ex sua experientia, vel ex natura, occasione multum alliciente valde timet ne cadat. *Leve*, quando aliqualis tantum est apprehensio de lapsu. De hoc periculo judicandum est sicut de occasione remota. His notatis, sit

CONCLUSIO I.

Iis qui versantur in occasione peccati per se et in esse *et quæ est* voluntaria, *quantumvis promittant se talem occasionem relicturos, ordinarie loquendo differenda est absolutio, donec eam reliquerint, juxta illud Christi :* ' Si oculus tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te[1].

Ratio, quia talis occasionis ablatio, res est valde difficilis, nec avellitur nisi quis sibi magnam vim inferat; et ideo, si ante absolutionem occasio non auferatur, pœnitens de facili post absolutionem se decipiet.

Dixi *ordinarie loquendo;* nam potest absolvi versatus in occasione proxima, quæ est *in esse,* sed prima vice tantum, in duplici casu :

1° Si pœnitens afferat extraordinaria signa doloris ex quibus Confessarius prudenter judicare potest nullum esse periculum probabile quod pœnitens infringat suum propositum. Consultius tamen est etiam in hoc casu absolutionem differre, si commode fieri possit[2].

2° Si pœnitens non possit ad confessarium redire, vel nonnisi post longum tempus, et jam peccata fuerit confessus et Confessarius illum rite dispositum agnoscat : quia tunc ex una parte jus habet ad absolutionem, et ex altera periculum fit remotum ratione oneris quod pœnitens deberet subire repetendi confessionem apud alium, supposito semper quod nondum fuerit admonitus. Ita S. Ligor., et communiter.

[1] Matth. XVIII, 9. — [2] S. Ligor., lib. VI, num. 458.

CONCLUSIO II.

Iis qui versantur in occasione proxima peccati per se *quæ non est* in esse, *sed voluntaria, semel aut iterum, vel etiam tertia vice concedi potest absolutio, si sincerum appareat propositum illam relinquendi; at si postmodum emendatio non appareat, quantumvis promittant se talem occasionem relicturos, differenda est absolutio donec eam reliquerint.*

Utraque propositionis pars eruitur ex S. Alphonso de Ligorio et S. Carolo Borromeo dicente [1]: *Pro aliis vero occasionibus minus impellentibus, quales sunt aleæ vacatio, aspectus minus pudici, colloquia, gestus,* etc., *non absolvatur nisi eas pœnitens dimittere polliceatur; quod si jam alias pollicitus sit, nec emendatus fuerit, absolutio differatur, donec emendationem agnoverit... De operibus quæ ad malum inclinant, ut saltationum publicarum, improborum hominum, cauponarum frequentatio, et alia hujusmodi, quorum occasione si homo peccare consueverit, nequaquam debet absolvi, nisi primum eam omnino dimiserit. Quod si Confessario visum fuerit ex prima aut secunda pœnitentis pollicitatione et non amplius, ipsum occasionem hanc dimissurum, potest eum absolvere. Absolutionem autem differat, si promissis non steterit, donec emendatam omnino fuisse occasionem agnoverit.*

Ratio hujus est, quia cum pœnitens in prima aut secunda, aut etiam tertia vice bene dispositus accedat, et non sit in occasione, ut in casu præcedenti, Confessarius prudenter existimat periculum esse remotum, propter præparationes cordis pœnitentis, de cujus fide dubitare non licet. Atvero cum bis terve in promissis defecerit, jam non est fundamentum quo nitatur ad illum absolvendum.

[1] *Instruct. Confess.*

CONCLUSIO III.

Iis qui versantur in occasione proxima per se, *quæ est* in esse, *sed* involuntaria *et* necessaria *necessitate tum physica, tum morali, potest concedi absolutio pro prima vice aut secunda, modo parati sint ad omnia media adhibenda ut periculum ex proximo et formali fiat remotum et materiale, quin necesse sit occasionem auferre.*

Prob. 1. Cum enim occasio necessaria non sit de se peccatum, bene potest consistere cum vera peccati detestatione et firmo ac serio proposito non peccandi de cætero, aptaque ad illud adhibendi remedia; atqui pœnitenti qui non est recidivus et talem dispositiones se habere profitetur, fides est adhibenda, ut dictum est supra : ergo, etc.

Prob. 2. Ex S. Basil.[1] : *Qui, urgente aliqua causa,* inquit, *et necessitate, se periculo objicit, vel permittit se esse in illo, cum tamen alias nollet, non tam dicitur amare periculum, quam invitus illud subire, et ideo magis providebit Deus, ne in illo pereat.*

Dixi tum *physica,* v. gr. si quis constitutus sit in carcere a quo discedere non valet; vel in articulo mortis in quo tempus vel modus illi non suppetit amasiam expellendi, et alia hujus generis.

Dixi tum *morali,* nempe si occasio tolli non possit sine scandalo, vel infamia, vel magno fortunæ detrimento, et alia hujusmodi.

Quod si, mediis ad emendationem adhibitis, adhuc peccet ut antea, tunc differenda est omnino absolutio, usquedum periculum proximum certo evaserit remotum; si occasio non possit auferri, vel deseratur, si possit, etiam cum quantocumque damno temporali, imo, cum famæ et status jactura. Ratio quia, quando, adhibitis remediis, nulla secuta est emendatio, nulla etiam affulget spes emendationis,

[1] In *Constit. Monach.*, cap. 4.

et periculum evadit formaliter proximum : quod est omnino vitandum.

Nota. Hæc omnes conclusiones probabilissimæ sunt, verum in praxi S. Alphons. de Ligorio cum communi sentit expedire, ut iis qui versantur in occasione proxima extrinseca, etsi adsint extraordinaria signa doloris, absolutio differatur quoties commode fieri potest. *Sic semper egi,* inquit S. Doctor, *et semper agam.*

Quæres : *An absolvi possit qui se exponit probabili periculo peccandi?*

Resp. *cum distinctione.* Vel nulla adest necessitas periculose exponendi, vel adest.

Si primum, non potest absolvi ; nam formale peccandi periculum est omnino fugiendum, ut dictum est supra ; atqui cum adsit, in casu, probabilitas peccandi, adest quoque periculum formale peccandi : ergo absolvi non potest qui voluntarie se exponit.

Idem docet S. Thomas dicens[1] : *Infirmi in fide, de quorum subversione probabiliter timeri potest, prohibendi sunt ab infidelium communione.*

Si secundum, potest absolvi, imo etsi se exponat periculo probabiliori, modo moraliter certus non sit de lapsu, v. gr. ad succurrendum proximum in extrema necessitate. Ratio est, quia propter hanc necessitatem, periculum jam non est voluntarium, sed necessarium, et in his circumstantiarum adjunctis, sperandum est fore ut Deus uberioribus gratiis sic adjuvet ut, stante occasione proxima, periculum fiat remotum, quod cum S. Alphons. de Ligorio[2] docet S. Thom., addens superiori decisioni hæc verba : *Nisi, urgeat necessitas,* et S. F. Salesius quodam in loco de casu speciali, dicens : *Il faut quelquefois confier notre chasteté à la charité, et d'autres fois notre charité à la chasteté.*

[1] 1 2, quæst. 10, art. 9. — [2] Lib. VI, num. 453.

CONCLUSIO IV.

Iis qui sunt in occasione peccati per accidens, *quæ est* voluntaria, *si tolli possit, ordinarie differenda est absolutio, donec tollatur.*

Dixi *ordinarie*, nam absolvi possunt prima vice, ut dictum est supra. Sed interdum si ignorantia sit occasio peccati, v. gr. in judicibus, abstineant ab officio quod aliis esset nocivum.

Si vero tolli non possit, differenda est absolutio, donec pœnitens reliquerit occasionem, v. gr. officium, ad quod capacitatem necessariam non potest acquirere : *Falsa enim est pœnitentia,* inquit Concil. Lateran. sub Innocent. III, *cum pœnitens ab officio, vel curiali vel negotiali, non recedit, quod sine peccato agi nulla ratione prævalet.*

Iis vero, qui versantur in occasione *per accidens,* quæ est involuntaria aut inevitabilis, v. gr. viro, cui uxor est occasio odii, juramenti, etc., differenda est absolutio, donec videatur emendatio, et dispositio necessaria ad recipiendam utiliter absolutionem, ut in superioribus conclusionibus. Ita *Rituale Tullense,* pag. 134.

§ V.

De iis qui aliis sunt occasio scandali et peccati.

CONCLUSIO.

Differenda est absolutio iis qui dant proximo occasionem peccandi, nisi prius illam prorsus abscindant.

Tales sunt feminæ, quæ immodesto ornatu præbent aliis occasionem scandali; bibliopolæ, qui libros impudicos vendunt; pictores, qui fœdas picturas conficiunt; patres et matres, qui juramentis, detractionibus, etc., filios et fa-

mulos scandalizant. Sed recole quæ de his dicta fuerunt ubi de cooperatione[1].

§ VI.

De iis qui ad restitutionem sunt obligati.

CONCLUSIO.

Differenda est absolutio eis qui tenentur ad restitutionem notabilem, donec restituerint.

Ratio quia alioqui relinquerentur in gravi periculo non restituendi, ob difficultatem talis restitutionis, et propensionem magnam differendi. Unde versantur in occasione proxima quæ est in esse.

Si vero restitutio non sit notabilis, vel de illorum fide non sit locus dubitandi, absolvi quidem possunt ante restitutionem, quam facere promittunt; quod si, ut id facerent superiori confessione præceptum sit, ipsam tamen facere neglexerunt, absolvendi non sunt ante debitam satisfactionem, modo restitutio sit possibilis; ita Concil. Burdigalense a Gregor. XIII confirmatum, cap. XIII : *Neminem,* inquit, *parochi absolvant eorum qui cum præcedente confessione se ablata restituturos, aut legata ad pias causas soluturos essent polliciti, cum facultas adfuisset, neglexerint. Eos excipimus, qui in mortis articulo fuerint constituti; qui tamen admonendi erunt, ut id oneris, si obierint, hæredibus imponant, vel, si convaluerint, quamprimum poterunt, satisfaciant.* Ratio est, quia ob fidem non servatam debet operibus probari eorum efficax propositum.

[1] Tract. *de Virtut. theol., de Charitate.*

§ VII.

De iis qui inveteratas inimicitias conservant.

CONCLUSIO.

Differenda est absolutio iis, qui inveteratas inimicitias exercent cum proximo, donec ei se reconciliaverint, vel etiam eis quorum inimicitiæ, licet non sint inveteratæ, tamen promissioni factæ de mediis ad reconciliationem adhibendis non steterunt,

Juxta illud Christi, Matth. v : *Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum.*

§ VIII.

De iis qui grave scelus perpetrarunt.

CONCLUSIO.

Differenda est aliquando, saltem ad aliquod tempus, *absolutio eis qui aliquod grave scelus, v. gr. homicidium, adulterium, etc., perpetrarunt, donec orationibus, bonis operibus, etc., prebaverint contritionem.*

Ratio, quia contritio in iis qui statim a patrato tali scelere absolvi præsumunt, est maxime æquivoca, cum tam ab infamia per peccatum contracta, vel confusione inde accepta possit oriri, quam ex odio et detestatione peccati; unde debet probari operibus.

Dices : Div. August. *Enchiridii* cap. LXV, ait : *In conversione peccatoris non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris :* ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris per opera probati, *conc.*, non probati

per opera, *nego ant.* Itaque dilatio non fit ut attendatur mensura temporis, sed sinceritas doloris, de quo moraliter certus esse debet sacerdos. Sed pro coronide hujus materiæ

Nota. 1. Orationes mentales et meditationes, recollectiones mentis et conscientiæ examina, cum sint mere interna, non sunt rudibus injungenda, nisi aliquid externum adjungatur ut pœnitentes certo sciant se illa adimplevisse.

Nota 2. Quando pœnitens sufficienter est dispositus, absolutio non est ei diu differenda, tum quia jus habet ad absolutionem, tum quia sine sufficienti ratione exponitur damnationis periculo, quamvis remoto; tum maxime quia opera pia quæ facit ante justificationem, sibi ad meritum et æternæ gloriæ sunt inutilia.

CAPUT VII.

DE EFFECTIBUS POENITENTIÆ.

Nota. Constat ex dictis effectus hujus Sacramenti esse: 1° gratiæ habitualis et sacramentalis infusionem; 2° omnis culpæ remissionem; 3° condonationem pœnæ æternæ pro eis debitæ, et non tamen semper totius pœnæ temporalis. Duo solummodo hic examinanda supersunt:

1° Utrum merita per peccatum subsequens mortificata, per subsequentem pœnitentiam reviviscant.

2° An peccata per pœnitentiam remissa, per subsequentia peccata redeant. Itaque sit

CONCLUSIO I.

Viva justorum opera per peccatum mortificata, per pœnitentiam subsequentem reparantur ac reviviscunt. Ad cujus intelligentiam

Nota. Quintuplex vulgo a theologis distingui operum genus, nempe : *vivificantia, viva, mortifera, mortua* et *mortificata.*

Opera *vivificantia* sunt ea quæ vitam animæ afferunt, talis est contritio.

Opera *viva* sunt ea quæ facta sunt ex charitate, et quæ vitam æternam merentur.

Opera *mortifera* sunt ea quæ mortem animæ spiritualem inferunt, ut peccata mortalia.

Hæc opera, cum nunquam habuerint principium vitæ spiritualis, ad illam resurgere non possunt, neque prodesse ad vitam æternam: multo tamen prosunt ad alios fines his duobus versibus comprehensos:

Quæ cum mortali fiunt, dant bona terræ,
Cor faciunt humile, minuunt tormenta gehennæ[1].

Opera *mortua* sunt opera ex se bona, facta ab homine existente in statu peccati mortalis.

Opera *mortificata* sunt opera viva, quæ, superveniente peccato mortali, impediuntur a consecutione præmii ipsis alias debiti. His notatis,

Prob. prop. 1. *Ex Scriptura.* Joel. II, Deus, peccatores ad pœnitentiam invitans, promittit se ipsis redditurum *annos, quos comedit locusta, bruchus, et rubigo, et eruca;* id est, juxta interpretationem Patrum, omnia merita quæ per peccatum amiserunt.

Ad Galat. III, Apostolus Galatas multa primum pro Christo passos, deinde ad judaismum prolapsos objurgat, dicens: *Tanta passi estis sine causa?* id est frustra: *si tamen sine causa,* id est, ut interpretatur Div. Hieronym., *sine utilitate vestra, supposito quod in hoc errore perseveretis; non sine causa, si resipiscatis.* Ita etiam loquuntur alii Patres ac Theologi.

Prob. 2. *Ratione.* Quia circa bona hominis opera non magis potest culpa quam gratia: ergo, si per culpam mortificantur, necesse est ut per gratiam denuo reviviscant.

Objicies. Ezech. XVIII, de justo mortaliter peccante dici-

[1] Glossa, cap. *Quod quidam, de Pœnit. et remissione.*

tur : *Omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur :* ergo non reviviscunt per subsequentem pœnitentiam.

Resp. *Nego conseq.* Propheta enim loquitur de eo qui in peccato suo moritur ; addit enim : *In prævaricatione, qua prævaricatus est, et in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur.*

Inst. 1. Opera mortifera per pœnitentiam deleta, non reviviscunt per subsequens peccatum : ergo nec opera mortificata per subsequentem pœnitentiam.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod opera mortifera sunt penitus deleta, hinc non mirum est si reviviscere non possint : at merita mortificata non sunt deleta absolute, sed manent in acceptatione Dei, quoad jus quod conferunt ad gloriam, sublato impedimento, nempe peccato.

Inst. 2. Si bona opera per peccatum mortificata, per pœnitentiam reviviscerent, hoc proveniret vel ex misericordia Dei, vel ex justitia ; atqui neutrum dici potest.

Resp. *Dist. min.* Et dico ipsa reviviscere, tum ex misericordia Dei, quia reviviscunt per gratiam quæ est omnino gratuita ; tum ex justitia, quia opera bona merentur præmium ex justitia, quando nullum est impedimentum ; atqui nullum est impedimentum, quando ablatum est peccatum : ergo, etc.

Inst. 3. Nusquam reparatur amissa innocentia : ergo nec gratia.

Resp. *Nego conseq.* Innocentia enim non est gratia nude et simpliciter sumpta, sed est gratia quæ nusquam per peccatum fuit amissa ; atqui impossibile est eum qui semel amisit gratiam, hanc nunquam amisisse.

Quæres : *Quomodo bona opera mortificata reviviscant per pœnitentiam?*

Resp. Reviviscunt juxta omnem gratiæ gradum quem ante peccatum habebant, et juxta totum jus ad gloriam quod merebantur, juxta illud[1] : *Impietas impii non nocebit*

[1] Ezech. xxxiii.

ei, in quacumque die conversus fuerit. Atqui multum noceret, si opera mortificata non reviviscerent juxta omnem gratiæ gradum, et totum jus ad gloriam, quod ante habebant : ergo, etc.

DICES : Ex Concil. Trident.[1], gratia per Sacramentum non infunditur, nisi juxta actualem suscipientis dispositionem : ergo, tum gratia, tum jus ad gloriam meritis prioribus collata non restituuntur nisi secundum fervorem pœnitentiæ.

RESP. *Dist. ant.* Gratia quæ de novo acquiritur, *conc.;* gratia quæ restituitur, *nego ant.* Itaque cum gratia, quæ reviviscit, non fuerit amissa, sed tantum suspensa donec peccator egerit pœnitentiam, sequitur, facta pœnitentia, reviviscere secundum se totam.

CONCLUSIO II.

Peccata per pœnitentiam dimissa non redeunt simpliciter *per peccatum subsequens, sed tantum* secundum quid, *et* virtualiter.

Nota. Peccatum *redire simpliciter,* est ipsum redire secundum maculam et reatum sibi proprium ; peccatum vero *redire secundum quid,* est peccatum sequens, ratione ingratitudinis, fieri gravius quam alias fuisset.

PROB. PRIMA PARS PROPOS. Quia, ex Apostol.[2]: *Sine pœnitentia sunt dona Dei;* sed peccata sunt dimissa per donum Dei : ergo per peccatum sequens non redeunt dimissa peccata, quasi Deum de dono remissionis pœniteat. Hinc est quod peccata condonata dicantur remissa, deleta, et pœnitentes dealbari super nivem : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates... Dele iniquitatem meam,* Psal. XXXI ; et : *Lavabis me, et super nivem dealbabor,* Psal. L.

OBJICIES : Merita per peccatum amissa, per pœnitentiam

[1] Sess. 6, cap. 7.— [2] Rom. XI.

reviviscunt : ergo et peccata remissa per subsequens peccatum.

Prob. conseq. Contrariorum eadem est ratio : ergo, etc.

Resp. *Dist.* Contrariorum eadem est ratio, dum cætera sunt paria, *conc.;* secus, *nego.* Disparitas autem est inter peccata et merita, quod peccata per pœnitentiam vere deleantur; merita vero per peccatum sequens non deleantur, sed suspensa maneant propter peccati impedimentum, quo sublato reviviscunt.

Inst. 1. Eccli. v dicitur : *De propitiato peccato noli esse sine metu :* ergo peccata possunt reviviscere.

Resp. *Dist. conseq.* Possunt reviviscere secundum quid et virtualiter ratione magnitudinis, *conc.;* simpliciter, *nego.* Loquitur enim Ecclesiasticus de iis qui obtentu misericordiæ Dei liberius peccantes, sese indignos miserationum et gratiæ singularis divinæ constituunt, addit enim : *Neque adjicias peccatum supra peccatum; et ne dicas : miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur,* etc.

Inst. 2. Christus[1], adducta parabola in qua Dominus a servo in conservum suum crudeli, debitum repetit, quod remiserat, addit : *Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Ergo peccatorum debita, licet remissa, redeunt odio fraterno.

Resp. *Nego conseq.* Christus enim hanc parabolam non usurpat, nisi ut ostendat nos teneri condonare injuriam omnem quam a proximo nostro recepimus, ita ut nullam a Deo veniam accepturus sit, quisquis erga inimicum suum implacatum animum gerit. En scopum hujus parabolæ. Cum igitur Dominus ab immiti servo debitum, quod remiserat, repetiit, circumstantia hæc ad ornatum parabolæ posita est. Vide Cornelium a Lapide in hunc locum.

[1] Matth. XVIII, 32.

Nota. Patres, qui nobis videntur contrarii, intelligend sunt, non de formali, sed virtuali peccatorum reviviscentia.

PROB. SECUNDA PARS PROP. Ex Div. Thom. dicente[3]: *Dicendum quod peccata dimissa per pœnitentiam, redire dicuntur, in quantum reatus eorum, ratione ingratitudinis, virtualiter continentur in peccato sequenti.* Ergo peccata per pœnitentiam remissa, per sequens peccatum reviviscunt secundum quid. Hæc tamen circumstantia ingratitudinis non mutat speciem, et ideo non est *per se* de præcepto confessionis.

[3] Quæst. 88, art. 2, ad 3.

APPENDIX I.

DE CONFESSARIIS SOLLICITANTIBUS.

Ex Bulla Gregorii XV (ann. 1622) omnes sacerdotes tam sæculares quam regulares..... qui sollicitant ad peccatum contra sextum præceptum in confessione, aut occasione, prætextu, vel simulatione confessionis, denuntiandi sunt superioribus ecclesiasticis.

Quam Bullam confirmavit Benedict. XIV per Constitutionem *Sacramentum Pœnitentiæ;* quæ ut suapte dignoscantur, dicemus : 1° de clausulis prædictæ Bullæ ; 2° de his qui denuntiandi sunt ; 3° de his qui denuntiare tenentur.

§ I.

De clausulis ullæ.

Clausula 1. *In actu sacramentalis confessionis...* Per quod intelligitur, sive confessio sit perfecta, sive inchoata tantum; sive sollicitans sit approbatus, sive non. Imo, etsi sit laicus confessarium simulans, sive verbis, sive chartis pœnitenti traditis, aut alio quovis modo, v. gr. dicendo mulieri ut expectet, vel petendo ubi habitet, ex quo pœnitens quid confessarius intendat, intelligit.

Clausula 2. *Immediate ante, vel post... Immediate ante,* hoc est nullo intervallo interposito; *immediate post,* id est antequam confessarius aut pœnitens ad alia divertat.

Clausula 3. *Occasione vel prætextu confessionis...* Id est si petatur vera confessio, vel simulatio tantum sit confessionis ad finem sollicitandi, vel etiam probabilius quando confessarius sollicitat extra confessionem, sed ex notitia adepta in illa, v. gr. de fragilitate mulieris.

Clausula 4. *Extra confessionis occasionem in confessionario vel in loco quocumque..... ad confessionem audiendam electo.....* Id est, omnis illicita tractatio de turpibus, sollicitatio, provocatio vel attentatio facta in sacro tribunali, quamvis non agatur de confessione facienda aut jam facta.

§ II.

De his qui denuntiandi sunt.

Denuntiandi sunt omnes sacerdotes tam regulares quam sæculares qui pœnitentem in confessione sollicitant ad actus inhonestos mortaliter malos.

Hinc 1° *probabilius* non est denuntiandus qui consentit mulieri sollicitanti, cum ipse non sollicitavit.

Hinc 2° *probabilius* non est denuntiandus qui sollicitavit ad actus venialiter inhonestos. Nam sollicitatio quæ provocat denuntiationem vocatur a Benedict. XIV, *nefaria improbitas*, quod veniali non convenit.

Hinc 3° denuntiandi sunt sollicitantes etiam emendati; ratio quia, Pontifex non attendit ad solam emendationem delinquentis, alias præcepisset prius fraternam correptionem; sed etiam ad ejus punitionem et ad damnum Ecclesiæ resarciendum, scandalumque reparandum[1].

Hinc 4° ob easdem rationes denuntiari debet sollicitans, etsi a multo tempore sollicitatio habita fuerit[2].

Hinc 5° denuntiandus est sacerdos qui ex condicto cum pœnitente simulat confessionem ut tractet de inhonestis, ut patet ex clausula tertia.

Quæres : *Quænam pœnæ decernantur contra sollicitantes?*

Resp. Præter unam, id relinquitur ad arbitrium superioris.

Dixi *præter unam*, nam, ex Benedict. XIV, sollicitantes perpetuam inhabilitatem incurrunt *ipso facto* ad sacrificii

[1] S. Ligor., lib. VI, num. 686. — [2] S. Ligor., *ibid.*

celebrationem. A qua inhabilitate probabiliter excusat ignorantia invincibilis, cum rationem habeat pœnæ ex dilecto, et Episcopus ab ea dispensare potest, quatenus ad forum contentiosum deducta[1].

§ III.

De his qui denuntiare tenentur.

Nota 1. Pœnitens sollicitatus absolvi nequit a quovis confessario, nisi prius obligationi denuntiandi satisfecerit. Quod si absolutio differri nequeat, saltem debet esse paratus quamprimum ad denuntiandum, alias peccat graviter et excommunicationem incurrit S. Sedi reservatam, a qua tamen quivis confessarius poterit absolvere, cum obligationi denuntiandi satisfecerit, quia reservatio censuræ durat tantum perseverante contumacia. Ita Concina, Lupus, etc., contra Salmant., Mazzota et alios plures.

Nota 2. Confessarius tenetur sollicitatam admonere de obligatione admonendi, licet prævideat admonitionem non esse profuturam. Id enim postulat bonum commune et religionis. His notatis,

Quæres 1. *Quinam teneantur sollicitantes denuntiare?*

Resp. Tenentur omnes sollicitati et ii qui certa scientia factum resciverint.

Dixi 1° *omnes sollicitati,* et quidem sine exceptione.

Hinc 1° tenetur mulier, sive consenserit, sive non, ut patet ex Bulla Benedict. XIV præcitata, ubi dicitur: *Etiamsi pœnitens consenserit.* Sed celare potest suum consensum præstitum, nec potest Episcopus super hoc illum interrogare.

Hinc 2° tenetur, etsi per correptionem fraternam speretur fructus emendationis. Hoc certum est hodie post decretum Alexandri VII (8 julii ann. 1660), ubi declaratum fuit: *Etiamsi nulla fraterna correctio, vel alia monitio*

[1] S. Ligor., lib. VI, num. 705.

præmissa fuerit, omnino teneri... fideles... ad denuntiandum... quos noverint esse de fide quomodolibet etiam leviter suspectos, prout sunt, inquit S. Alph. de Ligorio, confessarii sollicitantes, ut tenetur communiter.

Hinc 3° tenentur sollicitati, licet sollicitationem juridice probare non possint; vel quando crimen est occultum.

Ratio *primi* patet ex damnatione prop. ab. Alexand. VII, quæ dicebat : *Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.*

Ratio *secundi* est ex eo quod alias lex evaderet inutilis, ut patet. Sed

Nota. In his confessarius et superiores prudentissime procedere debent; quoniam improbi quidem pœnitentes reperiuntur, qui vel odio, vel ira, vel alia indigna causa commoti, tremendo Dei judicio posthabito, innoxios sacerdotes falso sollicitationis insimulant.

Dixi 2° *et hi qui certa scientia,* etc., ut constat ex decreto S. C. Inquisitionis Rom. relato a S. Alph. de Ligorio[1], etiamsi id sciat sub secreto naturali, modo sollicitatio non sit manifestata ad petendum consilium.

Quæres 2. *Quænam pœnæ decernantur contra falso denuntiantes?*

Resp. Benedict. XIV[2]: *Quæcumque persona, quæ execrabili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per seipsam innocentes confessarios impie calumniando, vel sceleste procurando ut id ab aliis fiat... præterquam a nobis vel nostris successoribus, nisi in fine vitæ, et excepto mortis articulo, ipse absolutionis obtinendæ, quam nobis et successoribus reservamus, perpetuo careant.*

Nota. Sciat confessarius non obligari, nec *per se* ullo modo expedire quod assumat in se onerosissimam obligationem denuntiandi vice pœnitentis, quia sic non paucis detractionibus et periculis exponeretur, ait S. Alphonsus de Ligorio.

[1] Sub. num. 680, lib. VI. — [2] Loco cit.

APPENDIX II.

DE SATISFACTIONE PER SUFFRAGIA ET INDULGENTIAS.

Nota. Jam vidimus[1] dicenda de Suffragiis, simul et de Purgatorio, cujus sequentia supponunt existentiam. Agemus igitur hic unico capite de Indulgentiis, tum pro vivis, tum pro defunctis.

CAPUT UNICUM.

DE INDULGENTIIS.

Nota 1. Indulgentia est *relaxatio pœnæ temporalis pro peccatis jam quoad culpam remissis debitæ, a legitimo ministro facta per applicationem thesauri Ecclesiæ.*

Dicitur 1° *relaxatio,* sive per actum jurisdictionis pro vivis, sive per modum suffragii et solutionis pro defunctis.

Dicitur 2° *pœnæ temporalis;* nam pœna æterna non remittitur per Indulgentias, sed una cum culpa per sacramentum Pœnitentiæ in re, vel in voto susceptum remittitur.

Dicitur 3° *pro peccatis quoad culpam remissis;* quia per Indulgentiam nulla culpa, sed tantummodo pœna culpæ remittitur; est enim solutio debiti.

Dicitur 4° *debitæ,* id est luendæ, vel in hoc mundo per Ecclesiæ Canones vel præceptum Confessarii, aut post mortem in Purgatorio.

Dicitur 5° *a legitimo ministro;* nempe a Summo Pontifice et Episcopis, qui habent potestatem dispensandi the-

[1] *De Deo Creatore,* diss. 3, cap. 6.

saurum Ecclesiæ : per quod Indulgentiæ distinguuntur a suffragiis, quæ a privatis applicari possunt.

Dicitur 6° *per applicationem thesauri Ecclesiæ,* ut distinguatur ab ea remissione pœnæ quæ fit per Sacramentum aut Sacrificium.

Nota 2. Indulgentia est multiplex, namque :

1° Dividitur in *totalem* seu *plenariam,* et *partialem.*

Plenaria *est remissio totius pœnæ temporalis peccatis debitæ,* modo infra explicando.

Partialis *est remissio partis pœnæ temporalis peccatis debitæ.* Talis est indulgentia centum annorum, quadraginta dierum, etc.

Porro, per indulgentiam centum annorum, quadraginta dierum, etc., non significatur tot annos, vel dies Purgatorii remitti; sed significatur tantum remitti de pœnis debitis, quantum remissum fuisset per pœnitentiam centum annis, vel quadraginta diebus factam secundum rigorem antiquorum Canonum, secundum quos aliquando pro gravibus peccatis imponebantur septem anni pœnitentiæ, assignato a Confessario certo numero jejuniorum per quaslibet illorum hebdomadas; et hæc pœnitentia vocabatur *Septenna.* Aliquando imponebatur jejunium commune per quadraginta dies, et vocabatur *Quadragena.* Aliquando imponebatur jejunium in pane et aqua, cum separatione a consortio hominum, et vocabatur *Carena.*

2° Dividitur in *personalem, localem, realem, temporalem* et *perpetuam.*

Personalis est ea quæ alicui personæ conceditur, eamque comitatur, v. gr. profitenti Religionem.

Localis est ea quæ in favorem loci conceditur, v. gr. orantibus in certo templo.

Realis est ea quæ annexa est alicui rei, v. gr. Rosario, numismati, imagini, quæ semper debet esse ex metallo.

Temporalis est ea quæ conceditur ad certum tempus, v. gr. ad decennium.

Perpetua est ea quæ conceditur in perpetuum et sine temporis determinatione. Porro concessa in perpetuum reipsa durat perpetuo, nisi forte revocetur, quod fieri non solet.

Nota 3. Agemus hic : 1° de thesauro Ecclesiæ, qui est fundamentum Indulgentiarum; 2° de potestate Ecclesiæ in concedendis Indulgentiis; 3° de iis a quibus concedi possunt Indulgentiæ; 4° de iis quibus dispensari possunt Indulgentiæ; 5° de Jubilæo, totidem articulis.

ARTICULUS I.

DE THESAURO ECCLESIÆ.

CONCLUSIO.

Extat in Ecclesia thesaurus præcipue et primario coalescens ex meritis et satisfactionibus Christi infinitis; et secundario ex satisfactionibus Deiparæ et Sanctorum.

PROB. PRIMA PARS. *Ex Clement. VI*[1], his verbis : *Unigenitus Dei Filius... thesaurum militanti Ecclesiæ acquisivit... quem quidem thesaurum... per B. Petrum cœli clavigerum, ejusque successores, suos in terris vicarios commisit, fidelibus salubriter dispensandum.*

Ratio est, quia Christus infinitas suas satisfactiones in solam hominum salutem impendit : ergo infinitum thesaurum dispensationis Ecclesiæ commisit.

PROB. SECUNDA PARS. 1. *Ex eodem Clement. VI,* ibi dicente : *Ad cujus quidem thesauri cumulum Beatæ Dei Genitricis, omnium electorum, a primo justo usque ad ultimum, merita adminiculum præstare noscuntur.*

2. *Ex hac proposit. Lutheri* damnata a Leone X : *Thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat Indulgentias, non sunt merita Christi et Sanctorum.*

Confirmatur : Ex articulo fidei de *communione Sancto-*

[1] Extrav. *Unigenitus, de Pœnit. et remissione.*

rum, per quam membra Ecclesiæ ità sunt colligata, ut merita et satisfactiones unius ad alios quodammodo pertineant.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Thesaurus ex Christi et Sanctorum satisfactionibus conflatus, est Christo injuriosus; ergo rejiciendus.

RESP. *Nego ant.* Satisfactiones enim Sanctorum satisfactionibus infinitis Christi in thesauro Ecclesiæ non ideo adjungimus, quod satisfactiones Christi se solis non sufficiant, aut quod augeantur satisfactionibus Sanctorum, absit; sed ideo adjungimus, ut illæ non sint otiosæ, ut Sancti hoc honore gaudeant, et ut efficacitas meritorum Christi magis elucescat, quæ non solum per se possunt expiare peccata et reatus peccatorum, sed etiam efficere ut merita Sanctorum vim habeant expiandi reatum pœnæ temporalis, peccatis quoad culpam remissis debitæ.

INST. 1. Si Christi et Sanctorum satisfactiones in eodem thesauro reponantur, eodem loco habebuntur; injuriosum Deo consequens : ergo, etc.

RESP. *Nego sequel maj.* An Apostoli se pares Spiritui Sancto constituebant, cum dicebant[1] : *Visum est Spiritui Sancto et nobis?* Itaque profitemur satisfactiones Christi essé infinitas; satisfactiones vero Sanctorum esse finitas, et totam suam virtutem a Christo tanquam a fonte recipere.

INST. 2. Si peccata remittantur per Sanctorum satisfactiones, Sancti dici poterunt redemptores nostri; absurdum conseq.

RESP. *Nego sequel. maj.* Nam is solus est proprius et primarius redemptor, qui nos a captivitate dæmonis et morte æterna liberavit, et talis est solus Christus; hoc tamen non obstat quin Sancti sint nostri redemptores secundarii, quatenus aliquod debitum solvunt pro nobis, quo sensu Pius V hanc Baii propositionem proscripsit : *Per pas-*

[1] Act. v, 18.

siones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta, etc.

Objicies 2. Omnes Sancti plenam laborum suorum mercedem receperunt : ergo nihil superest aliis impendendum.

Resp. *Dist. ant.* Plenam mercedem receperunt operum suorum quatenus fuerunt meritoria, *conc.;* quatenus satisfactoria, *nego ant.* Itaque omne opus bonum est simul meritorium, quia fit ex charitate, et satisfactorium, quia pœnale. Sancti quidem plenam mercedem receperunt operum suorum quatenus sunt meritoria ; at non semper acceperunt omnem remissionem pœnarum temporalium satisfactionibus suis correspondentem, cum tanta pro se non eguerint; hæcque est superabundantia quæ nobis per indulgentias applicatur ad remissionem pœnæ temporalis.

Inst. 1. Ex Apostol.[1] : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis :* ergo Sanctis nihil residuum superest quod aliis conferre possint.

Resp. *Dist. ant.* Non sunt condignæ passiones si spectentur quatenus sunt humanæ, naturales et temporaneæ, *conc.;* si spectentur quatenus per gratiam Christi suscipiuntur et tolerantur, *nego ant.* Sic enim sunt actus gratiæ et charitatis; gratia autem est semen gloriæ : ergo passiones nostræ ex charitate et gratia Dei manantes, licet in se exiguæ, vim tamen habent et efficaciam producendi gloriam cœlestem. Deinde textus intelligitur de passionibus quoad vim merendi, non vero quoad vim satisfaciendi.

Inst. 2. In parabola virginum, oleum significat satisfactiones, quia hæ pœnas alleviant; atqui prudentes virgines non potuerunt dare de oleo suo fatuis virginibus : ergo, etc.

Resp. *Nego maj.* Oleum enim potest significare satisfactiones et meritum ex charitate; atqui in laudata parabola significat charitatis meritum.

[1] Rom. VIII, 18.

Objicies 3. Doctrina de communicatione satisfactionum alienarum evertit fundamenta contritionis : ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Imo solis contritis datur Indulgentia.

Prob. ant. Doctrina de communicatione satisfactionum alienarum promittit impunitatem pro peccatis : ergo evertit, etc.

Resp. *Nego ant.* Alias articulus fidei de *communione Sanctorum* promitteret impunitatem. Dico itaque Indulgentiam hoc unum præstare, ut satisfactio illius cui conceditur, satisfactionibus Sanctorum juvetur ex misericordia Dei : hinc calumniatur Lutherus, dicens hominem per Indulgentiam retrahi ab operibus bonis, cum e contra imperentur opera illa ad Indulgentiam consequendam.

Quæres : *Utrum prædicta merita ad Indulgentias concurrant per modum solutionis vel impetrationis?*

Resp. Concurrunt utroque modo. Nam merita Christi et Sanctorum sunt simul meritoria, impetratoria et satisfactoria : *meritoria* sibi et non aliis; *impetratoria* sibi et aliis; *satisfactoria* aliis non sibi, si agatur de meritis Christi qui satisfactione non indigebat; sed satisfactoria aliis et sibi, si agatur de meritis Sanctorum. Sibi quidem, in eo quod ob culpas proprias Deo debent; pro aliorum vero debitis ex abundantia suorum meritorum. Ideo quando dicimus thesaurum Ecclesiæ coalescere ex meritis, latiori sensu sumitur, nempe pro satisfactionibus, aut etiam pro impetrationibus, ut quidam volunt; patet ergo prædicta merita utroque modo solutionis et impetrationis concurrere ad Indulgentias.

ARTICULUS II.

DE POTESTATE ECCLESIÆ IN CONCEDENDIS INDULGENTIIS.

CONCLUSIO.

Ecclesia potestatem concedendi Indulgentias a Christo accepit. Est de fide contra Waldenses, Wicleffitas, Lutherum et Calvinum.

PROB. 1. Ex Scriptura[1] : *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.* Inde sic argumentor :

Christus per hæc verba : *Quæcumque alligaveritis,* dedit Ecclesiæ potestatem imponendi opera laboriosa pro peccatis : ergo per ista verba : *Quæcumque solveritis,* etc., eidem dedit potestatem illa opera, aliqua saltem ex parte, cum expedit, relaxandi; ad eamdem enim potestatem utrumque pertinet, ut apprime probat Div. Cyprian.[2] : *Cum promiserit ipse qui legem dedit,* inquit, *ut ligata in terris, etiam in cœlis ligata essent, solvi autem possent illic, quæ hic prius in Ecclesia solverentur,* etc.

Hac potestate usus est Apostolus[3] erga Corinthium incestuosum, cui *in persona Christi* reliquum pœnæ condonavit, dum rescivit ipsum de peccato doluisse, ac pœnitentiam inchoasse.

PROB. 2. *Ex perpetua traditione,* qua certum est potestate concedendi Indulgentiam Ecclesias semper usam fuisse.

Sic, in primæva Ecclesia, pœnitentes obtinebant ab Episcopis pœnarum relaxationem per intercessionem martyrum in carcere detentorum, a quibus libellos indulgentiarum acceperant.

Sic Concilia Nicæn. I et Carthagin. IV concedunt Episcopis facultatem remittendi aliquid de satisfactionibus, pro

[1] Matth. XVIII. — [2] Lib. IV *ad S. Cornelium Papam,* cap. 1. — I Cor. II, 10.

majori pœnitentium fervore in adimplenda, quæ imposita fuerat, satisfactione.

Sic Gregorius Magnus Romæ stationes ad Sanctorum basilicas, pro Indulgentiarum consuetudine instituit.

Confirmatur. Qui claves domus ab alio recipit, ut hospitem introducat et recipiat, hoc ipso recipit facultatem illum citius vel serius introducendi, obstacula quæ illum remorare possunt auferendo; atqui Petrus a Christo recepit claves regni cœlorum eo fine, ut in illud fideles Christi introducat et admittat, serius citiusve, ad ejus arbitrium, ex promissione Christi[1]; *subsumo :* atqui inter cætera impedimenta quæ moram fidelibus causant, est etiam pœnæ temporalis reatus : ergo et hunc reatum tollendi per claves Christus Petro concessit facultatem.

Hinc Concil. Trident.[2] : *Cum potestas conferendi Indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit, sacrosancta Synodus... eos anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.*

OBJECTIONES.

Objicies 1. Juxta Deuter. xxv : *Pro mensura peccati erit et plagarum modus :* ergo pœnæ peccatis debitæ non possunt relaxari.

Resp. *Nego conseq.* Non possunt relaxari auctoritate propria, *conc.;* auctoritate Christi, *nego conseq.* Sic Apostolus relaxavit pœnas temporales incestuoso Corinthio *in persona,* id est, gerens personam *Christi.*

Inst. 1. Incestuosus Corinthius jam per annum integrum pœnam peccatis debitam dederat : ergo nihil ipsi condonandum remanebat.

Resp. *Nego conseq.* Equidem Corinthius jam peccati pœnam dederat, sed non integram quam debebat : Divus

[1] Matth., loco cit. — [2] Sess. 25, in decreto *de Indulg.*

itaque Paulus illud pœnæ residuum relaxavit *in persona Christi, ne forte abundantiori tristitia absorberetur*, id est, ne desperaret, quæ fuit justa causa Indulgentiam concedendi.

Inst. 2. Martyres non Indulgentias postulabant pro lapsis, sed pacem : ergo ex facto martyrum probari non potest existentia Indulgentiarum.

Resp. *Nego ant.* Nam lapsi non admittebantur ad pacem nisi satisfactione integre persoluta, vel per Indulgentias relaxata ; unde idem erat pro lapsis pacem postulare et relaxationem residuæ pœnitentiæ, ut statim ad pacem admitterentur, id est, ad Ecclesiæ et Eucharistiæ communionem.

Inst. 3. S. Cyprian.[1] reprehendit Indulgentias ad instantiam martyrum concessas : ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Non enim reprehendit potestatem concedendi Indulgentias, sed usum immoderatum Indulgentiarum, in eo positum quod aliqui martyres ab Episcopis relaxationem exposcerent sine delectu pro iis lapsis qui nullam pœnitentiam egissent, rogatque martyres ut cum delectu designent eos quibus pacem dare velint. *Ideo,* inquit Epist. xi, martyres et confessores alloquens, *ut eos quos videtis, et nostis, quorum pœnitentiam satisfactioni proximam conspicitis, designetis nominatim libello, et sic ad nos fidei ac disciplinæ congruentes litteras dirigatis.*

Objicies 2. Illud ab Ecclesia Dei est abjiciendum, quod moralitatis principium subvertit ; atqui Indulgentiæ, etc.

Prob. min. Per Indulgentias Pœnitentiæ sacramentum aliqua sui parte, satisfactione scilicet, obtruncatur, mores relaxantur, fideles desides redduntur, sub spe Indulgentiæ facilior aditus ad peccatum præbetur : ergo, etc.[2].

Resp. 1. Adversarios, qui bonorum operum negant necessitatem, non decet tanta sollicitudo de morum relaxatione, vel sui systematis damnationem pronuntiant.

Resp. 2. *Nego min. et ejus probationis sequel.* Turpen.

[1] Epist. x, xii et xiii. — [2] Ita Sismundus, calvinista genevensis.

enim Catholicis calumniam inferunt, cum obtendunt eos per Indulgentias liberare homines a debitu satisfaciendi per bona opera; dum e contra non elargiantur Indulgentiæ nisi excitando ad bona opera, et imprimis supponunt obligationem satisfactionis sacramentalis in eo qui illas lucrari intendit, peccatorum contritionem, pœnitentiæ omniumque virtutum exercitium, et statum gratiæ seu sanctitatis, ideoque Christi patientis et Sanctorum vestigia sectandi conceduntur; igitur tantum in supplementum eorum quæ peragere sumus impares pro infirmitate nostra, quæque tamen in hoc sæculo vel in futuro nobis essent exsolvendæ.

Objicies 3. In veteri lege non erat potestas Indulgentias concedendi : ergo nec in nova.

Resp. *Nego conseq.* Multæ enim prærogativæ conceduntur Ecclesiæ, quæ Synagogæ non fuerunt concessæ, qualis est potestas remittendi peccata, quam subsequitur potestas conferendi Indulgentias.

Colliges : Indulgentias, quæ vivis conceduntur, esse proprie absolutionem judiciariam, annexam habentem solutionem ex thesauro Ecclesiæ; unde Indulgentia plenaria a Summis Pontificibus quandoque vocatur *absolutio plenaria*[1].

ARTICULUS III.

DE IIS A QUIBUS POSSUNT DARI INDULGENTIÆ.

CONCLUSIO.

Solus Papa et Episcopi habent potestatem concedendi Indulgentias.

Prob. Illi soli possunt indulgentias concedere, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei; atqui solos Episcopos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei : ergo, etc.

[1] Ita Martin. V, in Concil. Constantiensi.

Rationem utriusque tradit S. Thomas dicens[1] : *Quod Papa habet plenitudinem pontificalis jurisdictionis quasi rex in regno. Sed Episcopi assumuntur in partem sollicitudinis, quasi judices in singulis civitatibus præpositi... Et ideo potestas faciendi Indulgentias plene residet in Papa, qua potest facere prout vult, causa tamen existente legitima. Sed Episcopi est taxata secundum ordinationem Papæ, et ideo possunt facere secundum quod eis est taxatum, et non amplius.*

Hinc Martinus V de hæresi Wicleffi suspectos in Concil. Constantiensi interrogari jubet : *Utrum credant quod Papa omnibus Christianis vere contritis et confessis, ex causa pia et justa possit concedere Indulgentias in remissionem peccatorum; et quod singuli Episcopi suis subditis secundum limitationem Sacrorum Canonum possint etiam illas concedere.* Ex hac Constitutione constat :

1° Summum Pontificem habere potestatem conferendi Indulgentias plenarias omnibus fidelibus; cum enim sit supremus Pastor, ad ipsum quasi jure innato pertinet publica Ecclesiæ bona per solemnes indulgentias dispensare : ipsi enim specialiter dictum est : *Tibi dabo claves regni cœlorum, quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis,* etc.

2° Episcopos in sua diœcesi, vel extra, suis subditis, cum hæc jurisdictio non sit contentiosa, et Archiepiscopos in sua provincia hanc potestatem habere *secundum limitationem Canonum*, quæ est ut non possint concedere nisi Indulgentias unius anni in dedicatione ecclesiæ, et quadraginta dierum in aliis causis; ita statutum est in Concil. Lateran. IV, can. 62, et in variis canonibus juris[2].

Porro, Episcopi electi et confirmati habent hanc potestatem, licet nondum sint consecrati, ut constat ex praxi Ecclesiæ. Ratio est, quia ad hoc sufficit potestas jurisdictionis quam habent ante consecrationem.

[1] *Suppl.*, quæst. 27, art. 3. — [2] Can. *Cum ex eo*, et can. *Indulg., de Pœnit. et remissione.*

Dices : Indulgentia, ex dictis, est vera absolutio; sed ad absolvendum requiritur potestas ordinis : ergo, etc.

Resp. *Dist. ant.* Est absolutio extrasacramentalis, *conc.;* sacramentalis, *nego ant.* Porro, ad absolvendum a pœna temporali extra Sacramentum non requiritur clavis ordinis, sed sufficit clavis jurisdictionis.

3° Cardinales ex usu potestatem habent 100 dierum indulgentias concedendi Ecclesiis quibus ut Episcopi præsunt, imo et Ecclesiis suorum titulorum, etsi Episcopi non sint[1].

4° Nec Abbates, nec Generales Ordinum, nec Parochos posse concedere indulgentias *absque speciali commissione,* eo enim jure privantur a Canonibus[2]. Ratio est, quia dispensatio thesauri Ecclesiæ competit solis Ecclesiæ principibus, quales sunt soli Episcopi.

Nota. Cum Episcoporum status et munus episcopale exigat ut jurisdictionis potestas ipsis a Papa communicetur, eo quod alicui parti gregis constituantur, non sunt in hoc simpliciter delegati, sed ordinarii, cum vi status et officii hanc potestatem habeant a Papa, et propter hoc dici possunt illam habere a jure divino, sed mediate tantum.

Dixi *absque speciali commissione,* quia Summus Pontifex et Episcopi potestatem largiendi indulgentias delegare possunt alteri, qui sit clericus, quia habent potestatem ordinariam; qui autem habet potestatem ordinariam, eam potest alteri delegare, etc.

Dices : Martyres olim concedebant lapsis indulgentias : ergo, etc.

Resp. *Nego ant.* Si stricte loqui velimus, martyres cum libellis indulgentiarum non proprie concedebant indulgentias, sed tantum rogabant Episcopos ut, intuitu martyrii ab ipsis subeundi, relaxarent fidelibus lapsis pœnas canonicas.

4° Ad valorem Indulgentiæ requiri ut concedatur *ex causa pia et justa,* seu, ut ait Clement. VI[3], *ex propriis et*

[1] Ferraris, verbo *Indulgent.*, art. 2, num. 19. — [2] Cap. *Accedentibus, De excessibus prælatorum.* — [3] Extrav. *Unigenitus.*

rationabilibus causis. Ratio est, quia Papa et Episcopi dispensatores sunt tantummodo, non domini Ecclesiæ thesauri, ut ait Apostol.[1]; atqui dispensator de rebus domini sui, citra justam causam, nec valide nec licite disponere potest : ergo ad valorem Indulgentiæ requiritur justa causa, circa quam

Quæres 1. *Quid requiratur ad justam concedendæ Indulgentiæ causam?*

Resp. Duo requiruntur :

1° Aliquis finis pius et Deo gratus, cujus assecutio magis Deo placeat quam pœnitentialis satisfactio quæ per Indulgentiam relaxatur : talis est, v. gr. honor Dei, charitas proximi, utilitas Ecclesiæ, bonum commune, aut privatum illius cui conceditur Indulgentia, ut incrementum pietatis.

2° Opus aliquod bonum, per quod revera finis ille probabiliter obtineri possit, v. gr. cum Papa concedit Indulgentiam plenariam recitanti certas quasdam preces, aut facienti aliquod opus pium ad pacem Reipublicæ christianæ obtinendam; vel certam pecuniæ summam conferenti ad basilicarum vel xenodochiorum constructionem, redemptionem captivorum, pauperum sustentationem, etc.

Nota. Possunt uno eodemque opere Indulgentiæ diversis viis concessæ lucrifieri, si opus sit æque utile ad finem utriusque Indulgentiæ, nec sit iterabile intra idem tempus, v. gr. jejunium, communio, etc. Ita Busemb. post Layman.

Quæres 2. *An, ad valorem Indulgentiæ, requiratur ut causa sit proportionata Indulgentiæ quæ conceditur, ita ut major causa requiratur pro majori Indulgentia?*

Resp 1. Ad valorem Indulgentiæ non requiritur ut opus injunctum sit tam satisfactorium, ut capax sit compensare pœnam debitam, alias nulla fieret remissio per Indulgentias, sed tantum commutatio, et sic Indulgentiæ forent prorsus inutiles; ita omnes.

Resp. 2. Ad valorem Indulgentiæ requiritur ut causa

[1] I Cor. IV, 1.

habeat proportionem quamdam cum Indulgentia quæ conceditur : est Bellarmini, *eam communiorem et veriorem* asserentis.

Prob. ex dictis. Ad valorem Indulgentiæ requiritur justa et rationabilis causa; atqui causa Indulgentiæ improportionata non est justa et rationabilis, cum non magis placeat Deo, quam pœnitentialis satisfactio : ergo, etc.

Hinc, juxta Bellarminum, cum datur Indulgentia alicui particulari, oportet ut opus injunctum sit proportionatum fini cujus gratia datur Indulgentia : cum vero datur multis in communi, non necesse est ut opus singulorum, sed tantum ut opus omnium simul fini sit proportionatum; sic, v. gr. causa Indulgentiæ plenariæ concessæ multis conferentibus certam pecuniæ summam ad ædificandum xenodochium, non est summa a singulis, sed ab omnibus collata, quæ causa est justa, quia illis sumptibus poterit ædificari xenodochium, quod opus Deo gratius est quam satisfactio pœnitentialis.

Nota 1. Si defectus causæ nullam faciat Indulgentiam, quod non est subditorum judicare, ut ait Benedict. XIV, adhuc valent privilegia, si quæ sint eidem annexa, ut tenent omnes.

Nota 2. Ex Tridentino[1] Indulgentiæ ac cæteræ gratiæ spirituales ab Apostolica Sede concessæ examinari debent ab Ordinariis, adhibitis duobus de capitulo, antequam publicentur, ut constet de earum authenticitate; quibusdam in locis non est usus duos canonicos adhibendi.

Dices : Aliquibus Religiosis et sodalibus in articulo mortis constitutis conceditur Indulgentia unius vel plurium annorum, vel etiam plenaria, pronuntiato nomine *Jesu* et *Maria,* nullo alio opere injuncto; atqui hæc causa non est proportionata tali indulgentiæ : ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Nam sicut Princeps potest bona communia ex rationabili causa dignis applicare, ita etiam Papa

[1] Sess. 22, cap. 9.

et Episcopi, qui sunt principes Ecclesiæ, possunt bona Ecclesiæ communia Religiosis, sodalibus et aliis qui de Ecclesia bene meriti sunt, applicare, ut alios ad bene de Ecclesia merendum, vel ad religiosam vitam, vel ad sodalitates in quibus plurima opera bona exercentur, hoc beneficio trahant; unde, licet opus de se sit leve ac facile, tamen est medium ad finem Deo gratissimum assequendum, quod sufficit, ut docet Bonac.[1].

Inst. 1. Ex communi axiomate : *Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant :* ergo non requiritur proportio causæ, sed sufficit intentio concedentis exterius manifestata.

Resp. *Dist. axioma :* Tantum valent, quantum sonant, *clave non errante,* conc.; *clave errante,* nego axioma : ut autem clavis non erret, debent quatuor conditiones concurrere, nempe, ex parte dantis, auctoritas et justa causa; et ex parte accipientis, gratia sanctificans et executio eorum quæ in litteris Indulgentiarum præcipiuntur.

Inst. 2. Nonnullæ Indulgentiæ conceduntur iis qui certa die certam ecclesiam animo pietatis et religionis visitaverint; atqui hæc causa non est proportionata : ergo, etc.

Resp. *Nego min.* Licet enim opus non sit valde laboriosum, attamen, spectatis circumstantiis, proportionatum est fini Indulgentiarum, nempe ad cultum alicujus Sancti, ad incrementum pietatis, etc., promovendum.

Inst. 3. Si, ad valorem Indulgentiæ, requiratur causa ipsi proportionata, semper erit in fidelibus dubitandi locus, utrum propter justam causam Indulgentia fuerit concessa; et sic Indulgentiæ vilipendentur.

Resp. *Nego ant.* Quia in facto Principis semper præsumitur causa, nisi error in contrarium sit manifestus; ita censet Toletus[2].

Quæres 3. *Quando et quomodo cessent Indulgentiæ?*

Resp. 1° Indulgentiæ non cessant morte concedentis, cum sint gratiæ, *nisi sit clausula : Ad beneplacitum nostrum;* sed

[1] Disp. VI, puncto 4, num. 6 *de Indulgentiis.* — [2] Lib. VI, cap. 28, num. 6.

successor Episcopi non potest eidem operi de novo addere Indulgentiam, ut ideo ea dupla sit; potest autem Archiepiscopus duplicare Indulgentiam a suffraganeo impertitam.

2° Cessant tempore elapso, quando conceduntur ad tempus prœfixum, v. gr. ad decennium, computando tempus non a die promulgationis diplomatis, sed a die concessionis. Ita declavit S. C. Indulgentiarum, anno 1711.

3° Si concessa sit Indulgentia indefinite, sine ulla temporis restrictione, eam perpetuo valituram censendum est, nisi tamen virtualis occurrat limitatio vel ex persona cui conceditur, vel ex causa aut fine concessionis, puta ad unicum actum, quia licet Indulgentiæ sint late interpretandæ, servari tamen debet verborum proprietas.

4° Cessant per destructionem rei cui addicta erat, v. gr. templi, numismatis, Rosarii, etc. Circa quod

Nota. Rosaria aut coronæ non destruuntur, nec amittunt Indulgentias per renovationem vel substitutionem cordulæ vel catenæ qua grana Rosarii connectuntur, nec per successivam granorum omnium substitutionem, modo hæc substitutio fiat singulis vicibus in ita parva quantitate granorum, ut Rosarium sit moraliter semper idipsum; nec crucifixi per mutationem crucis cui applicatur, quia crucifixo, non cruci, adhæret indulgentia.

5° Non cessant vero per cessationem causæ, ob quam primitus datæ fuerunt. Est communis sensus theologorum ac canonistarum apud Ferraris[1].

6° Translato festo quoad officium, non translata solemnitate in populo, non transfertur indulgentia; et e contra translata duntaxat festi solemnitate in populo, transfertur et indulgentia. Ratio horum esse videtur, quia indulgentia solemnitati videtur annexa; alias fideles Rubricarum nescii fructu Indulgentiarum frustrarentur.

7° Suspenduntur tempore jubilæi magni, *ne propter illas Indulgentias,* inquit Sixtus IV, *populorum forsan concursus*

[1] Verbo *Indulgent.*, art. 3, num. 54.

ad basilicas Romanas retardari, aut ipsius anni Jubilæi celebritas minui vel intermitti possit, cum animarum non modico detrimento.

Excipiuntur tamen excipienda, ut infra articulo V.

ARTICULUS IV.

DE IIS QUIBUS DISPENSARI POSSUNT INDULGENTIÆ.

Nota. Hic agendum nobis incumbit de vivis et defunctis.

§ I.

De Indulgentia pro vivis[1].

Constat apud omnes omnem fidelem non excommunicatum Indulgentiarum esse subjectum ; ideo hic unice controvertitur de dispositionibus ad lucrandas Indulgentias necessariis, circa quas

Quæres 1. *Quænam dispositiones sint necessariæ ad lucrandas Indulgentias?*

Resp. Tres sequentes; namque :

1° *Requiritur ut qui lucraturus est Indulgentiam, præstet complete ea quæ præscripta sunt a superiore Indulgentiam concedente;* ratio est, quia superior concedit Indulgentiam sub conditione talis operis ; concessio autem conditionata non subsistit, non adimpleta conditione.

Hinc qui partem notabilem operis injuncti, vel etiam circumstantiam operis principaliter intentam, non impleret, sive ex ignorantia, sive ex oblivione, sive ex justo quodam impedimento, Indulgentiam minime consequeretur. Nam *Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant.*

Injuncta autem confessio, intelligitur confessio mortalium; confessio enim venialium non est necessaria, nisi Summus Pontifex aliter declaret. Ratio est, quia confessio simpliciter dicta, ex communi Ecclesiæ sensu, censetur

[1] Vide S. Ligor., lib. VI, num. 526 et seqq.

confessio mortalium; ideo sicut Ecclesia non solet præcipere confessionem venialium, ita neque consuevit eorum confessionem requirere ad consequendam Indulgentiam.

Dixi *nisi Summus Pontifex aliter declaret;* porro declarasse censetur, cum in diplomate legitur : *Qui vere pœnitentes et confessi,* etc., ut patet ex decreto S. C. Indulgent. approbante Clement. XIII[1]. Sed

Nota 1. Per illud : *Rite contritis et confessis,* in decretis opponi solitum, exigitur confessio sacramentalis, non ut dispositio ad statum gratiæ, sed ut conditio *sine qua non,* ut declaravit S. C. Indulg.[2]; attamen, ex eadem Congregatione[3], necesse non est ut pœnitens absolutionem recipiat ad lucrandas Indulgentias, sufficitque ut confiteatur, modo sit in statu gratiæ, per hebdomadam ante festivitatem, ad lucrandas Indulgentias huic festivitati annexas, sicut alias omnes quæ per illos octo dies incident percipiendæ.

Confessio vero quæ fit singulis quindenis non sufficit ad lucrandas omnes Indulgentiis quæ intra quindenam occurrunt, ab iis qui solent per singulas quindenas semel confiteri, nisi interveniat privilegium personnale vel locale.

2° *Requiritur ut sit in statu gratiæ;* quia non potest remitti pœna temporalis, nisi prius remittatur culpa; obligatio enim ad pœnam æternam remanet quamdiu culpa mortalis manet.

3° *Requiritur propositum efficax Deo satisfaciendi;* nam indulgentiæ conceduntur solis *vere pœnitentibus;* atqui vera pœnitentia essentialiter includit propositum pro viribus Deo satisfaciendi : ergo requiritur in eo qui lucraturus est Indulgentiam, propositum efficax Deo satisfaciendi.

Hinc Gregor. VII, Episcopo Lincolniensi Indulgentiam concedens, ait : *Si tamen bonis operibus inhærendo, commissos excessus plangendo quantum valueris, corporis tui*

[1] 19 mart. 1759. — [2] 15 maii 1759. — [3] 15 decembr. 1841.

habitaculum Deo, mundum templum exhibueris. Quæ verba postquam retulit Baronius[1], addit : *Sedis Apostolicæ Indulgentias illis communicari, qui, quantum suppetunt vires, bene operari non negligunt, non autem ignavis, otiosis, ac negligentia torpescentibus.*

Dices : Si ad Indulgentiam requiratur propositum efficax Deo satisfaciendi, inutilis erit Indulgentia; qui enim totum solvit quod debet, non indiget relaxatione; falsum ex dictis consequens : ergo, etc.

Resp. *Nego seq. maj.* Qualecumque enim sit propositum satisfaciendi in homine infirmo, incapax est id omne solvere quod Deo debet; unde necesse est ut ad beneficium Indulgentiarum reccurrat, quæ suis suppleant satisfactionibus.

Inst. Saltem Indulgentia plenaria omnem pœnam ex se remittit, ideo enim vocatur *plenaria :* ergo tunc non requiritur efficax propositum Deum satisfaciendi.

Resp. *Nego maj.* Non enim idcirco Indulgentia dicitur *plenaria,* quod omnem absolute et semper tollat pœnam temporalem; sed quod de satisfactione debita imminuat pro majori vel minori pœnitentis fervore ac pietate. *Unusquisque tamen,* inquit Bonif. VIII[2], *plus merebitur, et Indulgentiam efficacius consequetur, qui basilicas ipsas amplius et devotius frequentabit.*

Hinc Card. Cajetanus[3], Lutherum impugnans, ait : *Non prosunt Indulgentiæ constitutis in gratia negligentibus satisfacere per seipsos, quoniam indigni sunt Indulgentia... parati autem ad satisfaciendum per seipsos sunt, non qui negligunt per seipsos satisfacere, sed illi soli quorum voluntas sic est ad satisfaciendum parata, quod non retardet opus nisi impedita.*

Itaque Ecclesia, quantum est ex se, plenariam offert Indulgentiam, sed non quilibet plenariam semper assequitur,

[1] Ann. 1073. — [2] Extrav. *Antiquorum.* — [3] Tract. XX *de Suscipientibus Indulgentias,* quæst. 1.

sed proportione servata uniuscujusque dispositionis, quæ interdum tanta esse potest, ut omnis pœna remittatur; at istud tam rarum est, ut in exemplum trahi non possit. Nam, ut ait Joann. Hesselius I, unus e Concil. Trident. Theologis[1] : *Si plenariam Indulgentiam acciperet omnis qui utcumque contritus est et confessus, qui est in statu gratiæ, male diceret Bonif. VIII, Extravag.* Antiquorum, *quod unusquisque plus mereretur et efficacius consequeretur Indulgentias, qui basilicas ipsas amplius et devotius frequentaret. Quare non est putandum, ut quidam docent, quod quicumque Indulgentiarum particeps fuerit, si statim moreretur, absque ulla pœna continuo ad cœli gaudia transiturus sit. Multum oportet ut pro peccato pœniteat, et valde pie perfecteque participet Indulgentias, cui hoc contingit. Et revera si ad ut hoc plenarias Indulgentias homines acciperent, sufficeret eos esse in statu gratiæ, plurimum evacuaretur studium pœnitentiæ et satisfactionis.*

Itaque ad *integre* lucrandum Indulgentiam plenariam, qualis conceditur, peccatorum omnium, requiritur ut ab omni culpa, etiam *veniali,* quis sit immunis, quando ultimum opus perficit; et ideo consultum est ut communio sit ultimum.

Quæres 2. *Utrum Indulgentiam lucraturus debeat esse in statu gratiæ toto tempore quo omnia injuncta adimpleantur?*

Resp. Debet esse in statu gratiæ quando ultimum adimplet opus injunctum, quia eo instanti Indulgentia suum sortitur effectum; non vero necesse est ut sit in statu gratiæ toto tempore quo alia opera injuncta exequitur, modo fiant animo religioso, *vere pœnitenti ac ab omni affectu lethalis peccati libero;* quia bona opera, etiam in statu peccati facta animo pœnitenti, disponunt hominem ad justitiam et ad conciliandam Dei amicitiam. Ita communiter contra Cajet., Navarr., et alios quosdam affirmantes, et

[1] Part. 2 *Catech.*, cap. 46.

contra Bellarm. id asserentem si Indulgentia est concessa ad placandum Deum, v. gr. in calamitate publica.

Dixi *ab omni affectu lethalis peccati libero,* quia nemo cum affectu peccati mortalis mereri potest, ac Deo satisfacere.

Dices : Opera facta in statu peccati mortalis, non sunt apta ad applicanda merita Christi : ergo necesse est ut omnia opera præscripta ad consequendam Indulgentiam, præstentur in statu gratiæ.

Resp. *Dist. ant.* Opera facta in statu peccati non sunt apta, etc., ex se, *conc.;* quatenus conjunguntur cum ultimo opere præstito in statu gratiæ, *nego ant. et consequentiam.*

Quæres 3. *An percepturus Indulgentiam debeat habere intentionem illam consequendi?*

Resp. *affirm.* Quia nullum opus efficaciam habere potest absque intentione agentis; sufficit autem intentio habitualis aut interpretativa, quam censetur habere qui omnes, quas potest, Indulgentias consequi vellet, etsi consultius sit hanc intentionem interdum, v. gr. semel in die, renovare.

Nota. Indulgentiæ concessæ vivis, applicari non possunt defunctis, nisi exprimatur in diplomate, quia Indulgentiæ pendent a voluntate concedentis.

§ II.

De Indulgentia pro defunctis.

Nota. Dupliciter conferri potest indulgentia, nimirum *per modum absolutionis juridicæ,* et *per modum suffragii.*

Indulgentia confertur *per modum absolutionis juridicæ,* quando est sententia judicis immediate remittentis subdito pœnam peccatis debitam.

Indulgentia confertur *per modum suffragii satisfactorii,* quando Indulgentiam concedens non exercet potestatem in

subditum, sed offert Deo pretium ex thesauro Ecclesiæ, ut ipse remittat pœnam suæ justitiæ debitam.

CONCLUSIO.

Indulgentiæ concedi possunt defunctis, non quidem per modum absolutionis juridicæ, sed per modum suffragii tantum.

PROB. PRIMA PARS : Nempe Indulgentiam prodesse defunctis in Purgatorio detentis, ex Leone X hanc Lutheri propositionem damnante[1] : *Sex hominum generibus Indulgentiæ nec sunt necessariæ, nec utiles : mortuis,* etc.

PROB. 2. Certum est de fide animas fidelium defunctorum suffragiis vivorum et incruento Missæ sacrificio juvari posse, prout definivit Concil. Trident.[2]. Ergo possunt etiam juvari Indulgentiis pro ipsis ab Ecclesia concessis, cum sint quoddam suffragium satisfactorium; itaque semper fuit constans traditio et totius Ecclesiæ Catholicæ sensus, ut constat ex Indulgentiis concessis a Gregor. I[3], Paschali I[4], etc.

PROB. SECUNDA PARS : Quia Indulgentia per modum absolutionis non potest concedi nisi subditis; atqui defuncti non sunt amplius subditi Ecclesiæ, cum sint extra ipsius forum : ergo, etc.

Restat igitur ut Indulgentiæ prosint defunctis per modum suffragii satisfactorii, modo supra explicato.

DICES 1. Potestas concedendi Indulgentias est potestas clavium; atqui potestas clavium non se extendit ad defunctos : ergo nec potestas concedendi Indulgentias.

RESP. *Dist. min.* Potestas clavium non se extendit ad defunctos, quatenus est potestas ligandi et solvendi, *conc.;*

[1] Bulla *Surge, Domine,* quæ reperitur apud Cajetanum, 8 p., quæst. 48, art. 5. — [2] Sess. 25 *de Purg.;* sess. 6 *de Justif.;* sess. 22 *de Sacr. Missæ,* cap. 2. — [3] Cujus momenta in templo S. Praxedis et alibi passim Romæ extant. — [4] Cujus momenta sunt a Bellarm. relata, etc.

quatenus est potestas dispensativa thesauri Ecclesiæ, cujus membra sunt defuncti, *nego min.* Hæc enim potestas continetur his Christi verbis : *Tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcumque solveris,* etc.

Dices 2. Animæ purgatorii damnatæ sunt definitive ad subeundas pœnas purgatorii : ergo non possunt illæ pœnæ remitti per Indulgentias.

Resp. *Nego ant.* Sunt damnatæ definitive conditionate, *conc.;* absolute, *nego ant.* Hæc enim includitur conditio in earum ad pœnas condemnatione . *nisi aliquis fidelis applicet Ecclesiæ Indulgentias.*

Quæres 1. *Utrum Indulgentiæ defunctis concessæ eis certo et infallibiliter prosint?*

Resp. *Prima sententia affirmat.* Quia ut Indulgentiæ infallibili justitiæ lege prosint defunctis, duo solum requiruntur, scilicet : 1° applicatio satisfactionis æquivalentis pœnæ quam defunctus debet; 2° divina promissio : atqui utrumque reperitur in Indulgentiis in favorem defunctorum concessis. Ergo, etc.

Prob. min. 1° Est applicatio satisfactionis non tantum æquivalentis, sed et superabundantis; sunt enim satisfactiones Christi et Sanctorum, ut docet Clemens VI[1].

2° Est divina promissio in potestate clavium regni cœlorum concessa Petro et ejus successoribus, qua possint removeri quæcumque aditum regni cœlorum præpediunt; atqui exercitium potestatis clavium semper est ratum apud Deum, si fiat legitime, ex rationabili causa, seu, ut aiunt, *clave non errante :* ergo æque infallibiliter pro defunctis ac pro vivis valet legitimum illius potestatis exercitium.

Hinc Leo X ait[2] : *Omnes tam vivos quam defunctos, qui veraciter omnes Indulgentias hujusmodi consecuti fuerint, a tanta temporali pœna liberari, quanta concessæ et acquisitæ Indulgentiæ æquivalet.* Quibus verbis significat æque

[1] Extrav. *Unig., de Pœnit. et remissione.* — [2] In bulla *Surge, Domine,* supra cit.

certam et infallibilem esse Indulgentiam pro defunctis ac pro vivis.

Dices 1. Si Indulgentiæ defunctis applicatæ prodessent infallibiliter et ex condigno, Papa posset uno die exhaurire purgatorium; absurdum consequens. Ergo, etc.

Resp. *Nego seq. maj.* Quia dispensatio Indulgentiarum sine justa et rationabili causa est irrita et nulla; atqui nulla subest justa causa, ob quam potestate clavium tam ingens dispensatio fieri possit : ergo, etc.

Dices 2. Si Indulgentiæ defunctis infallibiliter prodessent, frustra pro eadem anima sæpius offerrentur; consequens est contra praxim et communem sensum fidelium : ergo, etc.

Resp. *Nego seq. maj.* Tum quia fieri potest ut aliquis defectus intercesserit in concessione Indulgentiæ, ut si concessa sit absque justa causa; tum quia fieri potest ut ex parte accipientis Indulgentiam pro defuncto contigerit defectus propter quem Indulgentia fuerit irrita; tum quia incertus est gradus fervoris et pietatis, quo viventes pro mortuis satisfaciunt, cum tamen, ut jam diximus, Indulgentiæ de satisfactione debita imminuant pro majori vel minori pœnitentium fervore.

Secunda sententia negat. Ratio, quia cum defunctis nulla sit promissio, Deus ipsas Indulgentias acceptat tantum ad suum beneplacitum.

Cæterum notandum est quod etsi effectus Indulgentiarum non sit forsitan infallibilis pro defunctis relative ad istum vel illum, vel ad remissionis quantitatem, quia nescitur an Deus illi applicet, vel quomodo illi applicentur; in genere tamen, seu relative ad omnes, certum est, inquit Peronne, *Indulgentias generatim salutares esse defunctis, nisi velimus errasse Ecclesiam dum Indulgentias defunctis concessas saltem facto ipso approbavit.*

Hinc colliges consultum esse sæpius pro defunctis Indulgentias, Missas et alia suffragia applicare, ut illos repetitis suffragiis a pœnis eruamus.

Quæres 2. *Quænam requirantur conditiones, ut valeant Indulgentiæ pro defunctis?*

Resp. 1. *Ex parte conferentis* requiritur auctoritas et causa legitima : hæc autem auctoritas residet in solo Summo Pontifice, nam potestas Episcoporum est restricta ad solos viventes[1].

Resp. 2. *Ex parte lucrantis* Indulgentias pro defunctis requiritur : 1° executio operum præscriptorum ; 2° ut opus fiat ex intentione Indulgentiæ defunctis applicandæ ; 3° requiritur status gratiæ, saltem in fine ultimi operis injuncti, quia vivens applicat defuncto Indulgentiam quam consecutus est ; atqui, ex dictis supra[2], non potest consequi Indulgentiam nisi sit in statu gratiæ, saltem in fine ultimi operis injuncti. Ergo, etc.

Dices cum Corduba[3] : Indulgentia suum habet valorem *ex opere operato :* ergo non dependet a gratia illius qui pro defuncto Indulgentiam lucratur.

Resp. *Nego conseq.* Nam quod agit ex opere operato, non impedit quin in subjecto requirantur certæ dispositiones, sine quibus non operatur, ut constat ex dictis de Sacramentis ; atqui status gratiæ est conditio a SS. Pontificibus requisita ut fideles possint lucrari Indulgentias defunctis applicandas, cum in suis Bullis semper apponant se concedere fidelibus *vere pœnitentibus et confessis,* Indulgentias quas possint applicare defunctis.

Resp. 3. *Ex parte defuncti recipientis* Indulgentias requiritur status gratiæ, hoc est, quod e vita decesserit in amore Dei, et in igne purgativo adhuc sit detentus.

Circa autem modum quo defunctus recipit Indulgentias aliaque auxilia a viatoribus, nihil docet Ecclesia ; quidam cum S. Thoma existimant gradum fervoris in quo anima e vita migravit, mensuram esse applicationis satisfactionum, ita ut plus accipiat de Indulgentia, quo ferventiori gradu

[1] Cap. *Quod autem, de Pœnit. et remissione.* — [2] Art. 4, § 1 *de Indulg. pro vivis.* — [3] Lib. V, quæst. 17, dub. 3.

æstuabat in morte. Hoc autem totum pendet a voluntate Dei, aut ab ordine ab illo constituto.

ARTICULUS V.

DE JUBILÆO[1].

Hic pauca, sed admodum certa subjungemus de Jubilæo. Cum auctores qui de Jubilæo tractarunt, plura falsa et erronea scripserint ex falsis interpretationibus Constitutionum Pontificum, quia non bene verba ipsorum perpenderunt, Benedictus XIV, volens de medio tollere omnia dubia, omnes quæstiones et difficultates circa facultates Jubilæi in unum congessit in sua constitutione *Inter præteritos*, edita 3 decemb. 1749, cujus analysim sapienter confecit S. Ligorius, num. 536; quam per totum hic subjungendam esse censuimus; sed quædam sunt prænotanda. Igitur

Nota 1. Vox *jubilæum* non venit a verbo latino *jubilum*, quod lætitia significat; sed ab hebræo *jobel*, quod, juxta quosdam, significat *quinquagesimum*, secundum alios *sonitum buccinæ*, quo indicebatur quinquagesimus annus. Alii cum Bellarmino deducunt illud a voce hebraica *jubal* vel *jabal*, quæ significat *germinare*, quia anno quinquagesimo non colebatur terra, sed vescebantur Judæi sponte per semetipsa germinantibus; alii tandem ex hebraico *jobal* quod significat *remissionem* seu *liberationem;* quia Judæi quolibet quinquagesimo anno a debitis omnibus solvebantur et redibant ad possessiones suas, si forte ab his deturbati fuissent; imo et servi eo anno cum liberis suis libertatem recuperabant[2]. Illæ variæ interpretationes habent aliquid veri, annus enim sabbaticus hæc omnia secum importabat.

Nota 2. Jubilæus est *Indulgentia plenaria cum privilegiis annexis;* unde solum differt ab Indulgentia plenaria

[1] Vide S. Ligor., lib. VI, num. 536. — [2] Levit. XXV.

ratione privilegiorum quæ in Jubilæo conceduntur, v. gr. absolvendi ab omnibus casibus et censuris reservatis, commutandi vota et alia quæ in Bulla exprimuntur, quæ ideo attente perlegi debet.

Quæres 1. *Quænam sint generaliter notanda circa Jubilæum?*

Resp. Sequentia sunt notanda :

1. Durante Romæ anno Jubilæi, ordinarie suspenduntur per totum orbem Indulgentiæ plenariæ pro vivis a Summo Pontifice concessæ.

Dixi 1° *ordinarie*, quia cum illa Indulgentiarum suspensio pendeat a Pontifice, possunt ex ipsius speciali concessione locum habere.

Dixi 2° *plenariæ*, quia non plenariæ semper locum habent.

Dixi 3° *pro vivis*, quia non suspenduntur Indulgentiæ concessæ pro defunctis; nec pro constitutis in articulo mortis; nec altaria privilegiata, ut docent communiter auctores.

Dixi 4° *a Pontifice*, quia non suspenduntur Indulgentiæ concessæ ab aliis quam a Papa, v. gr. a Legatis apostolicis, aut Episcopis, quia Bullæ solum loquuntur de Indulgentiis pontificiis et plenariis.

2. Quoad opera injuncta et privilegia concessa, omnino standum est verbis concessionis, quia *Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant.*

3. Opera præscripta possunt impleri in diversis locis. unde si quis in patria sua, promulgato Jubilæo, designatas ecclesias visitaverit, et postea, ex aliquo negotio, e patria discedat, potest jejunium, confessionem et communionem in alia Diœcesi peragere, et ibi a quovis Confessario approbato absolvi a reservatis. Ratio est, quia Jubilæus est favor personalis, non localis; ita communiter auctores[1].

4. Qui de consensu Confessarii distulit confessionem post transactum Jubilæum, potest etiam tunc absolvi a reser-

[1] Bassæus, Gervasius, etc.

vatis; hæc enim videtur esse mens S. Pontificis, et praxis communis.

5. Qui tempore Jubilæi absens fuit, rediens in patriam lucrari posse Jubilæum declaravit Clemens VIII, ann. 1597; quod tamen debet fieri quam primum redierit, nempe intra duas hebdomadas a die reditus.

6. Juxta multos[1], qui semel Jubilæum consecutus est, jus habet, etiam post ipsum, sibi Confessarium eligendi ad gratias sibi comparandas quas tempore Jubilæi obtinere poterat, et tamen oblivione aliave causa non obtinuit, v. gr. ut ipsum absolvat a peccatis, censuris, votis quibus ante Jubilæum obstrictus fuerat. Ratio eorum est, quia hoc ipso quod debito tempore præstitit opera ad Jubilæi consecutionem necessaria, acquisivit jus quo possit absolvi a supradictis.

Nos vero censemus cum Suarez[2] talem, elapso Jubilæo, posse ab ordinario absolvi a peccatis reservatis ante Jubilæum commissis, quia eorum generalem obtinuit absolutionem; non vero posse a votis dispensari, cum eorum generalem non obtinuit dispensationem, vel commutationem, et, transacto Jubilæo, simplicem confessarium carere jurisdictione ad dispensandum vel commutandum vota.

7. Bullæ Jubilæi, qua parte continent favores, sunt latissime interpretandæ, quantum patitur verborum proprietas et usus curiæ; quantum continent gravamen, stricte intelligendæ; sed omnia sunt reducenda ad quod sancivit Benedict. XIV, ut infra.

8. Bonifacius VIII, anno 1300, Jubilæum sanctum, quoquo centesimo anno recurrente, celebrari voluit. Clemens vero VI, anno 1350, illud instar Jubilæi mosaici quocumque redeunte quinquagesimo anno assignavit. Urbanus VIII, in memoriam annorum quos Christus in terris egisse vulgo

[1] Lessius, lib. II, cap. 40, num. 100; Sanch., lib. IV *Mor.*, cap. 54, num. 39; Henriquez, lib. VII, cap. 11, num. 4; Gervas., disp. 2 *de Pœnit.*, num. 659.
[2] Lib. VI *de Voto*, cap. 16, num. 14 et 15.

creditur, statuit ut annus sacer trigesimo quovis anno recurreret, quem Paulus II, ann. 1470, ad vigesimum quintum annum reduxit, eaque dispositio, a Sixto IV ann. 1473 confirmata, nunc observatur in Ecclesia.

9. Jubilæum aliud est universale, quod toti Ecclesiæ; aliud particulare, quod alicui tantum Ecclesiæ conceditur. Universale vel est ordinarium, quod singulis vicenis quintis annis celebratur, ut dictum est; vel extraordinarium, quod extra annum sanctum conceditur ex variis causis.

10. Jubilæum sanctum, ex Clem. VI et ejus successoribus approbantibus, Romæ conceditur, et futurum esse promulgatur die Ascensionis Domini; incipit autem a primis vesperis Nativitatis Domini usque ad sequentes primas vesperas ejusdem festi anni proxime futuri. Solemnitas autem additur quod porta S. aperiatur ante, sed claudatur post vesperas. Quoniam vero plerique fidelium Romam ad Jubilæi effectus comparandos migrare non possunt, solent Summi Pontifices, post elapsum Jubilæi annum, gratiam ad omnes fideles per orbem diffusas duorum vel aliquando sex mensium consequendam extendere, quam possunt in partibus iterum lucrari, qui Romæ jam lucrati sunt.

11. Jubilæum extraordinarium durat per quindecim dies, id est, per tres dominicas et 12 dies feriales.

Hæc sint satis circa notionem Jubilæi; sed quia nemo Jubilæi gratiam percipere potest, nisi opera in Bullis præscripta compleverit, et facultates ab ipsis concessas probe intellicantur.

Quæres 2. *Quænam sint specialiter notanda circa Jubilæum?*

Resp. Ex Constit. Benedict. XIV *Inter præteritos,* sequentia sunt notanda :

1. Per verba *vere pœnitentibus et confessis*, intelligi debet actualis confessio, § 5, in dicta Constit.

2. Omnes visitationes ecclesiarum perfici debent uno dio, incipiendo diem a media ad mediam noctem, § 13.

3. Per clausulam *ad beneplacitum nostrum et Sedis Apostolicæ* non cessant Indulgentiæ morte Pontificis, ut dictum supra; aliter vero, si tantum dicatur *ad beneplacitum nostrum*, § 18.

4. Circa suspensionem Indulgentiarum, quando in Indulto dicitur *omnes et singulæ*, etiam plenariæ suspenduntur, § 22; anno vero Jubilæi in urbe durante, suspenduntur extra urbem omnes Indulgentiæ plenariæ, quoad vivos, etiam incarceratos, non vero moribundos, neque defunctos, nec Indulgentiæ Laureti, nec Compostellæ, nec portiunculæ Assisii (quæ tamen suspenduntur alibi per orbem), nec indulgentiæ Bullæ *Cruciatæ*, quia sunt per modum contractus. Ita Sanch., Viva, etc., apud Croix.

5. Indulgentiæ pro vivis applicari non possunt defunctis, § 23.

6. Vi Jubilæi non potest aliquis absolvi ab hæresi externa, § 38.

7. Tempore Jubilæi anni sancti manent suspensæ facultates Regularium absolvendi a casibus Bullæ *Cœnæ*, et reservatis Sedis Apostolicæ, et vota commutandi, sive sint concessæ intuitu Indulgentiarum, sive ob alias causas, §§ 26 et 32. Hæc suspensio facultatum, sicut Indulgentiarum, incipit a primis vesperis Nativitatis Christi, et desinit cum fine vesperarum ejusdem vigiliæ, tuncque reviviscunt absque nova concessione. Croix, loco cit., num. 1404.

8. Quando dicitur: *Commutatio votorum fiat dispensando*, principaliter debet attendi ad commutationem, ita ut materia subrogata non sit exorbitanter minor; secus, si dicatur: *Dispensatio fiat commutando*, § 45. Possunt ordinarie commutari omnia vota (exceptis castitatis et religionis aut in favorem tertii factis), non tamen dispensari, licet vota sint jurata. Hæc vero commutatio non fieri potest extra confessionem; sed fieri potest ante omnia opera, dummodo habeat animum Jubilæum acquirendi.

9. Facultas dispensandi non includitur in facultate com-

mutandi, § 47. Secus, si vice versa, juxta regulam : *Cui licet quod est plus, licet quod est minus.* Ita comm. Suarez, Less., Laym., Bonac., Busemb., Croix, loc. cit., num. 1459.

10. Quod ad irregularitates pertinet, quidquid sit de controversia num sub nomine censuræ irregularitas ex delicto comprehendatur, datur facultas dispensandi ab irregularitate ob violationem censurarum duntaxat, § 50.

11. Facultas commutandi pia opera ad Jubilæum lucrandum præscripta, non intelligitur data circa confessionem et communionem (præterquam pro pueris quibuscum confessarius debet commutare communionem in alia opera), aut orationem necessariam in visitatione *ecclesiarum*, nec commutatio fieri potest ad opera aliunde debita. Nec Jubilæum acquiri potest per opus alias debitum (puta si quis ex legato teneretur dare eleemosynam pauperi), nisi qui indulgentiam concedit, nominatim dicat quod per prædictum opus acquiri potest. Id enim sæpe contingit, cum, inter opera, jejunium trium dierum præscribitur, dies nominatim indicando, v. gr. dicitur quod debeant esse tres dies Quatuor Temporum semptembris, § 53; item commutatio fieri debet in opera ejusdem naturæ, § 55. Opera in Bullis præcepta impleri debent extra urbem tempore per Episcopos præfixo; solent enim Episcopi tempus istud, sicut ecclesias visitandas, determinare in promulgatione Jubilæi. Si vero instet finis temporis Jubilæi, nec suppetat facultas omnia opera præscripta adeemplendi, etsi ex ignorantia culpabili dilata fuerint, ex probabiliori sententia, juxta communem Bullarum interpretationem, Confessarius potest prorogare tempus ad effectum Jubilæi, vel opera commutare. Ita Viva.

12. Præter excommunicationem majorem Pontifici reservatam, in Constit. *Muneris apostolici* impositam sacerdoti complici in peccato turpi, qui, extra mortis periculum confessionem excipit pœnitentis eumque absolvit; vel qui in articulo mortis absolvit, cum alius sacerdos non desit;

vel, cum alius sit sacerdos, sibi fingit quod, si pœnitens illi confiteatur, infamia aut scandalum inde oriturum sit, et ideo ejus confessionem excipit, aut absolvit : illi imponitur hic inhabilitas in quocumque Jubilæo absolvendi complicem pœnitentem, § 59.

13. Cum omnes quæ tribuuntur facultates ad Jubilæi consecutionem, directæ ac veluti præparatio sint, clare inde sequitur illarum usui minime locum esse, nisi cum eo qui ad consequendum Jubilæum præparatus est, et certum habet propositum adimplendi opera injuncta, § 62. Hinc qui confitetur et absolvitur, licet non lucretur Jubilæum, quia omiserit implere opera injuncta, absolvitur a reservatione oblitorum, ut tenet probabilior sententia.

14. Confessarii non possunt *extra actum sacramentalis confessionis,* ullas dare absolutiones, commutationes ac dispensationes, § 63.

15. Tempore Jubilæi vel Indulgentiarum, omnino imponenda est pœnitentia a Confessario, ne mutilum maneat Sacramentum, § 65.

16. Nomine partis læsæ non intelligitur judex, sed qui damnum est passus, § 66; itidem declaratur non posse commutari vota in præjudicium tertii, sicut votum perseverantiæ in aliqua congregatione, quod naturam assumat contractus et reciprocæ obligationis inter voventem et congregationem.

17. Si quis post confessionem prolabitur in lethale, debet iterum confiteri, ut ultimum opus fiat in gratia, § 73.

18. Opera facta in peccato valent ad lucrandum Jubilæum, modo fiant ex animo exhibendi honorem Deo, non autem ex fine vano, et modo ultimum opus impleatur in statu gratiæ, §§ 75 et 76, et ideo consulitur ut ultimum opus sit communio.

19. Nomine *incolæ* veniunt omnes qui sunt Romæ, animo ibi morandi per majorem anni partem, et omnes qui Romæ alicujus muneris aut negotii causa morantur. — Confessio

est necessaria ad lucrandum Jubilæum, etiamsi quis habeat sola venialia, § 77. — Si duobus diebus immediatis duo concurrant Jubilæa, quorum singula confessionem et communionem postulant, non opus est bis confiteri et communicare; debent tamen repeti alia opera præscripta.

20. Pro aliis vero Indulgentiis, si confessio præscribatur ut dispositio, non requiritur confessio venialium; secus, si injungitur ut opus præscriptum, § 78.

21. Si quis post confessionem labatur in mortale, non tenetur iterare visitationes, licet teneatur tamen iterum confiteri, § 79, ut dictum est.

22. Non est opus in visitatione basilicarum ad Indulgentiam consequendam, ingredi aut egredi per portas sanctas, licet hujusmodi ingressus pium opus supererogationis censendus sit, § 81. Item in visitatione ecclesiarum, si quis præ multitudine non possit in ecclesiam ingredi, satis est orare ante fores vel prope; secus, si præscribatur altarium visitatio, tunc enim in ecclesia debet orare versus ad altaria, ut illorum visitatio sit sensibilis. Oratio vero fieri debet juxta intentionem Pontificis vel Ecclesiæ, ut dictum est supra.

23. Si quis ante publicationem Indulti visitavit basilicas, et compleat visitationes ipso die publicationis, potest gaudere Jubilæo, modo aliam visitationem quatuor basilicarum totam illo die perficiat, § 82.

24. Satis est oratio vocalis; qui autem sola mente orare voluerit, laudandus est: aliquam tamen orationem vocalem adjungat, § 83.

25. Potest quis iterum lucrari Jubilæum, si reiteret opera injuncta; verum tantum prima vice potest facultatibus gaudere (84).

Hoc tamen non intelligendum pro lucranda Indulgentia concessa iis qui præscriptis diebus ecclesiam visitaverint, tunc enim unica tantum indulgentia acquiri potest (*ibid.*).

26. In concessione facultatis absolvendi a censuris

Bullæ *Cœnæ*, non includitur facultas absolvendi ab hæresi externa, § 85.

27. Qui, facta confessione est absolutus a censuris, et alias gratias votorum recipit, si mutat propositum implendi reliqua, manet dispensatus a votis, nec reincidit in censuras, § 86.

28. Facultas monialibus earumque novitiis facta Constit. *Benedictus Deus*, 25 decemb. 1750, eligendi sibi tempore Jubilæi quemcumque confessarium, intelligenda est, ex Benedict. XIV Constit. *Celebrationem*, 1 janv. 1751, de quolibet confessario approbato ab ordinario loci pro quocumque monasterio loci illius. Regulares vero homines ex quovis ordine, possunt, vi Jubilæi, etiam sine licentia superioris, confessionem explere apud quemcumque sacerdotem approbatum ab ordinario, etiam sæcularem [1], possuntque ab illo absolvi etiam a casibus reservatis in suis ordinibus [2].

Quæres 1. *An ad lucrandum Jubilæum, omnia opera præscripta perfici debeant in una eademque hebdomada?*

Resp. *affirmative*. Juxta communiorem sententiam. Ita Sanch., Lugo, Viva, Sporer, S. Ligor., etc. Ratio *prima*, quia sic fert praxis omnium fidelium; *secunda*, quia id clare patet ex solitis verbis in Bulla appositis, quæ sunt ista: *Qui processioni interfuerint, vel ecclesias designatas visitaverint, et feria IV, VI et sabbato alterius ex duabus hebdomadis jejunaverint, pariterque sua peccata confessi, et SS. communione refecti fuerint, eleemosynamque tribuerint*, etc. Itaque visitatio ecclesiarum, jejunia et eleemosyna fieri debent diebus non *utriusque*, sed *alterius ex duabus hebdomadis;* item confessio et communio. Verbum enim *pariterque*, non respicit obligationem operum, sed temporis, ita ut, sicut alia opera in eadem hebdomada perfici debent, ita pariter confessio et communio, ut recte advertit S. Ligor. [3].

[1] Greg. XIII et Alexand. VII, in Constit. *Unigenitus*. — [2] Hactenus S. Ligor. ex Benedict. XIV, loco cit. — [3] Lib. VI, num. 537.

Advertendum vero quod si alia opera fuerint peracta intra primam hebdomadam, confessio et maxime communio bene fieri possunt dominica immediate sequenti, ut probabilissime tenet S. Ligor. cum multis apud illum, ex declaratione Gregorii XIII, ex quo fit quod dominica media fit communio, et pertineat ad utramque hebdomadam.

Quæres 2. *An per confessionem invalidam in Jubilæo absolvantur censuræ reservatæ, et auferatur reservatio peccatorum?*

Nota. Confessio potest esse nulla vel culpabiliter, vel defectu doloris falso supposititi et bona fide. Unde

Resp. *negative* pro utroque casu, ex Benedicto XIV in Constit. *Inter præteritos*, § 62 supra relato, num. 13, ubi dicit : *Cum omnes quæ tribuuntur facultates*, etc. Unde sic : Facultates tribuuntur velut præparatio ad consequendum Jubilæum; atqui qui facit confessionem nullam quacumque de causa, non consequitur Jubilæum, ut certum est : ergo non præsumitur Pontifex velle ut facultatibus fruatur. Propter autem rationem contrariam, confessio valida peccatorum inculpabiliter oblitorum reservationem tollit, quia Pontifex tempore Jubilæi in gratiam pœnitentium omnem aufert reservationem. Hinc, si peccatum reservatum omissum postea redierit in memoriam, simplici sacerdoti submittere satis erit. *Item*, si quis cœpit confessionem intra Jubilæum, potest deinde absolvi ab omnibus reservatis, etiam a peccatis illis quæ commiserit transacto tempore Jubilæi, ut tenet sententia communis, quia pro eo perseverat adhuc gratia facultatum ad effectum lucrandi Jubilæum. Imo communius tenetur contra Layman., Suar., Bonac., eum qui confessus est tempore Jubilæi, posse postea a quocumque sacerdote obtinere commutationem votorum, quia, ratione Jubilæi lucrati, pœnitens adeptus est jus ut sua vota commutentur. S. Ligor. vocat tamen sententiam oppositam æque probabilem, quia, dicunt auctores hujus sententiæ, absolutio facta virtute Jubilæi non potuit comprehen-

dere vota quorum commutatio tunc non fuit postulata.

Quæres 3. *An graviter peccet qui postquam est absolutus a reservatis, non implet postea opera injuncta?*

Resp. Alii affirmant cum Viva, Suar., Vasq., etc., quia ille in materia gravi contravenit intentioni Pontificis. Hanc sententiam ratione fundatam esse dicit Benedict. XIV, loc. cit., § 86. Alii vero communius negant, quia obligatio implendi hæc opera nec percipitur ex natura Jubilæi, nec ex injunctione confessarii; sed ubi præceptum non claret, nemo ad illud tenetur : ita Sanchez, Sporer, Lugo, etc. Commune autem est illum pœnitentem non reincidere propter hoc in reservationem vel censuras, ut declaravit Benedict. XIV, loc. cit., § 86.

Quæres 4. *An possit absolvi a reservatis, qui peccatum commisit spe obtinendi absolutionem vi Jubilæi?*

Resp. *Negat prima sententia* valde probabilis, ait S. Ligor. Ratio quia Pontifex non præsumitur velle favere iniquitati ; quod eruitur ex Tridentino[1], ubi difficilius conceditur dispensatio ab impedimento consanguinitatis, quando intervenit copula habita cum spe dispensationem facilius obtinendi, hancque circumstantiam exigit declarari ab oratoribus sub pœna nullitatis dispensationis aliter obtentæ. Covarr., Lopez, etc.

Affirmat secunda sententia communior et satis probabilis. Ratio, quia facultas generaliter concessa non est limitanda; nec obstat ratio opposita, alias dicendum esset Christum instituendo sacramentum Pœnitentiæ iniquitati favisse. Remedia autem a superioribus oblata peccantibus, peccatorum incentiva dici non debent.

Quæres 5. *An vi facultatis concessæ in Jubilæo absolvendi a censuris occultis propter damnum tertio illatum incursis sub conditione : ne pœnitens absolvatur, nisi satisfacta parte læsa, vel saltem præstito juramento satisfaciendi, possit dari absolutio ante satisfactionem vel juramentum?*

[1] Sess. 24 *de Reform.*, cap. 5.

Resp. Vel pœnitens potest satisfacere hic et nunc sine maximo damno, quod pars læsa subire non debet ex dilatione; vel non potest. *Si prius*, statim satisfacere debet, alias illicite et invalide absolveretur. Ita Suarez, S. Ligor. et alii contra Bonac. et quosdam alios. Ratio est, quia satisfactio actualis est vera conditio a Pontifice posita, qua non impleta, facultas non conceditur. Idque decisum est a Benedict. XIV in Constit. *Convocatis*, ubi dicit : *Ab occultis censuris ob partem læsam incursis*, confessarii *non prius absolvant, quam parti læsæ pœnitens satisfecerit; vel si prius pœnitens nequeat, non eum absolvant, nisi juret se satisfacturum cum primum poterit.* Hæc autem satisfactio intelligitur facta, si pœnitens sic rem suam disposuerit ut sit certe moraliter implenda; quod enim certe futurum est, pro præsenti habetur, ut si pars læsa acceptet promissionem satisfactionis vel eam remittat, aut si oblatam satisfactionem renuat accipere.

Si vero pœnitens sit impotens ad satisfaciendum, tunc licite et valide absolvi potest; prius tamen emisso juramento *se satisfacturum cum primum poterit*, nisi esset perpetuo impotens ad satisfactionem; ratio est, quia non præsumitur Pontifex impossibilem conditionem postulare.

Nota. Absolutus a censuris sub promissione satisfaciendi, non reincidit in censuras, si postea non satisfaciat, quia reincidentia non incurritur, nisi de jure exprimatur.

Quæres 6. *A quibus casibus et censuris possint confessarii absolvere tempore Jubilæi?*

Resp. 1° Ab omnibus censuris in jure latis etiam Sedi Apostolicæ reservatis, quamvis publicæ in locis sint; 2° a censuris ab homine, seu a quocumque judice de partibus nominatim latis; 3° ab omnibus reservatis Episcopo, etsi id non exprimetur, ut communiter tenetur; 4° nequeunt absolvi hæretici, etsi excipiantur faventes, receptantes, defendentes hæreticos, sicut legentes, retinentes libros hæreticos, proferentes blasphemias hæreticales, si hæ non sint

conjunctæ cum hæresi formali; 5° item publici percussores clericorum, et alii nominatim excommunicati, vel suspensi, ex declaratione Benedict. XIV, in Constit. *Convocatis*, ubi dicit absolvi posse pœnitentes *a censuris in jure latis etiam Sedi Apostolicæ reservatis, quamvis publicæ in partibus sint, et quamvis deductæ aut nominatim declaratæ et denuntiatæ in iisdem partibus sint per locorum ordinarios, aut alios judices.* Et subdit num. 6 : *A censura ab homine, seu a quocumque judice de partibus nominatim lata absolvere valeant ad effectum duntaxat Indulgentias præsentis Jubilæi consequendi*, etc.

Quoad irregularitates vero, sive ex delicto proveniant, sive non; sive considerentur ut censuræ, sive non, Benedict. XIV, loc. cit., tantum indulsit *dispensari posse super occulta irregularitate ob violationem censurarum duntaxat.*

Quæres 7. *Quinam intelligendi sint sub nomine infirmorum, captivorum et itinerantium, quibus vi Jubilæi possunt commutari aliqua ex operibus injunctis?*

Resp. 1° Sub nomine *infirmorum* veniunt omnes valetudinarii et senes, qui absque notabili detrimento vel incommodo nequeunt illa opera præstare. 2° *Captivi* intelliguntur omnes qui aliquo in loco, contra propriam voluntatem detinentur : erga illos fit commutatio aut prorogatio. 3° *Itinerantes*, hi sunt qui iter incœptum aut incipiendum commode differre, aut suspendere nequeunt; iis prorogantur opera injuncta usque ad reditum. Viator autem perveniens ad locum ubi promulgatur Jubilæum, potest illic incipere opera, et prosequi in itinere, ut ait Lugo. *Item* pro illo qui ex quacumque causa, prima hebdomada Jubilæum non est lucratus, prorogatur tempus post hebdomadam ut perficiat opera.

Adverte 1° inter opera commutanda non intelligi confessionem et communionem, quæ nunquam commutari possunt, nisi pro pueris qui nondum admissi sunt ad primam communionem, ex Bened. XIV, in Constit. *Convocatis*, § 48.

Adverte 2° preces in Jubilæo injunctas, impleri posse sive per solas orationes vocales, et tunc debent esse satis notabiles; sive per orationem mentalem, quod laudandum est, dummodo vocales alias preces (etsi per se non notabiles), orationi illi adjungantur ex Benedict. XIV, ut supra.

Adverte 3° quoad eleemosynam impertiendam ad effectum Jubilæi, præcipue attendenda sunt verba Indulti. Si enim in eo dicatur : *Quantum pro sua cuique facultate visum fuerit*, tunc quantitas proportionari debet cujusque facultatibus, ita ut quantitas quæ sufficit pauperi, non sufficiat diviti. Si vero dicatur : *Prout unicuique suggeret devotio*, vel : *Quantum quisque pro arbitrio judicaverit*, tunc etiam minima quantitas sufficiens erit. Si tandem dicatur: *Qui dederit eleemosynam*, videndum est ad qualem finem Papa postulet eleemosynam. Si sit ad pauperes sublevandos, in secundo sensu hæc verba intelligi possunt; si ad subsidium belli aut piæ operæ, in primo sensu debent accipi[1].

Adverte 4° neminem, etiam mendicantes, immunem esse ab eleemosyna elargienda. Patres vero familias, heri, etc., illam distribuere possunt pro iis qui sub sua auctoritate constituuntur : quod si facere detrectarit, commutatio intervenire debet.

Adverte 5° non conveniunt Theologi utrum Jubilæum lucretur, qui eleemosynam famulo aut alteri dispertiendam dedit, si postea non distribuatur, vel distribuatur post Jubilæum. Alii enim negant, quia deficit opus injunctum, vel non impletur intra tempus præscriptum. Ita Sporer, Viva, Lugo, etc. Alii affirmant, quia ex æquitate non præsumitur Pontifex velle illum frustrari Jubilæo, qui revera se spoliavit bonis suis.

[1] S. Thom., *Supplem.*, quæst. 25, art. 2, ad 3.

FINIS TOMI SEPTIMI.

INDEX ANALYTICUS.

TRACTATUS DE SACRAMENTIS IN GENERE.

CAPUT I. De essentia Sacramentorum. 2

Nota : (1. Sacramentum sumitur : 1° pro arcano; 2° pro juramento; 3° pro sacro mysterio; 4° pro signo, quod, etc. — 2. Signum est : 1° *naturale* et *arbitrarium;* 2° *speculativum* et *practicum;* 3° *rememorativum*, *demonstrativum* et *prognosticum.*)

Quæres : Quid sit Sacramentum? — Generice sumptum, est signum sensibile, a Deo permanenter institutum ad significandam et conferendam gratiam sive *interiorem,* sive *exteriorem.* Unde Sacramenta veteris et novæ legis definiri possunt, etc. . 3

Nota : (1° In Sacramentis tria distinguntur : *Sacramentum* tantum, *res* tantum, et *Sacramentum et res;* 2° cum Sacramenta sint juris positivi, non valet argumentum a simili, sed unumquodque est sui generis, licet illis plura sint communia.)

CAPUT II. De existentia Sacramentorum. 6

Nota : (Genus humanum considerari potest in statu vel *innocentiæ,* vel *naturæ,* vel *legis scriptæ,* vel *legis Evangelicæ.* Unde)

Conclusio 1. An de facto extiterint in brevissimo innocentiæ statu Sacramenta; an aliqua futura fuissent, si diutius perseverasset? — Nemo potest certo definire : silent enim Scriptura et Traditio. 6

Conclusio 2. In lege naturæ extitit verum Sacramentum ad peccatum originale delendum. — Sic August. 7

Quæres : Quodnam fuerit illud remedium? — Probabilius fides Christi venturi exterius manifestata. 8

Conclusio 3. Aliqua fuerunt in lege mosaica Sacramenta. . . 8

(Nam in ea multi fuerunt ritus stabiles sanctitatem externam conferentes, internam vero figurantes.)

Conclusio 4. In nova lege existunt septem Sacramenta, nec plura nec pauciora. — *Est de fide,* defin. a Trident. contra novatores. — Nam septem sunt signa sensibilia, etc. — *Confirm.* insuper ex analogia vitæ corporalis, perpetua traditione, et praxi Ecclesiæ Græcæ. 8

Objectiones. 11

Quæres 1. An omnia Sacramenta novæ legis sint æqualis inter se dignitatis? — Non, ut definivit Trident. 14

Quæres 2. Quis instituit Sacramenta novæ legis? 14
(Resp. Christus omnia et singula Sacramenta novæ legis instituit (*est de fide*); — et quidem per se et immediate (*est certa et probabilius de fide*).
Quæres 3. An Christus instituerit Sacramenta ut homo vel ut Deus? — Ut homo et ut Deus. 16
CAPUT III. De materia et forma Sacramentorum. 17
Nota : (1° Materia et forma sunt partes ex quibus constant Sacramenta; — 2° materia est duplex : *remota* et *proxima*.)
ARTICULUS 1. An quodlibet Sacramentum (novæ legis) necessario constet rebus tanquam materia, et verbis tanquam forma. 19
Conclusio. Quodlibet novæ legis Sacramentum in actione transeunte consistens, necessario constat rebus tanquam materia, et verbis tanquam forma. 19
(Nam Florent. : *Omnia Sacramenta tribus...* Patet aliunde ex singulorum enumeratione. — *Confirm.* ex analogia Christi Verbo et corpore constantis.)
Quæres : Qualia sint verba Sacramentalia, an promissoria et concionatoria tantum, an vero consecratoria? — Sunt vere consecratoria; est contra Novatores. 21
ARTICULUS 2. An materia et forma Sacramentorum sint a Deo fixæ et determinatæ. 22
Nota : (Materia et forma determinari possunt dupliciter : *in genere* vel *in specie*.)
Conclusio 1. Christus Dominus determinavit, saltem in genere, omnium Sacramentorum materiam et formam. — Ratio, quia, ex dictis, ipse Sacramenta instituit. 22
Conclusio 2. Christus omnium Sacramentorum materiam et formam determinavit *in specie*, non tantum *in genere*. 23
Nota : (Hoc certum est de Baptismo et Eucharistia; — de aliis duplex est sententia.)
(Nam : 1° Sacramenta sunt Ecclesiæ fundamenta; 2° I Cor. : *Sic nos existimet homo...*; 3° sanctificatio hominis est in potestate soli Dei sanctificantis; 4° secus, Ecclesia materiam et formam mutare posset. At Trident...)
ARTICULUS 3. De mutatione materiæ et formæ Sacramentorum. . 24
Quæres 1. Quotuplex sit materiæ et formæ mutatio? — Duplex, nempe : *substantialis* et *accidentalis*. 25
Quæres 2. An mutatio materiæ vel formæ Sacramentum irritet? — Substantialis, sic; accidentalis, non, licet sit illicita. . . 26
Quæres 3. Quot modis forma Sacramentorum possit mutari, tum substantialiter, tum accidentaliter? — Sex modis. Unde . 26

Nihil formæ demas, nil addas, nil variabis.
Transmutare cave, corrumpere verba, morari.

Quæres 4. An minister qui formam Sacramenti accidentaliter mutaret animo inducendi novum errorem, valide Sacramentum perficeret? — Non, si error sensum tollit; secus, sic. . 28
Quæres 5. An aliquando in administratione Sacramentorum forma conditionali uti liceat? — Sic, cum causa adest. . . . 29
Quæres 6. An liceat in Sacramentorum administratione uti materia dubia aut probabili? — Sic, positis ponendis. . . . 31
Quæres 7. Qualis conjunctio debeat esse inter formæ prolationem et materiæ applicationem? — Talis ut una cum altera unum totale signum constituere censeatur. 31
CAPUT IV. De ministro Sacramentorum. 32
Nota : (1° Duplex est Sacramentorum minister, *primarius,* nimirum, et *secundarius;* — 2° secundarius est *ordinarius* vel *extraordinarius.* — Hic tantum de ordinario.)
ARTICULUS 1. Quis sit ordinarius Sacramentorum minister. . . 33
Conclusio. Solus homo viator, ratione utens, potest esse minister ordinarius Sacramentorum. — Ratio, quia talis fuit voluntas Christi, ut Scriptura constat. 33
Quæres : An quilibet homo viator sit minister Sacramentorum? — Non, *est de fide,* excepto Baptismo et Matrimonio. . . . 34
ARTICULUS 2. Quænam ex parte ministri requirantur, ut Sacramenta legitime perficiat? — Tria requiruntur : Unde 35
SECTIO 1. De intentione ministri Sacramentorum. 35
Nota : (1. Intentio est actus deliberatus voluntatis, quo quis aliquid vult facere; — 2. Spectari potest : 1° ex parte sui objecti; 2° ex parte modi quo ad illud fertur. Unde)
Punctum 1. De objecto intentionis ministri. 36
Nota : (Minister potest intendere : 1° vel jocosam repræsentationem cœremoniarum, et hæc est intentio *jocosa* et *lutherana;* 2° vel Sacramenti ritum pure externum, et est intentio *externa;* 3° vel ritum externum, ut ritum Christi et Ecclesiæ, eumque sacrum, et hæc est intentio *interna;* 4° vel Sacramentum, ut sic; 5° vel Sacramenti effectus. — Porro, *certo :* 1° non sufficit *prima* intentio, ut probabitur; 2° non requiritur *quarta* et *quinta* intentio. Controvertitur an externa sufficiat, de qua duplex opinio. Quoad jocosam et lutheranam, sit)
Conclusio 1. Ad valorem Sacramenti non sufficit jocosa ritus sacramentalis adumbratio; sed requiritur externa intentio faciendi quod facit Ecclesia. — *Est de fide* ex Trident. . 38
(Constat 1° ex I ad Cor. : *Sic nos existimet...;* — 2° ex potestate data Apost. in Sacramenta; 3° ex absurdis, qua alias sequerentur. — 4° *Confirm.* quia confectio Sacramentorum est actus moralis.)
Conclusio 2. Ad valorem Sacramenti non sufficit intentio externa, sed insuper requiritur interna. 39

(Nam eruitur : 1° Ex Concil. Trident., Constant. et Florent., juxta quæ requiritur intentio faciendi quod facit Ecclesia, quæ jam interna subintellecta fuit in Trident. per *serio agendi;* in Constant., per *cum debita materia et forma;* in Florent., per *perficiuntur rebus tanquam...* 2° Ex SS. Pontificibus : Alexand. enim VIII hanc propos. damnavit : *Valet Baptismus,* etc. 3° Ex Div. Thoma. — *Confirm.* homo conficit Sacramenta ut Christi minister; atqui, etc.)

Objectiones. 42

Punctum 2. De gradu intentionis ex parte ministri, seu qualis et quænam esse debeat. 49

Nota : (Intentio est quadruplex, nimirum : *actualis, virtualis, habitualis* et *interpretativa.*)

Conclusio 1. Intentio actualis (*quamvis maxime optanda*) non requiritur in ministro Sacramentorum (quia non est in nostra potestate); habitualis vero non sufficit (nam nequit actionem humanam dirigere). 50

Conclusio 2. Intentio interpretativa non sufficit ad Sacramentum conficiendum (quia non applicat agentem ad actum). . . 51

Conclusio 3. Intentio virtualis requiritur et sufficit ad Sacramentum conficiendum (nam sufficit ad humane agendum) . . . 51

Quæres : An intentio ministri dirigi debeat ad rem determinatam, præsentem et sensibilem? — Sic : unde *resolves,* etc. . 51

Sectio 2. De fide et probitate ministri Sacramentorum. . . . 52

Punctum 1. Utrum hæretici et peccatores valide possint administrare Sacramenta. 52

Conclusio 1. Ad valorem sacramenti Baptismi non requiritur fides in ministro Sacramenti (*est de fide,* ex Trident.); idem dicendum est de aliis Sacramentis (*est fidei proxima*). . . . 53

(Constat 1 p.; nam : 1° sic traditio Ecclesiæ, ut patet ex S. Steph., Concil. Arelatensi I et Nicæno I; 2° minister operatur virtute divina. — 2 p.; nam : 1° sic praxis Ecclesiæ et consensus communis; 2° eadem est ratio ac pro Baptismo.)

Objectiones. 55

Conclusio 2. Minister in peccato mortali existens, modo essentialia quæ ad Sacramentum conficiendum vel conferendum pertinent servaverit, valide conficit aut confert Sacramentum. — *Est de fide* ex Trident. 59

(Nam : 1° sic Joann. : *Hic est qui baptizat...* I Cor. : *Itaque neque qui plantat...* 2° Constat ex Ecclesiæ praxi. 3° Sic SS. Patres ministrum comparantes cum sigillo, cum seminatore, cum canali, etc. 4° Sacramenta omnem vim et efficaciam habent a Christo; secus, quot inconvenientia!)

Objectiones. 61

APPENDIX UNICA. Expenduntur quædam quæstiones facti, quæ ad historiam rebaptizantium pertinent. 63

Quæres 1. An Cyprianus, Firmilianus, cum collegis suis Episcopis, existimaverint agitatam de Baptismo hæreticorum controversiam pertinere ad fidem vel ad disciplinam? . . . 63

Quæres 2. An S. Stephanus de facto excommunicaverit S. Cyprianum, Firmilianum et cæteros ipsi adhærentes? — Non. . 64

Quæres 3. Quodnam fuit illud plenarium Concilium, in quo asserit S. August. controversiam de Baptismo hæreticorum fuisse terminatam? — Est plane incertum. 64

Punctum 2. Utrum peccatores Sacramenta licite conficiant et conferant. 65

Conclusio. Minister qui, peccati alicujus mortalis sibi conscius, Sacramenta ex officio conficit aut dispensat, mortaliter peccat. 65

(Nam : 1º Levit. : *Sancti erunt Deo suo...* 2º Est irreverentia Dei et contaminatio Sacramenti.)

Quæres 1. An minister peccator teneatur confiteri priusquam Sacramentum conficiat aut ministret, quantumvis sibi perfecte contritus videatur? — Quoad Eucharistiam, sic; quoad alia, *probabilius* non. 66

Quæres 2. An peccet mortaliter Sacerdos aut Diaconus ministrans sacramentum Eucharistiæ in mortali? — Sic probabilius. 67

Punctum 3. Utrum liceat Sacramenta petere et accipere ab indignis ministris. 64

Nota : (1º Minister potest esse indignus vel ratione peccati, vel ratione censuræ, vel ratione utriusque. — 2º Excommunicatus est vel *toleratus*, vel *non toleratus*. — 3º Necessitas est vel *extrema*, vel *gravis*, vel *levis*.)

Conclusio 1. Absque causa legitima non licet Sacramenta petere vel percipere a ministro ob peccatum mortale indigno, licet non excommunicato vel tolerato (hoc enim postulat charitas.). 70

Conclusio 2. In extrema vel gravissima necessitate licet ab excommunicato, etiam non tolerato, petere et suscipere sacramentum Baptismi et Pœnitentiæ, modo absit scandalum; non vero alia Sacramenta. 71

(Constat 1 p. : 1º de Baptismo, nam sic Div. August.; 2º de Pœnitentia, patet ex Trident., consuetudine Ecclesiæ, Cardinalibus Trident. interpretibus, catechismo ac Rituali Romano; aliunde eadem est pro ea ratio ac pro Baptismo. — 2º p.; quia Ecclesia in solo extremæ necessitatis permittit cum non toleratis communicare in spiritualibus, ut constat ex Bulla *Ad evitanda.*)

Conclusio 3. Cum rationabili causa, licitum est Sacramenta petere et accipere a ministro indigno propter lethale peccatum. 74

(Nam licet, ex rationabili causa, ab alio petere id quod potest licite præstare, quamvis prævideatur peccaturus.)

Conclusio 4. Sine causa, seu absque necessitate, licet petere et recipere Sacramenta a ministro indigno propter excommunicationem vel suspensionem, sed ab Ecclesia tolerato (conceditur enim communio cum toleratis). 74

Quæres : An similiter liceat in levi necessitate a malo ministro Sacramenta petere et suscipere? — Si sit paratus, sic, quoad Eucharistiam; secus, non. 75

Punctum 4. Utrum liceat Sacramenta administrare peccatoribus. 75

Nota : (Peccator alius est *occultus,* alius *publicus,* notorietate sive *juris,* sive *facti.*)

Conclusio 1. Peccatori publico seu notorio, facti vel juris notorietate, scienter ministrare Sacramentum, est peccatum gravissimum, sive Sacramentum petat publice, sive privatim (peccat enim contra religionem, fidelitatem et charitatem). . . 76

Conclusio 2. *Occulto* peccatori *publice* Sacramentum petenti, Sacramentum ministrari debet, si repelli non possit absque illius infamia et populi scandalo (ut constat ex praxi Ecclesiæ et Apost. : *Non sunt facienda...*). 77

Quæres : Utrum liceat peccatori occulto publice petenti Eucharistiam, porrigere illi hostiam non consecratam, ad vitandum sacrilegium petentis? — Non, quia idololatria est gravius peccatum quam sacrilegium. 77

CAPUT V. De subjecto Sacramentorum. 78

Nota : (Certe solus homo viator est subjectum capax Sacramentorum, sed non omnis omnium.)

ARTICULUS 1. Quænam dispositiones requirantur et sufficiant in subjecto ad validam Sacramentorum susceptionem. . . . 78

Nota : (Hic tantum de adultis agitur.)

Quæres 1. Quid requiratur ut publico peccatori pœnitenti Eucharistia possit administrari? 79

Quæres 2. An minister possit dare Sacramentum indigno, propter metum mortis? — Non. 79

Quæres 3. An Episcopus possit denegare sacramentum Ordinis peccatori occulto publice petenti? — Sic, nam Apost. : *Cito manus nemini imposueris.* 80

Quæres 4. An in conferendis Sacramentis liceat uti opinione probabili? — Non, *generatim loquendo.* 81

Quæres 5. An et quando ministri teneantur administrare Sacramenta? — Quoties subditi ea rationabiliter petunt. . . 82

Conclusio 1. In adulto ad valorem Sacramenti requiritur aliqua intentio positiva recipiendi Sacramentum. 83

(Nam : 1° sic Innocent. III; 2° sic traditio et praxis Ecclesiæ;

3° ratio est institutio Christi, conveniens quidem, ut homo liber libere justificetur.)
Objectiones. 83
Conclusio 2. Ad valorem Sacramenti sufficit intentio supradicta in recipiente, non autem requiritur fides, *excepta Pœnitentia,* ut constat ex traditione et praxi Ecclesiæ erga hæreticos. . 85
Quæres : Qualis intentio requiratur in subjecto ad Sacramentum valide recipiendum? — Non requiritur actualis vel virtualis, nisi in matrimonio ; sufficit habitualis, imo quandoque interpretativa. 86
ARTICULUS 2. Quænam dispositiones requirantur ad licitam et salutiferam Sacramentorum susceptionem. 86
Nota : (Duo sunt Sacramenta mortuorum, quinque vivorum.)
Conclusio 1. Ad suscipienda Sacramenta mortuorum cum fructu, requiruntur et sufficiunt quinque dispositiones, nempe : fides, timor, spes, amor Dei initialis et odium peccati. . . . 87
Conclusio 2. Ad recipienda cum fructu Sacramenta vivorum, præter actus prædictos, requiritur gratia sanctificans. 87
CAPUT VI. De effectibus Sacramentorum. 87
Nota : (Duplex est effectus : primarius et communis, nempe *gratia;* secundarius et specialis, nempe *character.*)
ARTICULUS 1. De gratia quæ per Sacramenta confertur. . . . 87
§ 1. An Sacramenta novæ legis gratiam non ponentibus obicem conferant, et qualem. 88
Nota : (1° Certum est ex Trident. et Florent. Sacramenta novæ legis conferre gratiam ; 2° gratia per Sacramenta collata duplex est : *communis,* sive prima, sive secunda ; et *propria* seu *sacramentalis.*)
Quæres 1. Qualem gratiam conferant Sacramenta mortuorum? — *Ex se* conferunt primam ; *per accidens,* secundam. . . . 88
Quæres 2. Qualem gratiam conferant Sacramenta vivorum? — *Ex se* conferunt secundam ; *per accidens,* primam. 89
Quæres 3. Utrum Sacramenta in omnibus gratiam semper conferant æqualem? — (Quæstio est de eodem Sacramento in se considerato, non comparate ad aliud). — Eadem specie Sacramenta inæqualem conferunt ex opere operato gratiam iis qui inæqualiter sunt dispositi. 90
Quæres 4. Quo instanti Sacramenta conferant gratiam? . . . 91
Quæres 5. An Sacramenta, præter gratiam sanctificantem, conferant specialem gratiam sacramentalem? — Sic. 91
Quæres 6. An qui per mortale peccatum amisit gratiam sanctificantem, amittat etiam jus habendi suo tempore prædicta auxilia? — Sic. 91
§ 2. Quomodo Sacramenta novæ legis conferant gratiam. . . 92
Nota : (1° Aliud est gratiam producere *ex opere operato,* aliud

opere operantis. 2° Duplex est causa : *physica* et *moralis*, utra que autem est *principalis* vel *instrumentalis.*)

Conclusio. Sacramenta novæ legis gratiam causant ex opere operato iis qui nullum obicem apponunt. — Est contra Lutherum et Calvinum a Trident. profligatos. 93

(Nam : 1° Joann. : *Nisi quis renatus fuerit...* 2° Sic SS. Patres, v. gr. August. 3° Sic ratio, ut eruitur ex infantium Baptismo.)

Objectiones. 94

Quæres : Utrum Sacramenta novæ legis producant gratiam physice, vel moraliter tantum? — Duplex opinio. 95

§ 3. An dum Sacramenta propter obicem non contulerint gratium, ipsa, sublato dice, reviviscat. 97

Nota : (1° Obex et fictio hic idem sonant; 2° obex est *positivus* vel *negativus.*)

Conclusio. Sacramenta characterem imprimentia, sublato per pœnitentiam obice, reviviscunt. 97

(Constat 1. de *Baptismo*, nam : 1° sic S. August.; 2° peccatum originale remitti nequit nisi per Baptismum aut ejus votum. Porro tunc utrumque est impossibile. — 2. De *Confirmatione* et *Ordine*, quia sunt initerabilia; atqui...)

Quæres 1. Utrum gratia sacramentalis, recedente fictione, producatur a Sacramento vel a pœnitentia subsequente? — Producitur *per se* a Sacramento ; *per accidens* a pœnitentia. . . 98

Quæres 2. Utrum Sacramenta characterem non imprimentia, ficte suscepta, reviviscant, recedente fictione? — Probabilius non, quoad Eucharistiam ; probabilius sic, quoad alia. . . . 98

Quæres 3. Qualis pœnitentia requiratur ad obicem removendum? 99

§ 4. An Sacramenta veteris legis contulerint gratiam et quomodo. 100

Conclusio. Nulla antiqua legis Sacramenta, ne Circumcisio quidem, causabant gratiam ex opere operato, sed duntaxat ex opere operantis, hoc est, ex fide in Christum, cujus erant signa protestativa. 100

(Constat 1 p.; nam : 1° Galat. : *In lege nemo justificatur....* 2° Concil. Florent. : *Non causabant gratiam...* — 2. p.; nam fides in Christum, cujus erant signa protestativa, erat meritoria. Utraque pars *confirm.* ex S. August.)

Objectiones. 101

Quæres : Quomodo externa et publica professio fidei in Christum venturum conferebat gratiam parvulis? — Non ex opere operato, nec ex opere operantis, sive ex parte subjecti, sive ex parte ministri, sed per modum suffragii simul et meriti. 103

ARTICULUS 2. De charactere sacramentali. 105

Nota : (Character est signum spirituale, indelebile, impressum

in anima, quo homo ad divina deputatur, et an ams distinguitur.)
§ 1. De existentia characteris. 106
Conclusio. Tria Sacramenta, nimirum Baptismus, Confirmatio et Ordo imprimunt characterem. *Est de fide* ex Trident., contra Wiclef., Luth. et Calvinum. 106
(Nam : 1° hoc jam definierat Eugen. IV in suo decreto ; 2° hæc est perpetua traditio, cujus est testis S. August. ; 3° ratio convenientiæ est, quia hæc, et quidem sola, Sacramenta hominem constituunt in aliquo statu de se perpetuo.)
Objectiones. 107
§ 2. De natura characteris. 108
Nota : (1° De fide est characterem esse signum spirituale, animæ impressum ac indelibile ; — 2° de natura istius signi controversitur.) — Unde
Conclusio. Character non est extrinseca tantum denominatio (est contra Durandum), quia in anima imprimitur ; — nec relatio realis (est contra Scotum) quia relatio per veram actionem non producitur ; — sed est verum accidens physicum et absolutum, utpote actione reali productum, quod ad secundam speciem qualitatis, nempe ad potentiam vel physicam, vel moralem, revocatur ; dat enim simpliciter posse agere vel pati. 109
CAPUT VII. De cæremoniis Sacramentorum. 109
Nota : (1° Cæremonia est actus externus religionis, qui... ; 2° dividitur in *sacramentalia* et *ritus sacramentales.*)
§ 1. De ritibus sacramentalibus. — Est contra Novatores. . 110
Conclusio 1. Ritus et cæremoniæ sacramentales sunt perutiles (nam, ex Trident., pietatem promovent, fidem nutriunt, etc.). . 110
Conclusio 2. Ecclesia potestatem habet instituendi cæremonias (quia potestatem habet pietatem ac fidem promovendi, etc. Hinc Trident...). 111
Conclusio 3. Ritus in Sacramentorum administratione ab Ecclesia usitatos et approbatos, mutare vel omittere, peccatum est mortale ex genere suo (ut constat ex Trident. et Burdigal. — Aliunde gravis præcepti objectum sunt). 111
§ 2. De sacramentalibus. 112
Quæres 1. Quid intelligitur sacramentalium nomine? . . . 112
Quæres 2. Quot sint sacramentalia? — Sex, nempe : *Orans, Tinctus, Edens, Confessus, Dans, Benedicens.* 112
Quæres 3. Quinam sint sacramentalium effectus? — Non conferunt gratiam ex opere operato, sed tantum ex opere operantis. 113

TRACTATUS DE BAPTISMO.

CAPUT I. De natura Baptismi. 111
Nota: (1° Nullus hæreticus negat eum esse Sacramentum; 2° es triplex : *sanguinis, flaminis* et *fluminis.*)
Quæres 1. Quid sit Baptismus? 115
(Est Sacramentum a Christo Domino institutum ad spiritualem hominis regenerationem — per exteriorem corporis ablutionem factam aqua, — sub præscripta verborum forma.)
Quæres 2. Quandonam institutum fuerit sacramentum Baptismi? — Probabilius ante passionem, nam : *Post hæc venit.....* 115
Quæres 3. In quo differebat baptismus Joannis a Baptismo Christi? — In hoc potissimum quod non erat Sacramentum, nec justificabat nisi ex opere operantis. Hinc Trident... . . . 116
Quæres 4. Quonam vero tempore ante Passionem institutus fuerit? — Probabilius quando in Jordane fuit baptizatus. . . 117
Quæres 5. Quandonam Baptismus cœpit obligare? — Probabilius statim post resurrectionem Christi. 118
CAPUT II. De materia et forma Baptismi. 119
Conclusio 1. Materia remota Baptismi necessaria est *omnis et sola aqua naturalis,* seu elementaris, *ad abluendum apta.* . 119
(Nam : 1° Joann. : *Nisi quis renatus...* art. 8 : *Ecce aqua...* 2° Hinc Trident. : *Si quis dixerit aquam veram et naturalem...*)
Objectiones. 120
Quæres 1. Quænam sit materia dubia Baptismi? 121
Quæres 2. An sit licitum conferre Baptisma in aqua non benedicta seu lustrali? — Non, in *solemni*; sic, in *privato.* . . . 122
Conclusio 2. Materia proxima Baptismi est exterior corporis ablutio per aquam immediate super corpus baptizandi fluentem. (Ratio, quia materia proxima est remota applicatio ad subjectum). 122
Quæres 1. Quotuplici modo possit fieri ablutio? 123
(*Valide,* triplici : 1° immersione una vel trina; 2° infusione; 3° aspersione. — *Licite,* una tantum, nempe juxta usum actualem Ecclesiæ : hic autem usus juxta tempora varius fuit.)
Quæres 2. An valeat Baptismus si aqua tangat tantum crines? — Sic probabilius. 124
Quæres 3. An una aut altera gutta aquæ sufficiat ad baptizandum? — Non probabilius. 125
Quæres 4. An valide conferatur Baptismus per ablutionem occisivam? — Distinguendum. 125
Conclusio 3. Forma Baptismi legitima et necessaria apud Latinos hæc est : *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* nam, Matth. : *Baptizantes eos in nomine...)* — Aliud

Græcos hæc est : *Baptizatur servus* vel *serva Dei* (N) *in nomine Patris,* etc. Supple : *Baptizatur a me.* 126
Quæres : Quænam in forma Baptismi necessario necessitate Sacramenti sint pronuntianda? 127
(Debent exprimi : 1° actio baptizantis et persona baptizati : unde *baptizato te;* 2° unitas naturæ Dei : unde *in nomine;* 3° distincta invocatio trium personarum SS. Trinitatis : unde *Patris,* et *Filii,* et *Spiritus sancti.*)
CAPUT III. De variis proprietatibus Baptismi. 130
Nota : (Tres sunt præcipuæ, nempe : 1° *prioritas* (quia, ut ait Florent., *est janua vitæ spiritualis*); 2° *unitas* (nam Ephes. *Unus Dominus, una...*); 3° et *necessitas.* Unde)
ARTICULUS UNICUS. De necessitate Baptismi. 131
Nota : (1° Necessitas est *præcepti* vel *medii* quæ est *absoluta* vel *hypothetica;* 2° Baptismi necessitatem negarunt Pelagiani, Wicleffus, Zwinglius, Bucerus et Calvinus. — 3° De ea erronee censuere Cajatanus, Gerson, Gabriel et Durandus.)
Conclusio 1. Extra casum martyrii, Baptismus in re vel in voto est necessarius necessitate medii ad salutem. — Nam Joann. : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua...* — Insuper *est de fide* ex Trident. 132
Objectiones. 133
Conclusio 2. Baptismus adultis est necessarius necessitate præcepti. — Nam Matth. : *Euntes, docete...* — Aliunde necessitas medii semper includit pro capacibus præceptum. 135
Quæres 1. An Baptismus aliquando repeti possit? — Sic, quando adest prudens dubium de nullitate prioris Baptismi. . . 135
Quæres 2. An Baptismus flaminis suppleat vices Baptismi aquæ? — Sic, cum voto explicito vel etiam aliquando implicito Sacramenti. 136
Quæres 3. Quomodo Baptisma flaminis suppleat vices Baptismi aquæ? — Ex opere operantis. 137
Quæres 4. An martyrium suppleat vices Baptismi? — Sic, quoad omnem effectum, exceptis charactere et gratia sacramentali. 139
Quæres 5. Quomodo martyrium suppleat vices Baptismi? — Supplet ex opere operato, ratione pœnæ perpessæ. 140
Quæres 6. Quid requiratur ut martyrium sit verum, suppleatque vices Baptismi? — Aliud requiritur pro parvulis et adultis a nativitate amentibus, aliud pro adultis. 140
Quæres 7. Quandonam martyrium gratiam conferat? — *Probabiliter* quando infertur vulnus lethale. 141
CAPUT IV. De ministro Baptismi. 124
Nota : (Minister triplex est : *ordinarius, extraordinarius* et *necessitatis.*)
Conclusio. Minister Baptismi *ordinarius* est Episcopus et Presbyter

(nam : 1° Matth. : *Euntes, docete...;* 2° sic Florent.); — *extraordinarius* est diaconus (ex cap. *Constat...;* sed solemniter nonnisi cum licentia, excepto casu necessitatis); — *necessitatis* est homo quilibet, sive vir, sive mulier, sive baptizatus, sive non (ex Concil. Florent. — Insuper Deus vult omnes homines salvos fieri). 142

Quæres 1. An aliquis possit seipsum baptizare? — Non. . . 144

Quæres 2. Utrum unus possit plures simul baptizare? — Sic. 145

Quæres 3. An plures ministri possint eumdem simul baptizare valide? — Si ut causæ partiales, non; si ut causæ totales, sic, sed illicite. 145

Quæres 4. In quo loco Baptismus sit conferendus? — *Ordinarie* in loco sacro et parochia subjecti. 145

Quæres 5. An et quale sit peccatum inversio ordinis inter personas baptizantes in necessitate? — Varius est pro variis personis. 146

Quæres 6. An diaconus baptizans solemniter sine commissione Episcopi vel Sacerdotis, incurrat irregularitatem? — Sic. 147

Quæres 7. An parentes baptizantes filios suos, contrahant impedimentum petendi debitum matrimonii? — Sic, si id faciant ex industria et absque necessitate. 147

CAPUT V. De subjecto Baptismi. 148

Nota : (Certum est apud omnes, hominem omnem ratione utentem esse subjectum Baptismi. Unde)

ARTICULUS 1. Utrum baptizari possint infantes. 148

Conclusio. Infantes et perpetuo amentes præstat baptizari, licet actu proprio credere non valeant. — *Est de fide,* ex Trident., contra anabaptistas. 148

(Nam : 1° Joan.: *Nisi quis renatus fuerit...;* 2° sic SS. Patres, v. gr. Orig. et Aug.; 3° sic Concilia, v. gr. Milev. II et Vien. gener.)

Quæres 1. An baptizandi sint infantes in utero materno inclusi? — Duplex sententia. 151

Quæres 2. An partus monstruosi sint baptizandi. — Dist. . 152

ARTICULUS 2. Utrum liceat filios infidelium baptizare, invitis parentibus. 152

Nota : (1° Certe licite, invitis parentibus, baptizantur filii hæreticorum, apostatarum et infidelium mancipiorum; — 2° illicite, invitis parentibus, baptizantur filii infidelium Principibus infidelibus subjectorum. Unde tantum)

Conclusio. Filii infidelium civiliter tantum Principibus christianis subditorum, non possunt licite, invitis parentibus, baptizari, *nisi in aliquibus casibus* (ratio, quia tunc violaretur vel jus naturale parentum, vel reverentia Sacramento debita. Hinc Tolet. IV.....). 153

Objectiones. 154

CAPUT VI. De effectibus Baptismi et dispositionibus necessariis ad eos percipiendos. 155
Quæres 1. Quinam et quot sint effectus Baptismi? — Sublato obice, tres, nempe : gratia sanctificans, gratia sacramentalis et character. 155
Quæres 2. Quænam sint dispositiones necessariæ ad percipiendos effectus Baptismi? 157
CAPUT VII. De cæremoniis Baptismi et patrinis. 158
Nota : (Ex perpetua Ecclesiæ praxi et Apostolica traditione, in solemni Baptismo adhiberi debent susceptores.)
Quæres 1. An cæremoniæ quæ, cogente necessitate, fuerunt omissæ, sint postea supplendæ? — Sic. 159
Quæres 2. Quodnam sit officium patrinorum? — Sunt quinque. 160
Quæres 3. Quinam excludantur ab officio patrini? 160
Quæres 4. An et a quibus, ratione Baptismi, contrahatur cognatio spiritualis? — Inter hos : *Baptizans, baptizatus, baptizatique parentes; Levans, levatus, levatique parentes.* 161

TRACTATUS DE CONFIRMATIONE.

CAPUT I. De natura et tempore institutionis Confirmationis. . . 163
Nota : (Confirmatio est Sacramentum a Christo institutum, — quo baptizatus, per unctionem chrismatis in fronte per modum crucis factam, — sub præscripta verborum forma, — corroboratur ad fidem firmiter tenendam et intrepide profitendam.)
Conclusio. Confirmatio est verum ac proprie dictum novæ legis Sacramentum. — *Est de fide,* ex Trident., contra Lutheranos et Calvinistas. 164
(Nam Act. : *Cum audissent apostoli...* et : *His auditis, baptizati sunt...* Unde Confirmatio : 1° est signum sensibile; 2° habet vim producendi gratiam; 3° est a Christo præcepta; 4° est perpetua in Ecclesia, ut constat ex S. Clement., Tertull., S. Dionys, etc.)
Quæres : Quo tempore Christus instituerit Confirmationem? — Quadruplex opinio : unde plane incertum. 167
CAPUT II. De materia et forma Confirmationis. 168
Nota : (Triplex hac de re est opinio.)
Conclusio 1. Materia remota essentialis Confirmationis est chrisma confectum ex oleo et balsamo, *benedictum ab Episcopo* (ut constat ex Florent., praxi et traditione Ecclesiæ non interrupta). 169
Conclusio 2. Materia proxima essentialis et adæquata Confirmationis est ea impositio manus, qua Episcopus *ungit per modum crucis frontem confirmandi.* 171

(Est enim applicatio materiæ remotæ, ut patet: 1° ex Patribus et Doctoribus, v. gr. Beda, Hugo Vict., Bellarm.; 2° ex praxi Græcorum; 3° *confirm.* ex Benedict. XIV.)
Objectiones. 173
Conclusio 3. Forma essentialis et adæquata Confirmationis apud Latinos, hæc est: *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris*, etc. — Apud Græcos: *Signaculum doni Spiritus Sancti in nomine Patris, et Filii*, etc. 175
(Nam sunt verba quæ profert minister applicando materiam. — *Confirm.* pro ritu Latinorum ex omnibus Ritualibus, etc...; pro ritu Græcorum, ex Euchologio et Concil. Constantin. I.)
Objectiones. 176
Quæres: Quænam mutationes sint substantiales vel accidentales in forma sacramenti Confirmationis? 178
CAPUT III. De ministro Confirmationis. 178
Conclusio 1. Solus Episcopus est ex institutione divina minister ordinarius Confirmationis. — *Est de fide* ex Trident. . 178
(Nam: 1° Sic Script. ubi legitur Petrum et Joannem missos fuisse Samariam, ut iis qui baptizati fuerant, manus imponerent et darent Spiritum Sanct.: unde Chrysost.; 2° sic Traditio, v. gr. Innocent. I et Florent.)
Objectiones. 180
Conclusio 2. Simplex Sacerdos potest esse Confirmationis minister extraordinarius, auctoritate scilicet delegata a Papa. . 181
(Constat: 1° ex usu Ecclesiæ Græcæ; 2° ex Florent. dispensationes datas esse referenti. — Aliunde patet ex dispensationibus missionnariis datis.)
Objectiones. 182
Quæres 1. Utrum Concilia Florent. et Trident. aliquid definierint circa ministrum extraordinarium Confirmationis? — Non. 183
Quæres 2. Ubinam et quosnam Episcopus debeat confirmare? 184
Quæres 3. An administrans sacramentum Confirmationis debeat esse jejunus? — Sic, sed hoc est tantum de consilio. . . . 184
Quæres 4. An graviter peccet Episcopus, si longo tempore non confirmet? — Sic, *per se loquendo*. 184
CAPUT IV. De subjecto et necessitate Confirmationis. 185
Quæres 1. Quodnam sit Confirmationis subjectum? — Omnis et solus homo baptizatus. 185
Quæres 2. Quænam dispositiones requirantur et percipiendum sacramentum Confirmationis? 185
Quæres 3. An hoc Sacramentum sit necessarium? — Non, necessitate medii; — sic, necessitate præcepti divini et ecclesiastici. 186
CAPUT V. De effectibus et cæremoniis Confirmationis. 188
Quæres 1. Quot sint effectus Confirmationis? — Sublato obice, sunt

tres : 1° gratia sanctificans, non quidem prima, saltem per se, sed secunda; 2° gratia sacramentalis; 3° character. . . 188
Quæres 2. Quænam sint Confirmationis cæremoniæ, et quid significent? 189

TRACTATUS DE EUCHARISTIA.

Pars prima. De Eucharistia prout est Sacramentum. . . . 191
Caput I. De sacramento Eucharistiæ in se spectato. 191
Nota : (Eucharistia dicitur *communio, synaxis, eulogia, viaticum, liturgia, panis,* etc.)
Articulus 1. De natura, seu essentia Eucharistiæ. 192
Conclusio 1. Eucharistia recte definitur : Sacramentum novæ legis, — a Christo Domino institutum, — ad spiritualem animæ refectionem, — in quo Corpus et Sanguis ejus vere, realiter et substantialiter sub speciebus panis et vini continentur. . . 193
Conclusio 2. Sacramentum Eucharistiæ non consistit in usu et sumptione, sed in re permanente. — *Est de fide* ex Trident., contra Luther. et Calvin. 194
(Nam : 1° *Hoc est Corpus...;* 2° sic traditio Ecclesiæ, quæ ex eo constat quod : 1° Eucharistia per diaconos ad absentes mittebatur; 2° in domo a fidelibus deferebatur; 3° ad ægrotantes ferebatur; 4° in templis asservabatur; 5° ex Missa præsanctificatorum.)
Objectiones. 197
Conclusio 3. Eucharistia non consistit essentialiter in consecratione (quia verba non permanent); — neque in solis speciebus (quia non producunt gratiam nec adorantur); — neque in solo Corpore et Sanguine Christi (quia non sensibilia); — sed consistit essentialiter et adæquate in speciebus simul et Corpore ac Sanguine Christi. — Videtur *probabilior.* 198
Objectiones. 199
Quæres : An sacramentum Eucharistiæ sit unum? — Est unum specie, quia una gratia sacramentalis; sed numero multiplicabile, quia plures species seorsim sumibiles. 201
Articulus 2. De materia Eucharistiæ *ex qua.* 203
§ 1. De materia ex qua conficitur corpus Christi. 203
Nota : (Circa materiam Eucharistiæ erraverunt *Artolyritæ, Pepusiani, Gnostici, Ophitæ,* etc.)
Conclusio 1. Solus panis triticeus est materia necessaria Eucharistiæ. 204
(Nam : 1° *Accepit Jesus panem...;* 2° Concil. Florent. : *Eucharistiæ Sacramentum, cujus materia est panis triticeus...*)
Conclusio 2. Ad consecrationis validitatem perinde est, sive panis azymus sit, sive fermentatus (uterque enim est panis verus et

simpliciter dictus. — Aliunde sic defin. **Trident. contra Græcos** schismaticos). 206
Conclusio 3. Christus azymo consecravit. — Est contra Græcos. 207
(Nam : 1° Marc. : *Primo die azymorum, quando pascha...*; 2° Matth. : *Non veni solvere legem...*)
Objectiones. 208
Quæres 1. An semper constans fuerit usus fermentati in Oriente et azymi in Occidente? — Quadruplex opinio. 209
Quæres 2. Quænam consuetudo, Orientalis scilicet et Occidentalis, sit rationabilior? — Consuetudo Ecclesiæ Occidentalis. . . 210
Quæres 3. An Latinus sacerdos possit indifferenter consecrare in fermentato, et Græcus in azymo? 211
Quæres 4. An in casu necessitatis, id est, ad præbendum viaticum infirmo, liceat sacerdoti Latino consecrare in fermentato? — Non. 211
§ 2. De materia Calicis. 212
Conclusio 1. Solum vinum de vite, ipsumque usuale, est materia valida Eucharistiæ. 212
(Nam Matth. : *Non bibam amodo...* et : *Hoc facite in meam...*)
Quæres : An vinum congelatum sit materia valida? — Sic *verius* cum communi. 213
Conclusio 2. Paululum aquæ naturalis Calici eucharistico infundi debet (quia traditio perpetua); — non quidem ex necessitate Sacramenti aut præcepti divini (quia de illo nulla mentio), — sed Ecclesiastici duntaxat (quia sic Trident.). 214
Conclusio 3. Probabilius aqua mixta vino convertitur in Sanguinem Christi (nam : 1° sic SS. Patres, v. gr. Damascen.; 2° vinum aqua mixtum est vinum usuale, sicut panis fermentatus est panis usualis; hinc Missale Rom...). 216
Objectiones. 217
Quæstiunculæ ad utramque materiam pertinentes. 218
Quæres 1. An ex præcepto divino vel Ecclesiastico necessarium sit consecrare in duplici materia? — Sic *communiter* : patet ex Trident. 218
Quæres 2. An valide consecrari possit una species sine altera? — Sic communissime. 219
Quæres 3. An, præter aptitudinem et consecrabilitatem, aliud requiratur ex parte materiæ ad validam vel licitam consecrationem? — Ad *vadilitatem*, requiruntur præsentia et individua determinatio; ad *licitatem*, debet servari usus Ecclesiæ, nec nimia consecrari quantitas. 220
Quæres 4. An censeantur consecratæ guttæ vini adhærentes in parte interiori calicis? — Non probabilius. 222
Quæres 5. Quale peccatum sit consecrare sine rationabili causa hostiam fractam vel maculatam? — Ordinarie veniale. . 223

ARTICULUS 3. De forma Eucharistiæ. 223
Conclusio 1. Christus consecravit his verbis : *Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus.* 223
(Nam. : 1° sic SS. Patres, v. gr. Tertull., Ambros.; 2° sic Concil. Florent.; 3° Christus Eucharistiam ritu sacramentali perfecit : ergo...)
Conclusio 2. Ista omnia verba : *Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus,* vel : *Hic est calix Sanguinis mei,* requiruntur et sufficiunt ad constituendam essentialem Eucharistiæ formam (nam : 1° operantur præsentiam Christi sub pane et vino; 2° B. Paulus : *Hic calix novum testamentum est*). . . . 225
Objectiones. 227
Conclusio 3. Verba consecrationis nec historice tantum, nec assertive tantum, sed historice et assertive simul a sacerdote proferuntur (nam recitantur tanquam a Christo dicta, et cum intentione exercendi ipsam propositionis significationem). 229
Conclusio 4. Pronomina *hoc* et *hic* in forma Eucharistiæ, significant Corpus et Sanguinem Christi, sub confusa ratione rei contentæ sub speciebus panis et vini in fine prolationis formæ consecratoriæ. 230
(Nam pronomina demonstrativa substantive posita in propositione practica, significant tantum confuse id quod existit in fine prolationis verborum.)
Objectiones. 230
ARTICULUS 4. De re in Eucharistia contenta. 232
§ *unicus.* Utrum in sacramento Eucharistiæ vere et realiter contineatur Corpus et Sanguis Christi. 232
Nota : (Præsentiam realem negarunt sacramentarii, nempe : Scotus Herigena, Berengarius, Petrus de Bruis, Carlostadius et Calvinus.)
Conclusio. In sacramento Eucharistiæ, *vere, realiter* et *substantialiter* continetur Corpus et Sanguis Christi. —*Est de fide.* . . 233
(Constat : 1° *ex verbis promissionis,* Joann. : *Panis quem ego dabo...* et : *Nisi manducaveritis carnem...* qua verba minime in sensum metaphoricum detorqueri, sed in sensu prorsus naturali intelligi debent. — 2° Ex *verbis institutionis,* Joann. : *Hoc est Corpus... Sanguis...* quæ verba pariter præsentiam realem clare significant, si in proprio sumantur sensu, in quo utique sunt accipienda, siquidem hic sensus metaphoricus intelligi potest nec ex usu hominum recepto, nec ex ipsius expositione loquentis, nec ex contextu sermonis. — 3° Sic Traditio, cujus testes sunt : 1° Concil Nicæn. I et II; 2° Patres, v. gr. Cypr., Cyril. Jerosolym., Damasc., Theophylact., Hilar.; 3° omnes Liturgiæ; 4° omnes etiam sectæ, sive hæreticæ, sive schismaticæ, æque antiquissimæ; 5° et ipsimet Pagani.)

Objectiones. 239
ARTICULUS 5. De modo quo Christus ponitur in Eucharistia. . 251
Nota : (Triplex modus præsentiæ realis excogitari potest, nempe : *impanatio, consubstantiatio* et *transsubstantiatio.*)
Conclusio 1. Eucharistia non conficitur per impanationem, nec consubstantiationem, sed per transsubstantiationem. . . 252
(Constat 1 p., nam Christus non ponitur in Eucharistia per unionem hypostaticam Verbi cum pane ; — 2 p., nam alias panis non converteretur in Corpus Christi ; — 3 p., quia 1° Matth. : *Hoc est corpus...;* 2° sic SS. Patres, v. gr. Cypr, Cyrill. Hierosol., Ambros., etc. — Hinc Trident definit...)
Objectiones. 254
Conclusio 2. Transubstantiatio non est simplex Corporis et Sanguinis Christi adductio, sed est vera eorumdem reproductio. — Est *Thomistarum* contra *Scotistas.* 256
(Constat 1 p., adductio enim simplex conversionem non importat ; atqui tamen... — 2 p., quia Corpus et Sanguis Christi recipiunt in Eucharistia idem numero esse secundum omnes gradus tum physicos, tum metaphysicos, quod est proprie dicta reproductio.)
ARTICULUS 6. De modo quo Christus est in Eucharistia. . . . 258
Quæres 1. Quænam in Eucharistia ponantur vi verborum, et quænam per concomitantiam? — Vi verborum, solum Corpus Christi ponitur sub specie panis, et solus Sanguis sub specie vini ; — per concomitantiam, sub specie vini, corpus et anima, et sub specie panis, sanguis et anima ; item sub utraque divinitas. 259
Quæres 2. Utrum totus Christus sit sub qualibet parte specierum panis et vini? — Sic, post et etiam ante divisionem. . 260
Quæres 3. Utrum Corpus Christi in Eucharistia quantitatem suam habeat? — *Internam,* sic ; *externam,* non. 261
Quæres 4. An Christus in Eucharistia possit agere? — Actiones spirituales, sic ; a sensibus dependentes, non. 263
Quæres 5. An Christus in Eucharistia possit pati alterationem ab agentibus naturalibus, v. gr. calefieri? — Non. . . . 263
Quæres 6. An corpus Christi in Eucharistia possit moveri? — Sic, per accidens, ad motum scilicet specierum. 263
ARTICULUS 7. De remanentibus in Eucharistia speciebus. . . 264
Quæres 1. An accidentia post consecrationem remanentia habeant aliquod subjectum? 264
Nota : (1° Aliqui negant, at prorsus inepte, accidentium eucharisticorum realitatem a parte rei ; — 2° posita realitate accidentium a parte rei, duplex est opinio, Thomistarum nempe et Recentiorum ; cum Thomistis)
(Resp. Accidentia Eucharistica sunt sine subjecto inhæsionis me-

diato ; cætera tamen a quantitate, sunt in ipsa quantitate panis et vini tanquam in subjecto immediato.)
Quæres 2. Quandonam corpus Christi desinat esse sub speciebus? — Quando corrupta sunt accidentia. 267
Corollarium : Hinc Christus in Eucharistia adorandus est cultu latriæ, quod definivit Trident. 267
APUT II. De ministro Eucharistiæ. 268
ARTICULUS 1. Quis sit minister Eucharistiæ conficiendæ . . . 268
Conclusio. Solus et *omnis* sacerdos rite ordinatus valide Eucharistiam conficere potest.—*Est de fide* ex Trident., contra Lutheram. 269
(Nam : 1° solis et omnibus sacerdotibus Christus dixit : *Hoc facite...*; 2° sic Concil. Nicæn. I.)
Objectiones. 270
Quæres : Utrum plures sacerdotes eamdem hostiam consecrare possint? — Sic, ut constat ex praxi Ecclesiæ. 271
ARTICULUS 2 Quis sit minister Eucharistiæ dispensandæ. . . . 272
Conclusio 1. Soli sacerdotes sunt ordinarii ministri dispensandæ Eucharistiæ (quia ad illos solos pertinet eam conficere. Hinc Trident...) 272
Quæres 1. Ad quos sacerdotes pertineat Eucharistiam distribuere? 273
Quæres 2. Quid requiratur ex parte sacerdotis ut licite Eucharistiam administret? 274
Quæres 3. An liceat deferre Eucharistiam æquitando? — Sic. 275
Quæres 4. An qui laborat infirmitate in pollice et indice possit aliis digitis ministrare? — Non probabilius. 275
Quæres 5. An liceat tempore pestis porrigere hostiam mediante aliquo instrumento? — Sic, propter necessitatem. . . 275
Quæres 6. An liceat deferre Eucharistiam capite cooperto in itinere? — Non, *generaliter loquendo*. 275
Quæres 7. Quid faciendum, cum hostia fortuito in terram, vel in partem aliquam externam communicantis decidat? . . 276
Quæres 8. An liceat sacerdoti, deficientibus hostiis, detrahere partem majoris hostiæ a se sumendæ, ad fideles communicandos? — Non licet, generatim. 276
Quæres 9. Quid faciendum sit de fragmentis? 276
Quæres 10. Qua hora sacra communio dispensari possit? . 277
Conclusio 2. Extraordinarius minister dispensandæ Eucharistiæ, est Diaconus (ut constat ex praxi veteris Ecclesiæ.) . . . 277
Quæres 1. An subdiaconi et alii inferiores ministri possint distribuere Eucharistiam? — Non. 278
Quæres 2. Qualis esse debeat necessitas ut Diaconus licite ministrare possit? — Sufficit ut sit moralis. 279
CAPUT III. De subjecto Eucharistiæ, ac dispositionibus in eo prærequisitis. 279

Conclusio. Omnis et solus homo baptizatus et viator est subjectum Eucharistiæ. 279
CAPUT IV. De usu Eucharistiæ. 280
ARTICULUS 1. Utrum Eucharistia sit omnibus, tam infantibus quam adultis, necessaria necessitate medii. 281
Conclusio. Sacramentum Eucharistiæ non est necessarium necessitate medii ad salutem. 280
(Nam : 1° Rom. : *Nihil damnationis est...*; 2° Galat. : *Qui in Christo...*; 3° Tit. : *Salvos nos fecit...* Hinc Trident...)
Objectiones. 282
ARTICULUS 2. Utrum jure divino sit præcepta communio sub utraque specie panis et vini. 285
Nota : (Certe : 1° ista est præcepta a Christo sacerdoti sacrificanti; 2° ista non fuit a Christo laicis prohibita; 3° justis de causis Ecclesia laicis abstulit usum Calicis.)
Conclusio. Communio sub utraque specie non est jure divino præcepta fidelibus non sacrificantibus. — *Est de fide* ex Trident. 286
(Nam tota Sacramenti substantia et integer effectus in una specie salvatur, cum Joan. dicat : *Si quis manducaverit ex hoc pane...* — *Confirm.* priorum sæculorum traditione, v. gr. ex Missa præsanctificatorum.)
Objectiones. 287
ARTICULUS 3. Utrum detur præceptum positivum sacramentaliter communicandi, saltem sub una specie. 291
§ 1. De præcepto divino sacramentaliter communicandi. . 391
Conclusio Extat præceptum divinum aliquando sumendi Eucharistiam, omnes omnino homines adultos, etiam infideles obligans. 291
(Nam : 1° Joan. : *Nisi manducaveritis...*; et : *Hoc facite in meam...*; 2° sic S. Thom.; 3° quia Eucharistiam instituit Christus per modum cibi qui requiritur ad vitam conservandam.)
Quæres 1. An pueri baptizati rationis impotes, surdi-muti, inculti et perpetuo amentes, etc., teneantur ex præcepto divino sacramentaliter communicare? — Non. 292
Quæres 2. Quo tempore obliget illud divinum mandatum? — Obligat in articulo mortis et pluries in vita. 293
Quæres 3. An pueri rationis compotes et apti ad confessionem, sed nondum admissi ad communionem, si in periculo mortis constituantur, teneantur ex præcepto divino communicare? — Sic. 294
§ 2. De præcepto ecclesiastico sacramentaliter communicandi. 295
Conclusio. Extat præceptum ecclesiasticum pro adultis saltem semel in anno sacramentaliter communicare (ut constat ex mandato Lateran. IV : *Omnis utriusque sexus.....* quod Trident. approbat et renovat. 295

Quæres 1. An qui in Paschate non communicavit, **teneatur quamprimum implere præceptum?** — Triplex opinio : tertia affirmat. 297
Quæres 2. An qui prævidet se non posse communicare in tempore paschali, prævenire teneatur? — Non. 298
Quæres 3. An teneatur fideles tollere impedimenta ut præceptum annuæ communionis adimpleant? — Sic. 298
Quæres 4. Ubi et a quo sumenda sit communio paschalis? . 298
Quæres 5. An per communionem sacrilegam adimpleatur præceptum tum divinum, tum ecclesiasticum communionis? — — Non, et contrariam propos. damnavit Innocent. XI. . 299
Quæres 6. Quid censendum est de frequenti et quotidiana communione? 299
ARTICULUS 4. De dispositionibus ad rite communicandum. . . 301
§ 1. De dispositionibus animæ. 301
Quæres 1. Quot sint dispositiones remotæ ad rite communicandum? — Duo : immunitas a censura et status gratiæ. . . . 301
Quæres 2. Quomodo intelligendum illud Sacerdotibus impositum confitendi *quamprimum?* 303
Quæres 3. An sacerdos sacrilege celebrans teneatur quamprimum confiteri? — Distingue. 303
Quæres 4. An teneatur quamprimum confiteri sacerdos qui post consecrationem advertit se esse in peccato mortali? — Non. 303
§ 2. De dispositionibus corporis. 304
Punctum 1. De jejunio ad communionum requisito. . . 304
Nota : (*Certe :* 1° jejunium naturale, exceptis certis casibus, requiritur ad communicandum; — 2° ad illud jejunium frangendum, tres requiruntur conditiones : unde triplex regula.)
Quæres : An qui positive dubitat utrum sit necne jejunus, possit communicare? — Sic. 306
Punctum 2. De corporis decentia. 307
Quæres 1. An pollutio impediat communionem? — Distingue. 308
Quæres 2. An copula conjugalis impediat a communione? . 308
CAPUT V. De effectibus Eucharistiæ. 308
Conclusio 1. De fide est Eucharistiam non conferre *per se* **remissionem peccatorum, ex Trid.** (nam : 1° Apost. : *Probet autem seipsum homo...;* 2° sic SS. Patres.) 309
Conclusio 2. **Novem sunt effectus Eucharistiæ præcipui quoad animam et circa corpus, nempe :** 1° Spiritualis nutritio animæ; 2° liberatio a venialibus et præservatio a mortalibus; 3° ineffabilis unio cum Christo; 4° immunitio fomitis peccati; 5° pignus futuræ gloriæ et semen gloriosæ resurrectionis; 6° remissio, per accidens, mortalis; 7° excitatio phantasiæ, etc., ad bonum; 8° corporis nostri sanctificatio; 9° pro corpore, **sicut pro anima, semen resurrectionis et glorificationis.** 310

Quæres 1. Quandonam Eucharistia in suscipiente effectum suum producat? — Quando trajicitur in stomachum. . . . 312
Quæres 2. An Eucharistia causet gratiam *ex opere operato* toto tempore quo species manent in stomacho? — Duplex extat opinio. 312
Quæres 3. Quanto tempore species meneant incorruptæ? . 313
Quæres 4. An per peccata venialia interdum impediatur Eucharistiæ effectus? 313
Quæres 5. An Eucharistia, quatenus est Sacramentum, aliis quam sumentibus prodesse possit? 313

PARS SECUNDA. De Eucharistia prout est Sacrificium. 314
CAPUT I. De sacrificio in genere. 314
Nota : (Sacrificium sumitur *late,* vel, ut hic, *stricte,* et tunc definitur : oblatio externa rei sensibilis legitime instituta, — soli Deo a legitimo ministro facta, — per realem hostiæ immutationem—ad testandum supremum Dei dominium in omnes creaturas, — et nostram subjectionem.)
Quæres : Quomodo dividitur sacrificium? 315
(Dividitur : 1° ratione materiæ, in *victimas, immolationes* et *libamina;* 2° ratione formæ, in *holocaustum, hostiam pro peccato* et *hostiam pacificam;* 3° ratione finis, in *latreuticum, eucharisticum, impetratorium* et *propitiatorium.*)
CAPUT II. De existentia sacrificii Eucharistiæ. 316
Conclusio. Eucharistia est verum ac proprie dictum sacrificium quod in Missa offertur. — *Est de fide* ex Trident. . . 317
(Nam : 1° sacrificium est necessarium in vera religione; atqui...; 2° patet tuum *ex institutione,* tum *ex adjunctis* in institutione Eucharistiæ; 3° Apostolus confert altare Christianorum cum altari Ethnicorum : *Non potestis calicem...;* et cum altari Judæorum : *Habemus altare de quo...;* 4° Malach. : *Non est mihi voluntas in vobis...;* 5° Christus dicitur *sacerdos* secundum ordinem Melchisedech; 6° aliunde constat ex præsentia reali, Traditione et præscriptione.)
Objectiones. 320
CAPUT III. De essentia sacrificii Missæ. 323
Conclusio 1. Tota sacrificii Eucharistiæ essentia in sola consecratione consistit. 323
(Nam secus, esset vel : 1° in oblatione ante consecrationem; vel 2° in oblatione post consecrationem; vel 3° in fractione et commixtione specierum; vel 4° in communione sacerdotis vel 5° in distributione fidelibus; vel 6° (cum S. Ligor.) partialiter in consecratione, et partialiter in sumptione. Atqui...)
Conclusio 2. Probabilius et communius est ad essentiam sacrificii necessariam esse utriusque speciei consecrationem. . . 328

(Nam quidquid jure divino est necessarium, ad essentiam rei pertinet; porro : *Hoc facite...*)
CAPUT IV. De efficacia sacrificii Missæ. 329
Conclusio. Sacrificium Missæ sua efficacia comprehendit omnia antiquæ Legis sacrificia (est enim latreuticum, eucharisticum, impetratorium et propitiatorium; hinc Trident. : *Si quis dixerit.....*) 329
CAPUT V. De valore sacrificii Missæ. 332
Nota : (Aliud est *valor* Missæ, aliud ejus *effectus.*)
Conclusio. Valor sacrificii Missæ ex parte rei oblatæ et quoad sufficientiam est infinitus (quia Missa eadem est ac sacrificium Crucis, cujus valor infinitus); — quoad vero efficaciæ infinitatem et nobis applicationem, disputant. 332
CAPUT VI. De causa efficiente sacrificii Missæ. 334
Nota : (Causa efficiens Missæ est *principalis* et *ministerialis.*)
Conclusio. Christus in sacrificio Missæ est principalis offerens (quia *Sacerdos in æternum...*); — et solus sacerdos rite ordinatus, est minister qui solus potest *immediate* hoc sacrificium offerre. 334
Quæres 1. An sacerdos potestatem habeat specialem Missæ fructum applicandi? — Non, quoad fructum *specialem;* ubi . . 335
Nota: (Fructus portio alia est *generalis,* alia *media,* alia *specialis.*)
Quæres 2. Qualis requiratur intentio ad Missæ applicationem? — Requiritur et sufficit habitualis non retractata. . . . 336
CAPUT VII. De iis pro quibus sacrificium Missæ applicari potest. 337
Conclusio 1. Licitum est offerre Missæ sacrificium pro omnibus Christianis fidelibus, sive justis, sive peccatoribus, ut istis prosit ad veniam, illis ad augmentum justitiæ (ut constat ex canone Missæ : *Hæc sacrosancta sacrificia...);* — at non licet *directe* illud offerre pro infidelibus, hæreticis et publice excommunicatis *non toleratis* (nam illos Ecclesia prohibet ad altare nominari, et excludit a suis orationibus.). . . . 337
Conclusio 2. Sacrificium Missæ non potest offerri pro defunctis damnatis (nam *in inferno nulla est redemptio.*). . . . 338
Conclusio 3. Sacrificium Missæ rite offertur pro defunctis in Christo, nondum plene purgatis. — *Est de fide* ex Trid. 339
(Nam : 1° Machab. : *Fortissimus Judas, facta collatione...;* unde Aug., etc.; 2° sic perpetua Traditio, ut constat ex Chrysost.)
Quæres 1. An Missæ sacrificium possit offerri pro catechumenis defunctis? — Sic probabilius. 339
Quæres 2. An Missa *de requiem* prosit magis defunctis, quam Missa *de Sancto?* 340
Conclusio 4. Sacrificium Sanctis non offertur, sed Deo in honorem Sanctorum (constat ex praxi et continuata traditione Ecclesiæ. — Præterea, *est de fide* ex Trid.). 340

CAPUT VIII. De celebratione sacrificii Missæ. 341
ARTICULUS 1. De obligatione celebrandi. 341
§ 1. De obligatione celebrandi ratione sacerdotii. 341
Quæres 1. An sacerdos ratione sui sacerdoti teneatur aliquando celebrare? — Sic. 341
Quæres 2. Quoties in vita vel in anno sacerdos celebrare teneatur? — Disputant. 342
§ 2. De obligatione celebrandi ratione officii. 342
Nota : (Certum est animarum Pastores teneri aliquando celebrare pro populo diebus festis, sive per se, sive per alios.)
§ 3. De obligatione celebrandi ratione stipendii. 343
Quæres 1. An licitum sit accipere stipendium pro Missa? — Sic, propter sacrificantis sustentationem et laborem extrinsecum. 343
Quæres 2. An et quale peccatum sit dilatio celebrationis Missæ stipendiatæ? — Grave, si dilatio sit excessiva. 345
Quæres 3. An colligens eleemosynas pro Missis celebrandis ab altero, possit aliquid sibi retinere pro rata sui laboris? — Sic. 346
Quæres 4. An possit sacerdos duplicatum pro eadem Missa percipere? — Non. 346
Quæres 5. Cum datur pecunia pro Missis indeterminate celebrandis, quomodo debeat determinari numerus Missarum? . . 347
Quæres 6. An qui ratione Beneficii tenetur quotidie celebrare, teneatur, vel per se, vel per alium, quotidie offerre et Missas applicare pro fundatore? — Sic *generatim*. 347
Quæres 7. An sacerdos teneatur die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, applicare Missam pro omnibus defunctis? 347
Quæres 8. An liceat stipendium Missarum in alios transferre pro mercibus, puta pro libris? — Sic. 347
Quæres 9. Ad quem pertineat Missas reducere ad numerum minorem? 348
ARTICULUS 2. De ordine ad celebrandum. 349
§ 1. De tempore celebrationis. 349
Quæres 1. Quo tempore possit sacerdos ac teneatur celebrare? — Potest quotidie (paucis exceptis) et tenetur celebrare in tempore statuto jure communi. 349
Quæres 2. An liceat Missas privatas recitare in nocte Nativitatis Domini? — Non. 350
Quæres 3. An liceat celebrare privatim in Cœna Domini et Sabbato Sancto? — Non. 350
Quæres 4. An et quale peccatum sit celebrare Missam ante Matutinum et Laudes? 351
§ 2. De loco celebrationis. 351

Nota : (**Locus in quo** licitum est celebrare, alius est *immediatus* et est altare, alius *mediatus* et est Ecclesia.)
Conclusio 1. In quocumque loco Missa celebretur, requiritur altare lapideum ab Episcopo, aut, ex concessione solius Papæ, ab alio sacerdote consecratum, et non execratum. . . . 352
Quæres : Quomodo altare censeatur **ex**ecratum seu amisisse suam consecrationem? — Aliter altare *fixum*, et aliter *portatile*. 352
Conclusio 2. Jure communi non licet celebrare, nisi in domo ab Episcopo consecrata, vel saltem ab ipso, aut, ejus auctoritate, a sacerdote benedicta, quæ non sit polluta, vel execrata, vel interdicta. 352
Quæres 1 Quot modis **Ecclesia polluatur?** — Quatuor. . . 354
Quæres 2. Quid agere **debeat sacerdos**, si, dum celebrat, ecclesia violetur? 355
§ 3. De altaris ornatu et aliis in celebratione requisitis. . . 356
Quæres 1. Quibus ornamentis instructum debeat esse altare, ut in eo rite celebrari possit? — Quinque requiruntur. . . . 356
Quæres 2. An et quibus vestibus indui debeat sacerdos ut rite celebret? 357
Quæres 3. Quomodo vestes sacerdotales et linteamina sacra amittant suam benedictionem? 357
Quæres 4. Quænam vasa requirantur ad celebrationem? . . 357
Quæres 5. Quomodo calix et patena execrentur? — Execrantur tribus modis. 357
Quæres 6. Quibus personis competat sacra vasa tangere? . . 358
Quæres 7. An liceat sacerdoti Missam sine ministro celebrare? 358
Quæres 8. An in casu necessitatis mulieri liceat sacerdoti celebranti ministrare? — Nunquam licet. 359
§ 4. De rubricis Missalis. 359
Nota : (Rubricæ Missalis aliæ sunt *directoriæ* tantum, aliæ *obligatoriæ* et *præceptivæ*. Ideo)
Quæres 1. Quænam rubricæ sint tantum directoriæ? . . . 359
Quæres 2. Quænam sint rubricæ obligatoriæ? 359
CAPUT IX. De Missis privatis et de lingua liturgica. 360
Quæres 1. Quid sint Missæ privatæ, et an sint licitæ et approbandæ? — Sunt licitæ, *est de fide* ex Trident.; nam: 1° manet essentia et finis primarius sacrificii; 2° sic Traditio; 3° nihil omittitur quod præcipiatur, nec fit quod prohibeatur. 360
Quæres 2. An liceat vel expediat Missam celebrare in lingua vulgari? — Non, nam : 1° adversatur Ecclesiæ legibus; 2° evellit perpetuam praxim; 3° repugnat naturæ religionis; 4° gravia habet incommoda. 362

TRACTATUS DE PŒNITENTIA.

Nota : (1° Pœnitentia, quoad nomen, idem est ac *pœnæ tenentia*; — 2° dividitur in eam quæ est *virtus* et in eam quæ est *Sacramentum*, de qua nunc ; — 3° ut Sacramentum definitur : Sacramentum a Christo institutum — ad remittenda peccata post Baptismum commissa, — per actus pœnitentis et absolutionem sacerdotis ; — 4° Pœnitentia virtus a sacramento Pœnitentiæ differt in tribus.)

CAPUT I. De existentia sacramenti Pœnitentiæ. 366

Nota : (De hoc triplex error : unde triplex conclusio.)

Conclusio 1. Christus Ecclesiæ suæ veram concessit potestatem dimittendi omnia peccata post Baptismum commissa : nullumque est in hac vita crimen vere pœnitenti irremissibile. — Est contra Montanistas et Novatianos. 366

(Nam : 1° Matth. : *Quæcumque alligaveritis...* ; 2° Joan. : *Quorum remiseritis...* : unde Trident..... ; 3° *confirm.* ex Div. Paulo : *Nam et ego quod donavi...*)

Objectiones. 367

Quæres : An dari possit certus peccatorum numerus, quo posito nequeat homo a peccatis resurgere? — Non. 372

Conclusio 2. Pœnitentia verum est ac speciale novæ legis Sacramentum (est contra Lutheranos et Calvinistas) — a Baptismo Baptismique materia distinctum (est contra eosdem), — lapsis post Baptismum absolute necessarium *in re* vel *in voto*. — *Est de fide* quoad omnes partes. 373

(Constat 1 p.; nam est signum : 1° sensibile ; 2° producendi gratiam vim habens ; 3° a Christo institutum ; 4° perpetuum. — 2 p.; nam : 1° sic S. August.; 2° habent materiam, formam, subjectum, ministrum et effectus omnino diversos. *Confirm.* : 1° quia in Baptismo nequeunt retineri peccata; 2° ex Trident. — 3 p.; nam Joan. : *Quorum remiseritis...*

Objectiones. 377

Conclusio 3. Absolutio sacramentalis est actus judicialis quo vere ac proprie dimittuntur peccata, non vero nudum ministerium declarans tantum ea esse dimissa. — *Est de fide* ex Trident., contra Lutheranos et Calvinistas. 378

(Nam Joan. : *Sicut misit me... quorum rimiseritis... remittuntur eis...*)

Objectiones. 379

CAPUT II. De essentia et natura Pœnitentiæ. 382

ARTICULUS 1. De materia sacramenti Pœnitentiæ. 382

Nota : (1° Duplex est Pœnitentiæ materia : una remota seu *circa quam*, altera proxima seu *ex qua* ; — 2° certe materia remot

sunt peccata post Baptismum commissa; — 3° de materia vero proxima, Scotus ad eam non pertinere tres actus pœnitentis affirmat, Durandus contritionem. — Cum Div. Thoma et aliis sit)

Conclusio. Tres actus pœnitentis, et nullatenus absolutio, sunt materia proxima Pœnitentiæ, seu partes ex quibus componitur; sed contritio et confessio sunt partes essentiales Sacramenti, satisfactio vero actualis est pars integralis. . . 383

(Constat 1 p. : 1° ex Florent. et Trident.; 2° quia actus pœnitentis componunt Pœnitentiam. — *Confirm.* : 1° quia Pœnitentia instituta est per modum judicii; 2° quia in illo Sacramento requiritur quod offendens voluntarie recompenset emendam ad arbitrium offensi; atqui ad illud requiruntur tres actus assignati. — 2 p., nam materia et forma Sacramenti ab invicem distinguuntur. — 3 p., quia sine confessione et contritione stare non potest Sacramentum. — 4 p., nam sine satisfactione actuali stat justificatio.)

Objectiones. 386

ARTICULUS 2 De forma sacramenti Pœnitentiæ. 389

§ 1. An forma Pœnitentiæ essentialiter constet verbis. . . 389

Conclusio. Forma sacramenti Pœnitentiæ essentialiter exprimi debet verbis humana voce prolatis. 389

(Nam : 1° ex Florent., forma hujus Sacramenti sunt *verba* quæ minister *profert* cum *dicit : Ego te...*; 2° sic Trident. — *Confirm.* ex propos. a Clemente VIII damnata.)

§ 2. Utrum forma sacramentalis absolutionis deprecatoria vel indicativa esse debeat. 391

Conclusio. Forma sacramentalis absolutionis, ex institutione Christi, debet esse indicativa, ita ut nec unquam fuerit, nec possit esse deprecativa. — Est contra Morinum et quosdam recentiores. 392

(Nam : 1° sicut Christus dixit : *Euntes, docete.....*, sic dixit : *Quodcumque solveris...*; 2° ex Trident., absolutio sacerdotis est *ad instar* actus *judicialis.*)

Objectiones. 392

§ 3. Quænam verba sint necessaria necessitate Sacramenti in forma absolutionis. 398

Conclusio. Verba sequentia : *Ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti,* sunt necessaria necessitate præcepti (quia talis usus Ecclesiæ); — verum sola ista : *Absolvo te,* sunt de necessitate Sacramenti (exprimunt enim ministrum, subjectum et effectum primarium). . . 398

Quæres : An per verba : *Absolvo te a peccatis tuis,* possit sacerdos tam te a censuris quam a peccatis absolvere? — Sic. . 399

CAPUT III. De prima parte Pœnitentiæ, seu de contritione. . . 399

Nota : (Contritio (a voce *contero*) est vel *perfecta*, et tunc proprie contritio ; vel *imperfecta* et tunc attritio vocatur.)

ARTICULUS 1. De contritione universim sumpta. 400

Quæres 1. Quid sit contritio ? — Est animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero, et voto confitendi ac satisfaciendi. 400

Quæres 2. An propositum non peccandi de cætero requiratur formale et explicitum ? — Tres sententiæ, quarum affirmans in praxi est tenenda. 402

Quæres 3. Qualis debeat esse contritio universim sumpta, ut sit materia sacramenti Pœnitentiæ ? 403

(Resp. Debet esse : 1° vera et realis ; 2° formalis et expressa ; 3° supernaturalis, tum ex parte auxilii, tum ex parte motivi ; 4° universalis, ita ut ad omnia generatim mortalia sese extendat ; 5° summa, non quidem intensive, sed appretiative.)

Quæres 4. An ad contritionem requiratur certa temporis mensura ? — Non. 407

Quæres 5. An contritio de peccatis sit necessaria necessitate medii ad remissionem peccatorum ? — Sic, prout definivit Trident. 407

Quæres 6. Utrum contritio sit homini justo necessaria necessitate medii ad remissionem peccatorum venialium ? — Requiritur saltem virtualis. 409

Quæres 7. Utrum contritio de peccatis sit præcepta, et quo jure ? — Est necessaria, et quidem jure divino. 411

Quæres 8. Utrum dari possit Sacramentum informe et validum, ratione defectus universalitatis contritionis, in quo tamen non infundatur gratia ? — Sic probabilius, cum non conferat gratiam, propter obicem, et tamen illi nihil desit essentiale. 411

Quæres 9. An actus doloris debeat præcedere non solum absolutionem, sed etiam confessionem ? — Sufficit actum contritionis elicere post confessionem, sed ante absolutionem. . . 413

Quæres 10. An dolor, ut sit materia apta, debeat esse elicitus cum relatione ad confessionem ? — Non probabilius. . . . 414

Quæres 11. An pro nova absolutione novus dolor requiratur ? — Duplex opinio : probabilior negat. 414

Quæres 12. Quo tempore obliget divinum contritionis (*idem dic confessione*) præceptum ? 415

(Certe : 1. obligat *per se :* 1° in probabili periculo mortis ; 2° aliquoties in vita. — 2. Obligat *per accidens,* quando urget præceptum alicujus Sacramenti vivorum percipiendi. — 3. Optima ac suadenda est praxis eorum qui peccatum detestantur statim ac commissum fuit.)

Conclusio. Peccator statim a peccato commisso non tenetur sub peccato contritionis præcepto, sicut nec præcepto confessionis. 416

(Nam : 1° præceptum est affirmativum; 2° secus, homo toties peccaret, et quidem specialiter, quoties adverteret ad hanc obligationem et eam non impleret.)

Objectiones. 416

ARTICULUS 2. De contritione perfecta. 418

Nota : (1° Amor, qui est ratio, motivum et forma doloris, seu pœnitentiæ, duplex est : 1° *concupiscentiæ,* seu spei, qui Deum habet ut bonum *nobis,* pro objecto primario et explicito ; hic amor imperfectus imperfectam informat contritionem; et 2° *charitatis* seu amicitiæ, qui Deum habet ut bonum *in se* pro objecto primario et explicito : hic, cum sit perfectus, perfectam informat contritionem. — 3° Trident. docet : 1° contritionem perfectam aliquando justificare priusquam sacramentum Pœnitentiæ actu suscipiatur; 2° hanc reconciliationem includere votum Sacramenti. — 4° Scinduntur Theologi in assignanda ratione essentiali et specifica contritionis perfectæ, ut sit par homini reconciliando, et in determinando an non tantum in casu necessitatis, sed etiam ordinarie et semper hominem Deo reconciliet. Itaque)

Conclusio. Ratio essentialis et distinctiva contritionis perfectæ ab imperfecta non repetitur ex intensione graduum, sed ex proprio motivo, ita ut omnis contritio concepta ex amore Dei super omnia propter se dilecti, cum voto Sacramenti, sit perfecta, in quocumque gradu intensionis sit, et justificet extra Sacramentum, et non tantum in casu necessitatis, sed ordinarie et semper. 421

(Constat 1 p., nam : 1° Proverb. : *Ego diligentes...;* I Petr. : *Charitas operit...;* I Joan. : *Qui diligit me...* et : *Omnis qui diligit...* — 2° Sic SS. Patres, v. gr. Chrysost., August. — 3° Eruitur ex Tradit. — 4° Sic ratio, nam : 1° *plenitudo legis est dilectio;* 2° ubi est essentia alicujus formæ, ibi est effectus ejus formalis; 3° absurdum est ut qui amat Deum super omnia, etsi remisse, damnetur; 4° *confirm.* ex damnatione 15ª propos. Baii. — Constat 2 p., tum ex eadem damnatione; tum quia, fatentibus adversariis, contritio ex amore Dei super omnia propter se, sed in remisso gradu, elicita, justificat in casu necessitatis : ergo semper. Unde sententia contraria est omnino improbabilis.)

Objectiones. 424

Quæres : Quale debeat esse votum seu desiderium sacramenti Pœnitentiæ in his qui per actum contritionis perfectæ justificantur, an explicitum vel implicitum? — Probabilius sufficit implicitum, ut eruitur ex Trident. 428

ARTICULUS 3. De contritione imperfecta. 429

Nota : (Circa attritionem ex pœnarum metu conceptam errarunt :

1° Lutherus eam asserens esse malam; 2° Baius, Jansenius, Quesnellus, docentes eam esse vitiosam, verumque peccatum, saltem omissionis.)

§ 1. An attritio ex solo metu gehennæ concepta sit bona, utilis, supernaturalis, etc. 430

Nota : (1° Timor est vel *mundanus*, vel *servilis*, sive simpliciter, sive serviliter; vel *initialis*, vel *filialis*. — 2° Certe : 1° timor mundanus et serviliter servilis sunt mali; 2° timor filialis et initialis sunt boni.)

Conclusio 1. Attritio concepta ex timore *simpliciter* servili, est bona et laudabilis, nec facit magis hominem hypocritam. — *Est de fide* ex Trident. 431

(Nam est utilis, ut constat : 1° ex Luc. : *Timete eum qui, post-quam...;* 2° ex SS. Patribus, v. gr. August.)

Objectiones. 432

Conclusio 2. Attritio concepta ex timore simpliciter servili, est supernaturalis, voluntatemque peccandi excludit. . . . 434

(Nam : 1° Prov. : *Timor Domini odit...;* Eccl. : *Timor Domini expellit peccatum.....* et : *Qui timent Dominum.....* — 2° Sic S. Aug. et S. Thom. — *Confirm.* ex Trident. — Unde merito duas propositiones Alex. VIII damnavit.)

§ 2. Utrum attritio ex solo metu gehennæ concepta sufficiat, sine ullo amore, ad justificationem in Sacramento obtinendam. 437

Nota : (In amore formali spei reperitur amor virtualis benevolentiæ.)

Conclusio 1. Ut attritio ex metu pœnarum concepta, sit dispositio sufficiens ad sacramentum Pœnitentiæ rite et utiliter percipiendum, requiritur quidem aliquis Dei amor (ut constat ex Trident. — Porro ille amor jam habetur in attritione). . 438

Objectiones. 439

Conclusio 2. Ut attritio ex metu pœnarum concepta (*idem dic a fortiori de aliis motivis informantibus*) sit dispositio sufficiens ad justificationem in Sacramento recipiendam, requiritur et sufficit aliquis amor Dei initialis non prædominans. . . 440

(Nam : 1° ex dictis, charitas in quovis gradu intensionis justificat ante actualem Sacramenti receptionem : hinc D. Bonavent...; 2° eruitur ex Trident.)

Objectiones. 442

Quæres : An qui in articulo mortis susceperit Sacramentum cum attritione, teneatur insuper elicere actum contritionis? — Probabilius hoc non est necessarium, quamvis maxime consulendum. 446

CAPUT IV. De confessione. 448

Nota : (Confessio (græce *exomologesis*) est sacramentalis accu-

satio peccatorum suorum post Baptismum commissorum, facta sacerdoti, ad eorum veniam virtute clavium obtinendam.)
Articulus 1. De institutione, seu præcepto divino confessionis. 449
Conclusio. Confessio omnium et singulorum peccatorum mortalium post Baptismum commissorum, præcepta est jure divino. — *Est de fide* ex Trident., contra Wiclefitas, Lutheranos et Calvinistas. 449
(Nam : 1° Joan. : *Quorum remiseritis.....;* 2° sic Traditio, ut constat ex SS. Patribus, v. gr. S. Clem., Irenæus, Orig., Ambros., August., quisque pro suo sæculo.)
Objectiones. 451
Quæres : Utrum recta sit et utilis peccatorum venialium frequens confessio, et piorum usui consentanea? — Sic, ut constat ex Trident., SS. Patribus, v. gr. Cyprian., et unanimi consensu totius Ecclesiæ. 455
Articulus 2. De præcepto ecclesiastico confessionis. 456
Nota : (Confitendi semel in anno decretum emisit Lateran. IV. Unde)
Quæres 1. Quid intelligatur nomine proprii sacerdotis? — Parochus, sed sine exclusione S. Pontificis, Episcoporum et sacerdotum ab eis delegatorum, ut constat : 1° ex Clem. X ; 2° ex synodis Claramont. et Tolosan. 457
Quæres 2. Quosnam obliget præceptum confessionis ecclesiasticum? — Duplex opinio : secunda docet teneri solos fideles habentes mortalia, ut evincitur : 1° ex Trident. ; 2° ex canone Lateran. : *Omnis.* 460
Quæres 3. Qua anni parte obliget annuæ confessionis præceptum? — A Paschate ad sequens Pascha. 462
Quæres 4. Quas pœnas incurrant, qui præcepto ecclesiastico confessionis non satisfecerunt? 463
Quæres 5. An satisfiat præcepto ecclesiastico confessionis per confessionem nullam? — Non. 463
Quæres 6. An qui toto anno confessionem omisit, teneatur adhuc præcepto ecclesiastico satisfacere? — Sic. 463
Quæres 7. An ille, de quo in præcedenti casu, teneatur ad secundam confessionem ad implendam obligationem præsentis anni? — Distinguendum. 464
Articulus 3. De conditionibus ad confessionem legitimam requisitis. 464
Nota : (Sexdecim assignantur conditiones requisitæ tum ad validitatem, tum ad perfectionem confessionis. Hic tantum)
§ 1. De integritate confessionis. 466
Nota : (1° Duplex est confessionis integritas : *materialis* et *formalis ;* — 2° *certum est de fide,* ex Trident., ad integritatem *formalem* necessarium esse ut pœnitens confiteatur

omnia mortalia, eorum species, numerum, et circumstantias peccati speciem mutantes, quorum habet memoria, nisi tamen legitima causa excuset.)

Conclusio 1. Ad integritatem confessionis probabilius necesse non est ut circumstantiæ in eadem specie notabiliter aggravantes declarentur. 468

(Nam circumstantiæ peccatum notabiliter in eadem specie aggravantes non mutant speciem, ut constat : 1° ex SS. Thom. et Anton.; — 2° ex Trident.; — 3° ex ratione, nam : 1° secus, semper pœnitentes inter augustias fluctuarent; 2° quia circumstantia aggravans non pertinet ad essentiam peccati; 3° quia secus, teneremur etiam confiteri circumstantias minuentes; 4° quia in casu lex est dubia ac proinde non obligat.)

Objectiones. 470

Conclusio 2. Pœnitens non tenetur peccata dubia confiteri, nequidem ut dubia : 1° si positive dubitet de *peccato* (quia nemo subjicitur legi nisi probetur quod sit subjectum legis); — 2° si positive dubitet de *qualitate* (nam : 1° eruitur ex Trident.; 2° pro debito dubio non est certum onus imponendum); — 3° atvero tenetur confiteri, si dubitet de *confessione,* sive dubium sit negativum, sive positivum (quia obligatio certa confitendi non extinguitur per satisfactionem incertam.). 473

Quæres : Utrum peccatum confessum ut dubium, debeat iterum confiteri, si postea cognoscatur certum? — Distingue. . 476

Conclusio 3. Si pœnitens possit peccati speciem et ejus circumstantias necessario aperiendas declarare absque sui complicis manifestatione, tenetur complicem occultare (nam non licet absque causa legitima infamare proximum); — quod si absque manifestatione complicis non posset peccati proprii speciem et circumstantias necessario aperiendas declarare, potest et tenetur complicem manifestare, *modo urgeat præceptum confessionis, et sine gravi incommodo non possit adiri alter confessarius cui complex sit ignotus* (quia, ex institutione divina, species peccatorum debent aperiri in confessione.). . . 476

Quæres : An pœnitens teneatur declarare in confessione personam quæ, licet non sit complex, est tamen objectum, seu occasio criminis? — Sic, si aliter confessio non posset esse integra. 478

Conclusio 4. Infirmus qui subita vi morbi obmutescit, potest absolvi absque confessione, modo coram sacerdote det aliqua doloris signa, vel ipsa, antequam obmutesceret, dederit coram uno saltem adstante et de re testimonium ferente (nam : 1° sic Carthag. IV et Ritual. Rom.; 2° in casu proposito reperitur confessio generica et confusa). 479

Quæres 1. An talis infirmus omni sensuum usu destitutus possit absolvi, si nulla signa externa pœnitentiæ, vel desiderii absolutionis dedit, neque coram sacerdote, neque coram aliis? — Distinguendum. 479
Quæres 2. Quot sint causæ a materiali confessionis integritate excusantes? — Quatuor : 1° naturalis oblivio inculpabilis; 2° ignorantia invincibilis; 3° moralis impotentia; 4° et grave damnum. 481
§ 2. De secreto seu sigillo confessionis. 482
Quæres 1. Quid sit sigillum confessionis? — Est strictissima et indispensabilis obligatio servandi sub secreto quæ in confessione sacramentali fuerunt accepta. 482
Quæres 2. Quinam teneantur ad sigillum? — Omnes qui ex confessione sacramentali aliquam sigilli materiam noverunt. 485
Quæres 3. Quid respondere debeat sacerdos qui a judice interrogatur de auditis in confessione? 485
Quæres 4. Quænam cadant sub sigillo? — Omnia quæ fuerunt sacramentaliter deposita. 485
Quæres 5. An confessarius *extra confessionem* possit loqui cum pœnitente de auditis in ejus confessione? 486
Quæres 6. An liceat extra confessionem uti notitia per confessionem acquisita? — Sic, si possit fieri sine ullo pœnitentis gravamine et indirecta sigilli infractione; secus, non. . . . 486
Quæres 7. Utrum ipsemet pœnitens ad sigillum teneatur? . 487
Quæres 8. An absolvi possit pœnitens renuens confiteri peccatum, quod ab eo fuisse commissum novit sacerdos extra confessionem? — Distingue. 488
Quæres 9. Quas pœnas incurrat infractor sigilli? — Nullam ipso facto, sed potest et debet judicari a superiore. . . . 488
CAPUT V. De satisfactione. 490
Nota : (Satisfactio est voluntaria pœnæ a confessario injunctæ toleratio, ad reparandam Deo per peccatum illatam, expungendamque pœnam temporalem. — Ordinarie est jejunium, vel eleemosyna, vel oratio.)
ARTICULUS 1. Utrum satisfactio sacramentalis sit necessaria. . 491
Conclusio 1. Remisso peccato quoad culpam, non semper remittitur tota pœna temporalis. — Est contra Novatores. . 491
(Nam : 1° constat exemplo Israelitarum et Davidis; 2° sic SS. Patres, v. gr. Greg. Magn. — Hinc Trident. definit...)
Objectiones. 492
Conclusio 2. Pœnalis satisfactio non est tantum ad vitæ novæ custodiam et aliorum exemplum, *ut Novatoribus placet,* sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et satisfactionem pro pœna temporali peccatis quoad culpam remissis debita. 494

(Nam : 1° Daniel. : *Peccata tua redime...;* 2° Luc. : *Facite fructus...;* 3° sic S. August. Hinc Trident. definit...)

ARTICULUS 2. Utrum confessarius possit et teneatur imponere pœnitentiam pœnitenti, et pœnitens teneatur ipsam acceptare. 496

Conclusio 1. Confessarius potest et tenetur imponere pœnitentiam pœnitenti (ut constat ex Trident. — *Est de fide* quoad 1 p.). 496

Conclusio 2. Pœnitens tenetur pœnitentiam a confessario injunctam acceptare (tenetur enim confessarius eam imponere. Unde Lateran VI). 498

Solvuntur quædam quæstiones Satisfactionem spectantes. . 499

Quæres 1. Quotuplex sit satisfactio sacramentalis? — Duplex : *vindicativa* et *medicinalis*. 499

Quæres 2. Quænam sint satisfactiones medicinales? . . . 499

Quæres 3. An per illa verba : *Quidquid boni feceris et mali sustinueris,* eleventur ad effectum satisfactionis omnia bona opera pœnitentis, licet non imposita? — Sic. 500

Quæres 4. An pro pœnitentia imponi possit opus alias debitum? — Sic. 501

Quæres 5. An si pœnitens post absolutionem statim deferat aliud peccatum, necesse sit illi novam imponere pœnitentiam? — Sic. 501

Quæres 6. Quandonam pœnitens teneatur implere pœnitentiam? — In tempore præscripto a confessario ; si non sit determinatum, quam primum moraliter. 501

Quæres 7. Utrum pœnitens satisfactionem sacramentalem implere possit in statu peccati mortalis? — Distingue. 502

Quæres 8. Utrum pro culpis gravibus possit injungi pœnitentia gravis, sed sub levi obligatione? — Sic. 502

Quæres 9. An pœnitens suæ pœnitentiæ immemor teneatur repetere confessionem ut novam recipiat pœnitentiam? — Non probabilius. 502

Quæres 10. Utrum possit injungi pœnitentia applicanda aliis, v. gr. defunctis? — Sic. 503

Quæres 11. An pœnitentia possit per alium persolvi? — Medicinalis, non ; vindicativa, sic, ex auctoritate confessarii. . 503

Quæres 12. An pœnitentia ab uno confessario imposita possit ab alio mutari? — Sic, positis ponendis. 504

Quæres 13. Utrum necesse sit necessitate Sacramenti, ut satisfactio ante absolutionem impleatur? — Non. 505

Quæres 14. Quid sit pœnitentia canonica? 506

Quæres 15. Utrum pœnitentibus imponi possit pœnitentia canonica? — Non. 506

Quæres 16. Quotuplex sit pœnitentia publica? — Duplex. . 506

Quæres 17. An imponi possit et debeat pœnitentia publica? 507

Quæres 18. Utrum utile sit confessario noscere canones pœnitentiales? — Sic. 508
Canones pœnitentiæ spectantes peccata contra I Decalogi præceptum commissa. 509
Canones spectantes peccata contra II Decalogi præceptum. 510
Canones spectantes peccata contra III Decalogi præceptum. 512
Canones spectantes peccata contra IV Decalogi præceptum. 512
Canones spectantes peccata contra V Decalogi præceptum. 513
Canones spectantes peccata contra VI Decalogi præceptum. 515
Canones spectantes peccata contra VII Decalogi præceptum. 518
Canones spectantes peccata contra VIII Decalogi præceptum. 519
Canones spectantes peccata contra IX Decalogi præceptum. 520
Canones spectantes peccata contra X Decalogi præceptum. 520
Canones pœnitentiæ *de septem peccatis capitalibus*. . . . 520
Canones pœnitentiæ *de variis peccatis*. 521
Caput VI. De ministro sacramenti Pœnitentiæ. 522
Articulus 1. Quis sit minister sacramenti Pœnitentiæ. . . . 523
Conclusio. Solus sacerdos est minister sacramenti Pœnitentiæ. — *Est de fide* contra Wiclefitas, Waldenses et Lutheranos. 523
(Nam solis sacerdotibus dictum fuit : *Quorum remiseritis...*)
Articulus 2. De requisitis, præter protestatem ordinis, ad absolvendum in ministro Pœnitentiæ. 525
§ 1. De juridictione. 526
Nota : (Potestas alia est *ordinis*, alia *jurisdictionis* quæ *ordinaria* est, vel *delegata*.)
Conclusio. Præter potestatem ordinis, requiritur in sacerdote, ut valide absolvat, jurisdictio ordinaria vel delegata (ut eruitur ex Trident.) — Est certa et fidei proxima ex Const. *Auctorem fidei*. 526
Objectiones. 527
Quæres 1. Quinam possint delegare ad audiendas confessiones? — Ii omnes, et soli, qui habent ordinariam jurisdictionem. 528
Quæres 2. An delegatus possit subdelegare? — Non. . . . 528
Quæres 3. Qualis debeat esse jurisdictio delegata? . . . 528
Quæres 4. An aliquando defectum jurisdictionis suppleat Ecclesia? — Sic, quoad validitatem (in articulo mortis) modo tria adsint. 529
Quæres 5. Utrum liceat absolvere cum jurisdictione dubia seu probabili? — Sic, ratione gravis necessitatis aut magnæ utilitatis. 530
Quæres 6. An sacerdos nullam, neque ordinariam, neque delegatam habens jurisdictionem, possit licite et valide absolvere a peccatis venialibus, et mortalibus jam confessis? — Non. . 530
§ 2. De approbatione. 530
Nota : (Approbatio *nunc* est authenticum Episcopi testimonium,

quo sacerdos ad confessiones audiendas idoneus declaratur ac deputatur.)

Conclusio. Præter postestatem ordinis et jurisdictionis, requiritur in sacerdote tum regulari, tum sæculari, non habente Beneficium parochiale, approbatio Ordinarii, ut valide absolvere possit (ut constat ex Trident.). 531

Quæres 1. Utrum valide absolvat Regularis approbatus ab Episcopo, insciis vel repugnantibus suis superioribus? — Certo absolvit illicite, imo probabilius et invalide, ut constat ex S. Thom. et S. Anton., ac eruitur ex Litteris Episcopalibus. . . . 533

Quæres 2. Quænam sint circa approbationem observanda? — Sex. 534

§ 3. De reservatione. 535

Nota : (Reservatio hic est restrictio potestatis absolvendi a certis peccatis, facta potestate absolvendi ab aliis.)

Conclusio. Quilibet superior, qui jurisdictionem suam conferre valet, habet jus sibi reservandi casus a quibus inferiores sacerdotes non possint absolvere. — *Est de fide* ex Trident. 535

Quæres 1. Quænam requirantur ut peccatum censeatur reservatum? — Quatuor. 536

Quæres 2. Qua ratione fit casuum reservatio? 537

Quæres 3. An ignorantia invincibilis reservationis, ab ea incurrenda excuset? — Distinguendum. 537

Quæres 4. An peccata dubia censeantur reservata? . . . 537

Quæres 5. Quinam possint absolvere a reservatis? 537

Quæres 6. An confessarius absolvere possit a peccato non reservato in propria diœcesi, sed commisso in alia diœcesi ubi reservatur? 538

Quæres 7. Utrum sublata sit reservatio alicujus peccati reservati, ex oblivione inculpabili omissi in confessione facta sacerdoti habenti potestatem absolvendi a reservatis? — Non *generatim*, extra tempus Jubilæi. 539

Quæres 8. An sublata sit reservatio peccati reservati invalide confessi superiori vel ejus delegato? — Sic. 540

Quæres 9. Ad quid teneatur confessarius qui, non habens in reservata potestatem, ab aliquo ex ignorantia vel inadvertentia absolvit? 540

Quæres 10. An aliquando simplex confessarius possit absolvere a reservatis, etiam extra mortis articulum? — Sic, positis ponendis. 540

Quæres 11. An Episcopi possint absolvere peregrinos a peccatis reservatis proprio Episcopo cum censura quam in propria diœcesi incurrerunt? — Non. 541

QUÆSTIO SPECIALIS. *De absolutione proprii complicis in peccato turpi.* 541

Quæres 1. Quid intelligatur per peccatum turpe? — Omne factum vel dictum turpe et mutuum inter sacerdotem et complicem, quod ex utraque parte sit grave peccatum contra sextum præceptum. 541
Quæres 2. Quomodo intelligatur reservatio peccati turpis? . 542
Quæres 3. Utrum Episcopus absolvere possit ab excommunicatione lata in complicem suum absolventes, si casus sit occultus? — Dist. 542
ARTICULUS 3. De officiis ministri sacramenti Pœnitentiæ. . . . 542
Nota : (Confessario incumbit quadruplex officium *patris, medici, doctoris* et *judicis.* Unde)
§ 1. De officio patris. 543
Quæres : Ad quid teneatur confessarius ex officio Patris? . . 543
§ 2. De officio medici. 544
Quæres : Ad quid teneatur confessarius ex officio medici? . 544
§ 3. De officio doctoris. 544
Quæres 1. Ad quid teneatur confessarius ex officio doctoris? 544
Quæres 2. An semper admonendus sit pœnitens laborans ignorantia circa aliquam obligationem? 545
(Resp. 1° Certo monendus est : 1° quoties ignorantia est vincibilis ; 2° quoties ex sua ignorantia invincibili damnum redundat contra bonum commune ; 3° si, non monitus, in malo obfirmaretur, proximoque scandalum oriretur. — 2° Si pœnitens laborans ignorantia invincibili paratus est parere monitioni, tunc *ordinarie* monendus est ; secus, non, quia tunc, permisso peccato materiali, vitatur formale, et sic magis providetur bono pœnitentis.)
§ 4. De officio judicis. 550
Quæres : Ad quid teneatur confessarius ex officio judicis? — Septem traduntur regulæ. 550
§ 5. De officio ministri post confessionem. 551
Quæres 1. Quid præstare debeat confessarius qui invalide absolvit pœnitentem? — Distinguendum. 551
Quæres 2. Utrum et quo jure confessarius teneatur monere pœnitentem, cum erraverit circa valorem Sacramenti? — Vel erravit inculpabiliter, vel culpabiliter : unde..... 551
Quæres 3. Utrum confessarius teneatur defectum reparare, si error sit tantum circa accidentalia seu integritatem Sacramenti? — Distingue. 553
Quæres 4. Ad quid teneatur confessarius qui positive deobligavit pœnitentem a restitutione facienda, vel e contra ad indebitam obligavit? — Distinguendum. 553
Quæres 5. Ad quid teneatur confessarius qui negative se habuit non monendo pœnitentem de restitutione facienda? — Aliter

tenetur *quoad obligationem monendi,* aliter *quoad obligationem restituendi.* 554
ARTICULUS 4. De absolutione concedenda vel deneganda. . . 556
Conclusio. Confessarius sub gravi peccato tenetur : 1° absolutionem concedere eis quos prudenter et cum certitudine morali judicat esse contritos et rite dispositos (quia jus habent ad absolutionem); — 2° eam denegare eis quos cognoscit carere contritione et debitis dispositionibus (secus enim, Sacramentum violaret); — 3° *extra articulum mortis,* absolutionem differre eis quorum dubia ei apparet contritio et dispositio debita, donec adsint signa conversionis moraliter certa (nam tunc materia est dubia). 556
§ 1. De iis qui ignorant doctrinam christianam. 558
Conclusio Iis qui, etiam inculpabiliter, ignorant mysteria fidei quorum fides necessaria est necessitate medii, puta Trinitatis et Incarnationis; *item* iis qui ignorant mandata Dei et Ecclesiæ, vel obligationes sui status proprias, etiamsi fuerint parati ad ea quamprimum addiscenda, debet differri absolutio, donec illa didicerint. 558
§ 2. De iis qui æquivoca dant signa doloris. 559
Conclusio. Absolutio debet differri iis qui nonnisi *omnino levia* et *æquivoca* exhibent doloris signa, et humanissimis verbis a se dimittet confessarius; et tempus aliquod ipsis est assignandum per quod ad confessionem diligentius se disponant (nam materia tunc est dubia). 559
§ 3 De peccatore ex habitu, et relapsu. 560
Nota : (Apprime distingue peccatorem *relapsum* a peccatore *ex habitu.*)
Conclusio. Peccator ex habitu potest, imo debet, ordinarie loquendo, absolvi, quamvis nulla emendatio præcesserit, modo eam serio promittat; et peccator ex relapsu *qui nullam spem præbet emendationis,* absolutione non est donandus, nisi post sufficientem et necessariam veræ pœnitentiæ probationem. 560
(Constat 1 p. : 1° ex catechismo et Ritual. Rom.; 2° quia talis pœnitens non præsumendus est malus ac indispositus; 3° quia Pœnitentia instituta est etiam ad præcavenda peccata. — 2 p., quia tunc valde dubia est dispositio pœnitentis ut eruitur : 1° ex natura habitus; 2° ex natura lapsus.)
Objectiones. 563
Quæres 1. Quænam sint signa extraordinaria cum quibus recidivus etiam statim absolvi potest? — Novem numerantur. 567
Quæres 2. An impius, qui ex consuetudine semel in hebdomada peccabat mortaliter, ad absolutionem sufficienter dispositus censeri debeat, si semel tantum in mense in idem peccatum labatur? — Sic. 567

Quæres 3. Utrum iterari debeant confessiones quas quis, peccandi consuetudine implicatus, fecit, quasque absolutio semper consecuta est? — Sic *ordinarie*. 568

§ 4. De occasione proxima et periculo peccati. 568

Nota : (1. Occasio peccati est id quod ad peccatum pertrahere potest. — 2. Dividitur : 1° in *remotam* et *proximam,* quæ talis est vel *per se*, vel *per accidens;* 2° in *voluntariam* et *involuntariam;* 3° in *internam* et *externam :* hæc est iterum dividitur in *continuam* et *interruptam.* — 3. Periculum peccati est aliquid inclinans seu disponens ad peccatum. — 4. Periculum aliud est *remotum,* aliud *proximum* quod est *formale* vel *materiale.* — 5. Periculum formale dividitur in *certum, probabile* et *leve.*)

Conclusio 1. Iis qui versantur in occasione peccati *per se* et *in esse* quæ est *voluntaria,* quantumvis promittant se talem occasionem relicturos, ordinarie loquendo differenda est absolutio, donec eam reliquerint. 571

Conclusio 2. Iis qui versantur in occasione proxima peccati *per se* quæ *non est in esse,* sed *voluntaria,* semel aut iterum, vel etiam tertia vice concedi postest absolutio, si sincerum appareat propositum illam relinquendi; at si postmodum emendatio non appareat, quamtumvis promittant se talem occasionem relicturos, differenda est absolutio donec eam reliquerint. . 572

Conclusio 3. Iis qui versantur in occasione proxima *per se,* quæ est *in esse,* sed *involuntaria* et *necessaria* necessitate tum physica, tum morali, potest concedi absolutio pro prima aut secunda vice, modo parati sint ad omnia media adhibenda ut periculum ex proximo et formali fiat remotum et materiale, quin necesse sit occasionem auferre. 573

Quæres : An absolvi possit, qui se exponit probabili periculo peccandi ? — Distinguendum. 574

Conclusio 4. Iis qui sunt in occasione peccati *per accidens,* quæ est *voluntaria,* si tolli possit, ordinarie differenda est absolutio, donec tollatur. 575

§ 5. De iis qui aliis sunt occasio scandali et peccati. . . . 575

Conclusio. Differenda est absolutio iis qui dant proximo occasionem peccandi, nisi illam prorsus abscindant. . . . 575

§ 6. De iis qui ad restitutionem sunt obligati. 576

Conclusio. Differenda est absolutio iis qui tenentur ad restitutionem notabilem, donec restituerint. 576

§ 7. De iis qui inveteratas inimicitias conservant. 577

Conclusio. Differenda est absolutio iis qui inveteratas inimicitias exercent cum proximo, donec ei se reconciliaverint, vel etiam eis quorum inimicitiæ, licet non sint inveteratæ, tamen pro-

missioni factæ de mediis ad reconciliationem adhibendis non steterunt. 577
§ 8. De iis qui grave scelus perpetrarunt. 577
Conclusio. Differenda est aliquando, *saltem ad aliquod tempus,* absolutio eis qui aliquod grave scelus, v. gr. homicidium, adulterium, etc., perpetrarunt, donec orationibus ac bonis operibus probaverint contritionem. 577
CAPUT VII. De effectibus Pœnitentiæ. 578
Nota : (Ex dictis, constat effectus hujus esse : 1° gratia habitualis et sacramentalis infusionem; 2° omnis culpæ remissionem; 3° condonationem pœnæ æternæ pro eis debitæ, non tamen semper totius pœnæ temporalis. Unde tantum)
Conclusio 1. Viva justorum opera per peccatum mortificata, per pœnitentiam subsequentem reparantur ac reviviscunt. . 578
Nota : (Opera alia sunt *vivificantia,* alia *viva,* alia *mortifera,* alia *mortua* et alia *mortificata.*)
(Nam : 1° Joel : Deus promittit se peccatoribus redditurum *annos, quos comedit locusta...;* 2° per culpam mortificantur bona opera; atqui...)
Quæres : Quomodo bona opera mortificata reviscant per Pœnitentiam? 580
Conclusio 2. Peccata per Pœnitentiam dimissa non redeunt *simpliciter* per peccatum subsequens (nam Rom. : *sine Pœnitentia...;* hinc Ps. : *Beati quorum... Dele iniquitatem... Lavabis me...*); sed tantum *secundum quid et virtualiter* (ut constat ex S. Thoma). 581

APPENDIX I. DE CONFESSARIIS SOLLICITANTIBUS. 584
Nota : (Hæc de re Bullam dedit Gregor. XV, quam confirmavit Benedict. XIV. Ideo)
§ 1. De clausulis Bullæ. 584
(Quatuor sunt principaliores clausulæ sedulo notandæ.)
§ 2. De his qui denuntiandi sunt. 585
Quæres : Quænam pœnæ decernantur contra sollicitantes? 585
§ 3. De his qui denuntiare tenentur. 586
Quæres 1. Quinam teneantur sollicitantes denuntiare? — Omnes sollicitati et illi qui *certo* factum resciverint. 586
Quæres 2. Quænam pœnæ decernantur contra falso denuntiantes? 587

APPENDIX II. DE SATISFACTIONE PER SUFFRAGIA ET INDULGENTIAS. 588
CAPUT UNICUM. De indulgentiis. 588
Nota : (1° Indulgentia est relaxatio pœnæ temporalis pro peccatis jam quoad culpam remissis debitæ, a legitimo ministro facta per applicationem thesauri Ecclesiæ. — 2° Est : 1° *totalis* seu

plenaria et *partialis;* 2° est *personalis, localis* et *realis;* 3° *temporalis* et *perpetua.*)

Articulus 1. De thesauro Ecclesiæ. 590

Conclusio. Extat in Ecclesia thesaurus præcipue et primario coalescens ex meritis et satisfactionibus Christi infinitis; et secundario ex satisfactionibus Deiparæ et Sanctorum. . . . 590

(Constat 1 p. ex Clem. VI. Aliunde Christus infinitas suas satisfactiones in solam hominum salutem impendit. — 2 p. : 1° ex eodem Clem. VI; 2° ex propos. Lutheri damnatione; *confirm.* ex communione Sanctorum.)

Objectiones. 591

Articulus 2. De potestate Ecclesiæ in concedendis Indulgentiis. 594

Conclusio. Ecclesia potestatem concedendi Indulgentias a Christo accepit. — *Est de fide* contra Waldenses, Wiclefitas, Lutherum et Calvinum. 594

(Nam : 1° Matth. : *Quæcumque alligaveritis...;* 2° sic perpetua traditio. — *Confirm.* ex potestate clavium : hinc Trident...)

Objectiones. 595

Articulus 3. De iis a quibus possunt dari Indulgentiæ. . . . 597

Conclusio. Solus Papa et Episcopi habent potestatem concedendi Indulgentias (nam eos solos *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei.* Hinc Martinus V...). 597

Quæres 1. Quid requiratur ad justam concedendæ Indulgentiæ causam? — Duo. 600

Quæres 2. An, ad valorem Indulgentiæ, requiratur ut causa sit proportionata Indulgentiæ quæ conceditur, ita ut major causa requiratur pro majori Indulgentia? — Requiritur ut causa habeat proportionem quamdam cum Indulgentia concessa. 600

Quæres 3. Quando et quomodo cessent Indulgentiæ? — Diversimode, pro natura Indulgentiæ. 602

Articulus 4. De iis quibus dispensari possunt Indulgentiæ. . 604

§ 1. De Indulgentia pro vivis. 604

Quæres 1. Quænam dispositiones sint necessariæ ad lucrandas Indulgentias? — Tres, nempe : 1° implctio completa præscriptorum; 2° status gratiæ; 3° propositum efficax Deo satisfaciendi. 604

Quæres 2. Utrum Indulgentiam lucraturus debeat esse in statu gratiæ toto tempore quo omnia injuncta ad impleantur? 607

Quæres 3. An percepturus Indulgentiam debeat habere intentionem illam consequendi? — Sic. 608

§ 2. De Indulgentia pro defunctis. 608

Nota : (Indulgentia potest conferri vel per modum *absolutionis juridicæ,* vel per modum *suffragii.*)

Conclusio. Indulgentiæ concedi possunt defunctis, non quidem per

modum absolutionis juridicæ, sed per modum suffragii tantum. 609
(Constat 1 p. : 1° ex damatione contrariæ propos. ; 2° eo quod de fide est animas fidelium defunctorum suffragiis vivorum juvari; — 2 p., nam non sunt subditi.)
Quæres 1. Utrum Indulgentiæ defunctis concessæ eis certo et infallibiliter prosint? — Duplex sententia. 610
Quæres 2. Quænam requirantur conditiones, ut valeant Indulgentiæ pro defunctis? — *Ex parte conferentis,* auctoritas et causa legitima; *ex parte lucrantis* eas pro defunctis : 1° operis executio, 2° intentio, 3° status gratiæ qui pariter requiritur in *defuncto recipiente.* 612
ARTICULUS 5. De Jubilæo. 613
Nota : (Jubilæus est Indulgentia plenaria cum *privilegiis annexis,* ratione quorum differt ab Indulgentia plenaria.)
Quæres 1. Quænam sint generaliter notanda circa Jubilæum? — Undecim de eo sunt observanda. 614
Quæres 2. Quænam sint specialiter notanda circa Jubilæum? — Hac de re legatur Benedict. XIV Constitutio *Inter prætéritos.* 616
Quæres 3. An ad lucrandum Jubilæum, omnia opera præscripta perfici debeant in una eademque hebdomada. — Sic communius. 621
Quæres 4. An per confessionem invalidam in Jubilæo absolvantur censuræ reservatæ, et auferatur reservatio peccatorum? — Non. 622
Quæres 5. An graviter peccet qui, postquam est absolutus a reservatis, non implet postea opera injuncta? — Duplex opinio : communior negat. 623
Quæres 6. An possit absolvi a reservatis, qui peccatum commisit spe obtinendi absolutionem vi Jubilæi? — Duplex opinio : communior affirmat. 623
Quæres 7. An vi facultatis concessæ in Jubilæo absolvendi a censuris occultis propter damnum tertio illatum, incursis sub conditione : ne pœnitens absolvatur, nisi satisfacta parte læsa, vel saltem præstito juramento satisfaciendi, possit dari absolutio ante satisfactionem vel juramentum? — Distingue. 623
Quæres 8. A quibus casibus et censuris possint confessarii absolvere tempore Jubilæi. 624
Quæres 9. Quinam intelligendi sint sub nomine infirmorum, captivorum et itinerantium, quibus, vi Jubilæi, possunt commutari aliqua ex operibus injuncta. 625

FINIS INDICIS ANALYTICI.

INDEX BREVIS.

TRACTATUS DE SACRAMENTIS IN GENERE.

CAPUT I. *De essentia sacramentorum.* 2
CAPUT II. *De existentia sacramentorum.* 6
CAPUT III. *De materia et forma sacramentorum.* 17
Articulus 1. An quodlibet sacramentum necessario constet rebus tanquam materia et verbis tanquam forma. 19
Articulus 2. An materia et forma sacramentorum sint a Deo fixæ et determinatæ. 22
Articulus 3. De mutatione materiæ et formæ sacramentorum. 25
CAPUT IV. *De ministro sacramentorum.* 32
Articulus 1. Quis sit ordinarius sacramentorum minister. . 33
Articulus 2. Quid requiritur ut sacramenta legitime perficiat. 35
Sectio 1. De intentione ministri. 35
PUNCTUM I. De objecto intentionis ministri. 36
PUNCTUM II. De gradu intentionis ministri. 49
Sectio 2. De fide et probitate ministri. 52
PUNCTUM I. Utrum hæretici et peccatores valide possint administrare sacramenta. 52
PUNCTUM II. Utrum peccatores sacramenta licite conficiant et conferant. 65
PUNCTUM III. Utrum liceat sacramenta petere et accipere ab indignis ministris. 69
PUNCTUM IV. Utrum liceat sacramenta administrare peccatoribus. 75
CAPUT V. *De subjecto sacramentorum.* 78
Articulus 1. Quænam dispositiones requirantur et sufficiant in subjecto ad validam sacramentorum susceptionem. . . . 78
Articulus 2. Quænam ad licitam et salutiferam susceptionem. 89
CAPUT VI. *De effectibus sacramentorum.* 87
Articulus 1. De gratia quæ per sacramenta confertur. . . 87
§ 1. An sacramenta novæ legis gratiam non ponentibus obicem conferant et qualem. 88
§ 2. Quomodo illam conferant. 92
§ 3. An cum sacramenta propter obicem non contulerint gratiam, ipsa, sublato obice, reviviscat. 97
§ 4. An sacramenta veteris legis contulerint gratiam et quomodo. 100
Articulus 2. De charactere sacramentali. 105
§ 1. De existentia characteris. 106
§ 2. De natura characteris. 108
CAPUT VII. *De cæremoniis sacramentorum.* 109
§ 1. De ritibus sacramentalibus. 110
§ 2. De sacramentalibus. 112

TRACTATUS DE BAPTISMO.

CAPUT I. *De natura Baptismi.* 114
CAPUT II. *De materia et forma Baptismi.* 119

CAPUT III. *De variis proprietatibus Baptismi.* 130
Articulus unicus. De necessitate Baptismi. 131
CAPUT IV. *De ministro Baptismi* 142
CAPUT V. *De subjecto Baptismi.* 148
Articulus 1. Utrum possint baptizari infantes. 148
Articulus 2. Utrum liceat filios infidelium baptizare invitis parentibus. 152
CAPUT VI. *De effectibus Baptismi et dispositionibus necessariis ad eos percipiendos.* 155
CAPUT VII. *De cæremoniis Baptismi et patrinis.* 158

TRACTATUS DE CONFIRMATIONE.

CAPUT I. *De natura et tempore institutionis Confirmationis.* . . 163
CAPUT II. *De materia et forma Confirmationis.* 168
CAPUT III. *De ministro Confirmationis.* 178
CAPUT IV. *De subjecto et necessitate Confirmationis.* 185
CAPUT V. *De effectibus et cæremoniis Confirmationis.* 188

TRACTATUS DE EUCHARISTIA.

PARS PRIMA.

De Eucharistia prout est sacramentum. 191
CAPUT I. *De sacramento Eucharistiæ in se spectato.* 191
Articulus 1. De natura seu essentia Eucharistiæ. 192
Articulus 2. De materia Eucharistiæ *ex qua.* 205
§ 1. De materia ex qua conficitur Corpus Christi. . . . 203
§ 2. De materia calicis. 212
Articulus 3. De forma Eucharistiæ. 223
Articulus 4. De re in Eucharistia contenta. 232
§ 1. Utrum in sacramento Eucharistiæ vere et realiter contineatur Corpus et Sanguis Christi. 232
Articulus 5. De modo quo Christus ponitur in Eucharistia. . 251
Articulus 6. De modo quo Christus est in Eucharistia. . . . 258
Articulus 7. De remanentibus in Eucharistia speciebus. . . 264
CAPUT II. *De ministro Eucharistiæ.* 268
Articulus 1. Quis sit minister Eucharistiæ conficiendæ. . . 268
Articulus 2. Quis sit minister Eucharistiæ dispensandæ. . . 272
CAPUT III. *De subjecto Eucharistiæ et dispositionibus in eo requisitis.* 279
CAPUT IV. *De usu Eucharistiæ.* 280
Articulus 1. Utrum Eucharistia sit omnibus, tam infantibus quam adultis necessaria necessitate medii. 280
Articulus 2. Utrum jure divino sit præcepta communio sub utraque specie panis et vini. 285
Articulus 3. Utrum detur præceptum positivum sacramentaliter communicandi, saltem sub una specie. 291
§ 1. De præcepto divino sacramentaliter communicandi. . 291
§ 2. De præcepto Ecclesiastico sacramentaliter communicandi. 295
Articulus 4. De dispositionibus ad rite communicandum. . 301
§ 1. De dispositionibus animæ. 301
§ 2. De dispositionibus corporis. 304

PUNCTUM I. De jejunio ad communionem requisito. 304
PUNCTUM II. De corporis decentia. 307
CAPUT V. *De effectibus Eucharistiæ.* 308

PARS SECUNDA.

De Eucharistia prout est sacrificium. 314
CAPUT I. *De sacrificio in genere.* 314
CAPUT II. *De existentia sacrificii Eucharistiæ.* 316
CAPUT III. *De essentia sacrificii Missæ.* 323
CAPUT IV. *De efficacia sacrificii Missæ.* 329
CAPUT V. *De valore sacrificii Missæ.* 332
CAPUT VI. *De causa efficiente sacrificii Missæ.* 334
CAPUT VII. *De iis pro quibus sacrificium Missæ applicari potest.* 337
CAPUT VIII. *De celebratione sacrificii Missæ.* 341
Articulus 1. De obligatione celebrandi. 341
§ 1. De obligatione celebrandi ratione sacerdoti. 341
§ 2. De obligatione celebrandi ratione officii. 342
§ 3. De obligatione celebrandi ratione stipendi. 342
Articulus 2. De ordine ad celebrandum. 349
§ 1. De tempore celebrationis. 349
§ 2. De loco celebrationis. 351
§ 3. De altaris ornatu et aliis in celebratione requisitis. . . 356
§ 4. De rubricis missalis. 359
CAPUT IX. *De Missis privatis et de lingua liturgica.* 360

TRACTATUS DE PŒNITENTIA.

CAPUT I. *De existentia Pœnitentiæ sacramenti.* 366
CAPUT II. *De essentia et natura Pœnitentiæ.* 382
Articulus 1. De materia sacramenti Pœnitentiæ. 382
Articulus 2. De forma sacramenti Pœnitentiæ. 389
§ 1. An forma Pœnitentiæ essentialiter constet verbis. . . 389
§ 2. Utrum forma sacramentalis absolutionis deprecatoria vel indicativa esse debeat. 391
§ 3. Quænam verba sint necessaria necessitate sacramenti in forma absolutionis. 398
CAPUT III. *De contritione.* 399
Articulus 1. De contritione universim sumpta. 400
Articulus 2. De contritione perfecta. 418
Articulus 3. De contritione imperfecta. 429
§ 1. An attritio ex solo metu gehennæ concepta sit bona, utilis, supernaturalis, etc. 430
§ 2. Utrum attritio ex solo metu gehennæ concepta sufficiat, sine ullo amore, ad justificationem in sacramento obtinendam. 437
CAPUT IV. *De confessione* 448
Articulus 1. De præcepto divino confessionis. 449
Articulus 2. De præcepto ecclesiastico confessionis. . . . 456
Articulus 3. De conditionibus ad confessionem requisitis. . 464
§ 1. De integritate confessionis. 466
§ 2. De sigillo confessionis. 482
CAPUT V. *De satisfactione.* 490

Articulus 1. Utrum satisfactio sacramentalis sit necessaria. . 491
Articulus 2. Utrum confessarius possit et teneatur imponere pœnitentiam pœnitenti, et pœnitens teneatur ipsam acceptare. 496
Canones Pœnitentiæ. 509
CAPUT VI. *De ministro sacramenti Pœnitentiæ*. 522
Articulus 1. Quis sit minister Pœnitentiæ sacramenti. . . 523
Articulus 2. De requisitis, præter potestatem ordinis, ad valide absolvendum in ministro Pœnitentiæ. 525
§ 1. De jurisdictione. 526
§ 2. De approbatione. 530
§ 3. De reservatione. 535
QUÆSTIO SPECIALIS. De absolutione proprii complicis in peccato turpi. 541
Articulus 3. De officiis ministri sacramenti Pœnitentiæ. . . 542
§ 1. De officio patris. 543
§ 2. De officio medici. 544
§ 3. De officio doctoris. 544
§ 4. De officio judicis. 550
§ 5. De officio ministri post confessionem. 551
Articulus 5. De absolutione concedenda et deneganda. . . 556
§ 1. De iis qui ignorant doctrinam christianam 558
§ 2. De iis qui æquivoca dant doloris signa. 559
§ 3 De peccatore ex habitu et relapsu. 560
§ 4. De occasione proxima peccati et de periculo peccati. 569
§ 5. De iis qui aliis sunt occasio scandali et peccati. . . . 575
§ 6. De iis qui ad restitutionem sunt obligati. 576
§ 7. De iis qui inveteratas inimicitias conservant. . . . 576
§ 8. De iis qui grave scelus perpetrarunt. 577
CAPUT VII. *De effectibus Pœnitentiæ*. 578

APPENDIX PRIMA. DE CONFESSARIIS SOLLICITANTIBUS. 583
§ 1. De clausulis Bullæ. 583
§ 2. De his qui denuntiandi sunt. 584
§ 3. De his qui denuntiare tenentur. 585

APPENDIX SECUNDA. DE SATISFACTIONE PER SUFFRAGIA ET INDULGENTIAS. 587
CAPUT UNICUM. *De indulgentiis*. 587
Articulus 1. De thesauro Ecclesiæ. 589
Articulus 2. De potestate Ecclesiæ in concedendis indulgentiis. 593
Articulus 3. De iis a quibus possunt dari indulgentiæ. . . . 596
Articulus 4. De iis quibus dispensari possunt indulgentiæ. . 603
§ 1. De indulgentia pro vivis. 603
§ 2. De indulgentia pro defunctis. 607
Articulus 5. De Jubilæo. 612
Index analyticus. 627

FINIS INDICIS BREVIS.

PARIS. — IMPRIMERIE PIERRE LAROUSSE, RUE NOTRE-DAME-DES-CHAMPS, 49.

208.9
C 382
8907
CHARMES, THOMA EX.
AUTHOR
Theologia Universa, XII
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	Fenwick NOV 14	
	Binder	
	STORAGE - GBPL	

8907